



M

COLLEGIJ S. THOMÆ IN VNIVERSAM ARISTOTELIS LOGICAM QVÆSTIONES.

QVARTA EDITIO DENVO CORRECTA.

Anno  1697.

CVM PRIVILEGIO.

MATRITI: Typis Didaci Martinez Abbaris.





ILLVSTRISSIMO, AC EXCELLENTISSIMO D.D. Fr. Ioanni Thomæ de Rocaberti, Prædicatorum Ordinis Generali quondam Magistro, Archiepiscopo, & pro Regi Valentino, & pro Fidei Catholicæ puritate in toto Hispaniarum Orbe Inquisitori Generali Dignissimo.





EDITIS Dialecticæ Institutionibus, incumbebamus Logicæ, vt fidem liberaremus non tam libro, quam libello oppigneratam, & vt perageremus cursum, ad quem stimulis vrgebamur obedientiæ, ac tuæ munificientiæ largis inuitabamur inditijs, cũ te, Excellentissime Princeps, ad summũ dignitatum apicem assumpto totus Prædicatorum Ordo, talem

ingemuit sibi eripi Generalem Magistrum, nobisque Patrem: At re melius inspecta, mærorem depulit. Equum enim fuerit, vt te, quem ad omnes partes egregie implendas, natura comparatum, demiratur Orbis: alia auita nobilitate decores, alia conuersatione per mulceas, quædam sapientiæ splendore perfundas, hæc prudentia dirigas, illa solicitudine procures. Vt ergo te, qui omnibus virtutum dotibus mire vales; omnes fruantur, omnes te, pio ambitu numerent inter suos. Cathalonia, quæ ex antiquissima, iuxta ac nobilissima, *Dei gratia*, Comitum de Peralada, Vicecomitum de Rocaberti; Marchionum de Anglesola, &c. stirpe te genuit, te numeret suos inter Dynastas Procerem. Nostrum hoc D. Thom. Complutense Musæum in quo Theologiæ primitias magno cum fænore redditurus accepisti, amantissimum inter alumnos, Vniuersitas Valentina inter astra clarissima luminare maius, Prouinciæ Aragoniæ cui Præsul fuisti Præfectus, inter Præsules Patrem. Vniuersus Prædicatorum ordo inter Magistros Generales Spectatissimum, Valentina Sedes inter Sanctissimos Heroes clarum Antistitem, nuncque fidei Supremum, & in toto Hispaniarum Orbe Generale Tribunal inter rectissimos Præsidem veneretur dignissimum. Sed cum in

te,

te,qui ad omnia natus videris,hoc cum primis ni-
teat, nimirum ſtudium promouendi doctrinam
Angelici Præceptoris, cuius cum nomine affectus
tibi ſemper idem, vt demonſtrat hoc opus, quod
eo aſpirante præueniſti,& adiuuando proſequeris,
noſque proſequimur, ea ſane mente, vt quod te
auctore incepit, te Mecœnate fidem videat; id cir-
co opus,quod primam lucem in gremio tuæ pro-
tectionis aſpexit, modo cum adoleuit, ſub vmbra
manus tuæ protegi cupit,non vt ſedeat,ſed vt cur-
rat,curſus enim eſt,& vt currens non habeat offen-
diculum.Te ergo,quocumque ieris,ſequitur, nam
nos te,quocumque,ieris ſequimur, nec à tuis aſpe-
ctibus patimur auelli, more illius, inſtar miraculi
floris (Heliotropion dicimus) qui ſolem quaque
verſus incedat, ſenſim circum acta quærit. Nam
Orientem obuia excipit,exaltatum in meridie ſuſ-
picit, Occidentem inſequitur. Haud aliter obuijs
manibus te Orientem Orbi litteratio in hoc mu-
ſæo excepimus,eleuatum in culmine Dominicanæ
præfecturæ venerabundi ſuſpeximus: quaſi à no-
ſtris obtutibus auulſum, vt alterum Eccleſiæ irra-
dies hæmiſphærium auide inſequimur. Tuo ergo
tuum opus patrocinio foue, nobiſque tuam bene-
dictionem depoſcentibus faue, dum ſuplices Nu-

men

men exoramus, vt incolumem te Ecclesiæ, Ordini, nobis, ad multos annos custodiat, Compluti die 15. Septembris anni 1697.

PRO COLLEGIO S.TH. COMPLVTENSIS.

Tuæ Exc^{mæ} Dominationis humillimus filius.

Fr. Didacus de la Flor, Rector.

LI-

LICENCIA DE LOS SVPERIORES.

TIene el Colegio de Santo Thomàs de Alcalà licencia del M.R.P.M.Fr. Luis de Villazàn, Provincial de la Provincia de España, Orden de Predicadores; del Ordinario, y del Consejo Supremo de Castilla, para imprimir vn Libro, intitulado: *In Vniuersam Aristotelis Logicam Quæstiones*; el qual aprobaron por la Religion los M.RR.PP.MM. Fr. Jacinto de la Parra, Calificador de la Suprema; y Fr. Pedro del Moral, Prior del Convento de Santo Thomàs el Real de Avila. Por el Ordinario, el Reverẽdissimo Padre Maestro Fr. Pedro de Paniagua, Predicador de su Mageſtad, Cathedratico de Durando de la Vniversidad, y Rector del Colegio de San Agustin de Alcalà. Por el Consejo, el Doctor Don Antonio de Medina, Confessor del Real Convento de la Encarnacion de Madrid.

SV-

SVMA DEL PRIVILEGIO.

TIene privilegio el Colegio de Santo Thomàs de Alcalà, por tiempo de diez años, para que nadie, ſin ſu licencia, pueda imprimir eſte libro, intitulado: *Collegij Sancti Thomæ Complutenſis in Ariſtotelis Logicam Quæſtiones*, que juntamente es privilegio para todo el Curſo, como conſta dèl miſmo. Dado en Madrid à diez y ſiete de Enero de mil ſeiſcientos y noventa y ſeis.

SVMA DE LA TASSA.

TAſſaron los Señores del Conſejo eſte libro, intitulado: *Collegij Sancti Thomæ in Ariſtotelis Logicam Quæſtiones*, à ſeis maravedis cada pliego, como conſta del teſtimonio. En Madrid à tres de Febrero de mil ſeiſcientos y noventa y ſeis.

IN

IN VNIVERSAM ARISTOTELIS LOGICAM QVÆSTIONES.

PROOEMIVM.

1 EA est humanæ mentis infirmitas, vt vix in limine offendat; aggredimur Logicæ explanationem., & ecce vix scientes, de quo loquimur, cogimur gradum sistere plurimis hinc inde subortis dubijs circa naturam, circa obiectum, circa Logicæ attributa. Plura ex his in dubium vocari solent, sed aliqua extra controuersiam statui consueuerunt; quare acturi statim diligentiùs de reliquis, hæc leuiori calamo præmittere operæ prætium duximus, nimirum nomen, diffinitionem, diuisionem, existentiam, & vtilitatem Logicæ.

NOMEN, & DIFFINITIO.

2 SI nominis origo attendenda sit, Logica idem valet, ac scientia *Sermocinalis*, siue *rationalis*, Logos quipè nomen est Græcum, quod latinè redditum sonat sermonem, verbum, rationem. Si vt scientia, seu vt ars sermocinalis attendatur, *Logica* non est proprium nomen facultatis, quam aggredimur explicandam, sed est nomen commune sub se comprehendens quamlibet facultatem rectè, ordinatè, siue metricè loqui docentem, vt Grammaticam, Rethoricam, & Poæsim: vt tamen scientia rationalis *Logica* iam designat scientiam hanc, cuius explanationi accingimur, quæque merito dicitur inter reliquas scientia rationalis, quia speciali iure dirigit rationem ministrando ei media, quibus posit certò Scopum veritatis attingere. Hinc diffinitur Logica *facultas præscribens intellectui modum indagandi veritatem*, idest, doctrina, cuius regulis instructi faciliùs, atque

A com

commodius cognoscimus modum sciendi, iuxta ea, quæ amplius infra ex ponemus.

DIVISIO.

3 Diuiditur 1. Logica in naturalem, & artificialem. Naturalis est *vis, quâ naturaliter pollet intellectus ad conficiendum ex principijs lumine naturæ notis aliquas diffinitiones, diuisiones, & discursus.* Insunt enim nobis, seu in nostro intellectu quædam vniuersalia principia, quæ statim euidenter cognoscimus, & ex quibus sic euidenter cognitis possumus, nullius artis spectata cultura, aliquarum comparare notitiam veritatum, hæcque naturalis vis intellectus ad sic discurrendum ex illis principijs lumine naturæ notis dicitur Logica naturalis. Artificialis est *facilitas labore comparata, quæ certis, vniuersalibusque regulis dirigit intellectum ad rectè diffiniendum, diuidendum, & discurrendum.* Diximus eam esse *facilitatem*, quia nomine Logicæ artificialis, seu quæ est ars, non tam actus, quàm habitus designatur: ex quo iam oritur secunda diuisio Logicæ in actualem, & habitualem: Actualis est *collectio actuū, quibus intellectus se exercet in materia Logicæ.* Habitualis est *facilitas ad prædictos actus eliciendos.*

4 *Diuiditur* 3. Logica in docentem, & vtentem: Docens est, *quæ tradit regulas, vt intellectus in conficiendis instrumentis sciendis rectè, & sine errore procedat*: vt cum docet syllogismum, vt rectus sit, debere constare ex tribus terminis sic, vel aliter dispositis in modo, & figura. Vtens est, *quæ eiusmodi regulas applicat ad determinatam materiam*, vt cum iuxta Logicæ præscripta syllogismus conficitur ad hoc, vel illud conuincendum. Sed quia de his iterum ex professo instituendus est sermo in sequentibus, à maiori eorum pro nunc explanatione abstinemus.

5 *Diuiditur* tandem Logica in paruam, & magnam: Illa, quā sub nomine Dialecticæ tradidimus, considerat modum sciendi ex parte formæ, naturam v.g. syllogismi abstrahendo ab eo, quod propositiones, ex quibus syllogismus constat, sint veræ, vel falsæ, necessariæ, aut contingentes. Logica magna considerat modum sciendi ex parte materiæ, quibus scilicet, & qualibus debeat constare propositionibus syllogismus, vt sit demonstratiuus, ac proinde docet eiusmodi propositiones debere esse necessarias, & immediatas. Huiusmodi Logica magna, seu magna pars Logicæ, est quæ in præsenti traditur, & in varios tractatus, seu quæstiones distribuitur velut in partes integrantes; nam qui sint libri, seu tractatus integrantes Logicam paruam, eorumque explanatio, satis iam constat ex Dialectica, cuius explicationem præmisimus.

Sunt

Sunt ergo partes Logicæ magnam integrantes varij tractatus, in quibus agitur de ente rationis, de vniuersalibus, prædicabilibus, de analogis, prædicamentis, demonstratione, & scientia; cuius partitionis ratio ex dictis elicitur: cum enim finis Logicæ magnæ sit demonstratio, quæ syllogismus est faciens scire, opportet, præter notitiam ipsius scientiæ, tradere quales debeant esse propositiones, ex quibus constituenda sit demonstratio, vt scientia generetur, illæ enim, vt diximus, debent esse propositiones necessariæ, essentiales, & per se tales: sed vt constet, quæ sint propositiones necessariæ, essentiales, & per se tales, omnes illi tractatus requiruntur: ergo rationabiliter distribuitur Logica in tractatus prædictos. Prob. min. vt constet, quæ propositio sit necessaria, essentialis, & per se talis, debet cognosci quæ prædicata habeant per se cōnexionem cum subiectis, quod nequit cognosci, nisi rebus singulis ad sua prædicamenta redactis; idque obtineri non potest sine notitia eorum, quæ simpliciter, & eorum, quæ secundumquid conueniunt, idest, vniuocorum, & analogorum, sine notitia præterea prædicabilium, inter quæ recensentur prædicata superiora, quæ per se, & quæ per accidens dicuntur de inferioribus; cognitio deinde prædicabilium à cognitione pendet vniuersalium, & horum cognitio à cognitione sui quasi generis, entis scilicet rationis, maximè pendet: exacta ergo notitia propositionum, quæ sunt materia demonstrationis haberi nequit, sine supradictis quæstionibus, siue tractatibus.

EXISTENTIA, ORIGO, & vtilitas.

6 EXistentiam Logicæ pluribus possemus euincere; sed in re adeò perspicua, vna vel, altera ratio superest; negari quippè nequit naturam in necessarijs non defficere, non solum quæ ita necessaria sunt, vt sine eis finis nullo modo posit obtineri, verùm, & quæ necessaria dicuntur, quia medijs eis commodius, & faciliùs finis obtinetur, vt tot artes ad plura solum secundum quid necessaria destinatæ conuincunt: sed ad adquirendas scientias, quarum existentia euidens est, necessaria est, saltim secundū-quid Logica, quæ modum sciendi, seu adquirendi scientias tradit: negari ergo non potest Logicam existere. *Accedit* ad hoc, quod homini necessarius est discursus, per vtilisque modus disserendi, & in vtroque errare potest: existit ergo ars dirigens rationem, vt sine errore differat, & discurrat: hæc est Logica: ergo existit Logica.

7 *Quoad* Logicæ originem comperiendam prænotari opportet, quod tripliciter possunt obtineri scientiæ, per infusionem, per in-

inuentionem, & per disciplinam, totque modis Logica pro temporum varietate suam trahit originem. Per infusionem quidem in Adamo, qui illam à Deo infusam (sicut, & reliquas scientias) accepit. Per inuentionem autem scientiam adquirit, qui proprij ingenij marte, nullo exteriori fultus disciplinæ subsidio eam cõparat, quatenus ex communibus principijs ad aliquas priùs sibi ignotas veritates progreditur parans ex hoc sibi viam ad plures in eadem materia demonstrandas conclusiones. Per disciplinam habetur scientia, quando ratio naturalis exteriori adiuta Magistri subsidio peruenit ad cognitionem veritatis. Logicam haberi, seu obtineri per disciplinam quotidiana firmat experientia, sicut, & per infusionem primum suum originem habuisse in Adamo cõmunis sententia sustinet; quam D. Thomas corroborat 1. p. q. 94. art. 1.

8 *Circa* inuentionem autem aliquale est dissidium: Cum enim Logica (idem de reliquis scientijs) non solùm infusa sit Adamo, sed ad hoc sit infusa, vt ab ipso ad eius posteros quasi per manus tradita deueniret, fit consequens, quod eam nullus simpliciter adinuenerit: & ita quidem sentimus, nam antequam illuxissent Græciæ Philosophi, plures recensentur ab historicis Doctores, qui Logicam ad scientias, quibus erant præditi, maximè necessariam optimè percallebant. Cum hoc autem stat, quod nonnulli de Logica optimè meriti inuentorum titulo sint insigniti, vel quia partis Logicæ fuerunt instauratores, vel quia Logicam hominum incuria oblivioni ferè traditam cœperunt reparare, eam suis lucubrationibus illustrando. Hinc inuentores recensentur sophisticæ Zeno, diffinitionis Socrates, diuisionis Plato, prædicamentorum Architas, artis syllogizandi Aristoteles, qui tamen Logicam ab innumeris, quibus scatebat mendis in veteribus Philosophis, expurgando, lauream pro opè meruit inuentoris.

9 *Vtilitatem* denique Logicæ clarè cognoscet, qui plurima attenderit encomia, quibus à Patribus, Philosophisque passim commendatur. Inquiunt enim languere Rethoricam sine Logicâ, Poæsimque, & historiam, nec honestate gaudere, nec decentia, si Logica desit; Logicæ expertem, nec iuris prudentiæ, nec Medicinæ posse esse participem: ad Sacræ Scripturæ intelligentiam non minus necessariam esse Logicam, quàm ad decem prædicamenta; ea quipè sola (teste Clemente Alexandrino lib. 1. stromatum) veluti manuducit ad veram sapientiam, & reddit id, quod est optimum, & præstantissimum, vt rectè cognoscamus hominemque, Deumque. Quod si aliqui SS. PP. execrantur Dialecticos, nõ propterea vsum, sed abusum Logi-

gicæ execrantur: neque enim, teste D. Aug. lib. 1. contra Cresc. con. cap. 1. propterea pro Patria non est armandus miles, quia nonnulli contra Patriam arma sumpserunt; imò quia Logicæ abusus inutilibus, & siccis cauillis in sanam Doctrinam insurgit, exercenda est Logica; nam ex D. Hyeronimo super Ezechielem: *Quidquid in hoc sæculo peruersorum dogmatum est, hac arte subuertitur, & instar incendij in cineres, fauillasque dissoluitur.*

QVÆST. I.

Procemialis.

1 INter ea, quæ in ipsa Logicæ fronte affingi solent, vt eidem honorem, amoremque concilient, super sunt plura, quæ diligentius sibi vindicant examen. Huiusmodi sunt materia, obiectum, modus procedendi, simplicitas, & necessitas, circa quæ tot sunt authorum placita, vt nihil possit decerni, nisi iusto certamine fuerit conquisitum.

ARTIC. I.

Quod sit obiectum materiale Logicæ.

2 PEndet omnino resolutio sequentium difficultatum à notitia obiecti Logicæ; nesciens enim, de quo sciētia tractat, nihil circa illam potest certè diffinire: id circo compellimur ante omnia de obiecto Logicæ instituere sermonem.

§. I.

Aliqua praenotantur.

3 NOtandum est 1. obiectum scientiæ esse rem, quæ obijcitur scientiæ, vt ab ipsa contemplanda. Inter obiectum, & subiectum scientiæ aliquod sanè discrimen intercedit: nam obiectum quid complexum est, nempè conclusio, in qua propria passio de aliquo subiecto demonstratur. Subiectum vero est aliquid in complexum, nempè subiectum ipsum conclusionis demonstratæ, cuius scientia causas, & passiones quærimus. Vsus tamen frequenter confundit hæc nomina, cui nos morem gerentes obiectum, & subiectum pro eodem indistinctè vsurpabimus: pro eo scilicèt, de quo passiones in scientia demonstratur.

4 Diuiditur obiectum in formale, & materiale: formale est, *quod attingitur per se*, materiale, *quod attingitur ratione alterius*; vt color est obiectum formale potentiæ visiuæ, quia per se videtur: corpus vero est obiectum materiale, quia videtur ratione alterius, nempè coloris. Obiectum formale aliud est formale *quod*, aliud est formale *quo*. Formale *quod* est *quod at-*

tingitur per se dependenter tamen ab alterius determinatione. Formale *quo* est *ratio vltimo determinans obiectum, vt possit attingit*: vnde color est obiectum formale, *quod* potentiæ visiuç, quia non videtur per accidens, sed per se, dependenter tamen à luce, per quam vltimo, & complete redditur visibilis: lux vero est obiectum formale *quo* potentiæ visiuæ, quia per illam vltimo completur visibilitas coloris.

5 Rursus obiectum formale, aliud est adæquatum, aliud inadæquatum: adæquatum est *quod attingitur per se, & ratione cuius cætera omnia attinguntur*: inadæquatum est *pars obiecti formali*, vnde obiectum formale adæquatum visus est color, quia per se videtur, & ratione ipsius cætera videntur: albedo vero est obiectum formale inadæquatum, quia est pars, siue species particularis contenta sub colore. Obiectum formale adæquatum scientiæ pluribus solet nominibus nuncupari; dicitur enim obiectum attributionis, obiectum per se, primarium, specificatiuũ: *attributionis* quidem, quia quidquid in scientia tractatur, illi attribuitur, cum omnia propter ipsum plenè intelligendum considerentur; *per se*, quia quod scientiæ obijciatur, illi non accidit, sed per se conuenit, non enim attingitur ratione alicuius accidentis, sed immediatè ratione sui. *Primarium*, quia ipsius contemplatio est finis per se primo intentus à scientia: *Specificatiuum*, quia ab ipso desumitur species: vnitas, & distinctio scientiæ. Vnde, vt aliquod sit obiectũ formale adæquatum merito solent tres conditiones assignari. Prima, vt subse contineat omnia, quæ in illa scientia considerantur, proindeque de omnibus debet prędicari in recto, vel in obliquo, vt quia in Theologia obiectum formale adequatũ est Deus, quidquid in ea tractatur, vel est Deus, vel attingitur, vt aliquo modo pertinens ad Deum. Secunda conditio est, quod illius cognitio principaliter intendatur à scientia. Tertia, quod illam scientiam à cæteris alijs distinguat.

6 Obiectum materiale etiam est duplex, aliud denominabile à formali, aliud non denominabile: denominabile est, *quod in se recipit formale, & ab ipso denominatur*, vt corpus est obiectum materiale denominabile, quia recipit in se obiectum formale potentiæ visiuæ, nempè colorem, & coloratum à colore denominatur; non denominabile, *quod in se non recipit obiectum formale, sed attingitur per ordinem ad illud*, vt vmbra, quæ in se colorata non est, sed attingitur in directè, quatenus est priuatio lucis intensioris. Haud aliter in Logica, & in reliquis artibus duplex est materia, siue obiectum materiale, alia denominabilis ab artis compositione, vt lapides, & ligna, quæ

quæ in se recipiunt compositionem, & denominantur domus: alia purè dirigibilis, vt operationes manuales ipsius Artificis, quæ in se non recipiunt compositionem, nec denominantur domus, diriguntur tamen ab arte, & ab ipsa considerantur, quatenus dicunt ordinem ad artificiosam compositionem.

7 Notandum est secundo in materia, circa quam versatur Logica, plura concurrere, de quibus merito dubitatur qua ratione ad obiectum Logicę pertineant; v. g. in hac diffinitione *animal rationale* inuenimus voces, conceptus, & obiecta, quæ rursus considerari possunt secundum proprias naturas, vel prout dirigibilia in modum diffinitionis, vel, vt rectè ordinata influxu, & directione Logicæ.

8 Tertio notandum est ens esse duplex, reale scilicèt, & rationis, reale est *quod in rerum natura potest existere independenter à consideratione intellectus*, ens rationis est, *quod tantum habet esse per considerationem intellectus*. Difficultatem præsentis resolutionis, vel ex mira sententiarum varietate licet conijcere. Nam ab obiecto materiali censent aliqui excludendas esse voces significatiuas. Obiectum vero formale *quod* constituunt plures in dirigibilitate actuum intellectus, alij in eorum formali rectitudine, quæ consistit in recta repræsentatione obiectorum. Alij in actuali cognitione, per quam obiecta denominantur extrinsecè disposita, & ordinata: alij in formali veritate actuum intellectus, alij in forma rationis resultante in obiectis ex consideratione intellectus.

§. II.

Voces vt significantes instrumenta sciendi sunt obiectum materiale Logicæ.

9 Non *contendimus* voces, vt significantes instrumenta sciendi esse materiam denominabilem ab artificio Logico, sed esse materiam, circa quã versatur Logica saltim secundario ex proprijs, & non purè ex subsidio Grammaticæ. Sentiunt nobiscum Scotus, Sanchez, Araujo, Prado, Lince. Nominales, Echalaz, Quiros, Pater Lince, S. Cruz, Villanueua, Spinula, contra Conimb. Rubio, Suar. Compton Carleton, Arriaga, Hurtado, Amicum, & alios RR.

10 *Sed vt* clarius percipiatur in quo sensu iudicemus veram propositam conclusionem, advertendum est, seu explicandum, quid nomine vocum *vt significantium instrumenta sciendi* intelligamus, seu quid sit voces significare instrumenta sciendi, quod ipsis exemplis fiet manifestum. In hac quipè hominis diffinitione *animal rationale*, si à Grammatico roges, quid signi-

ficet ly *animal* respondebit, quod significat principium sentiendi, sicut & ly *rationale* principium discurrendi : eidem autem interrogationi Logicus respondebit, quòd ly animal significat ibi principium sentiendi per modum generis, seu prædicati communis, in quo convenit animal cum aliјs à se distinctis, & rationale significat principium discurrendi vt differentiam contrahentem rationem communem animalis ad talem animalis speciem, hominis scilicèt, ex vtroque illo prædicato constitutam.

Similiter in hac propositione *homo est animal*. Grammaticus dicet, quòd ly *homo* significat hominem, Logicus addet, quod significat illum per modum *subiecti*, de quo aliud dicitur; Grammaticus item dicet, quod ly *est* significat identitatem ; Logicus addet, quod significat illam per modum *copulæ* vnientis prædicatum cum subiecto : & idem denique de illa voce *animal*, de qua, præter principium sentiendi, quod dicet Grammaticus ab ea significari, docebit Logicus illud significari per modum prædicati, quod dicitur de alio, & quod supponit pro eodem, pro quo supponit homo. Prima igitur significatio docetur à Grammatica, nam illa convenit vocibus ex vi suæ primariæ impositionis : de secunda autem non curat Grammatica, sed Logica, ad quam sicut spectat instrumenta sciendi præparare, pariter pertinet docere eam secundariam significationem, quæ latet in vocibus, & qua ex vi alicuius impositionis secundariæ extenduntur ad significandas res, vt ex Logicæ directione artificiosè conceptas, quomodo dicuntur significare instrumenta sciendi, & quomodo pertinere ad Logicam, vt in conclusione asserimus.

11. *Prob.* 1. ex Philosopho, qui 1. de interpræt. cap. 4. disserens de speciebus orationis vocalis, ait : *Orationes igitur cæteræ ommittantur, ad oratoriam enim Artem, aut Poesim illa magis consideratio pertinet : enuntiatiua præsentis est propria contemplationis* : ergo Dialectica iuxta Philosophum ex proprijs contemplatur orationem vocalem enuntiativam. Favet præterea Angelicus Præceptor 1. periherm. lect. 1. dicens : *Significatio vocum, quæ est immediata ipsis conceptionibus intellectus, pertinet ad principalem considerationem Logicæ*; ergo significatio vocum, qua significantur res vt immediatè conceptæ artificiosè spectat ad principalem considerationem Logicæ : ergo talem significationem ex proprijs considerat Logica, & non purè ex subsidio Grammaticæ aliàs falso diceretur, quod de ea signifi-

nificatione agit Logica principaliter.

12 *Prob.* *insuper* ratione. Voces istæ *animal rationale* significant quoddam instrumentum sciendi, quatenus significant animalitatem per modum generis, & rationalitatem per modum differentiæ, prout sic enim significant diffinitionem hominis obiectivam, quæ est quoddam instrumentum sciendi: sed docere voces illas significare ea prædicata per modum generis, & differentiæ spectat per se ad Logicam: ergo voces illæ, vt significantes instrumentum sciendi spectant per se ad Logicam. Prob. minor. illa scientia docet voces illas significare ea prædicata per modum generis, & differentiæ, ad quam per se spectat reddere rationem, cur significent talia prædicata per modum generis, & differentiæ: sed reddere hanc rationem spectat per se ad Logicam: ergo ad Logicam per se spectat docere voces illas significare ea prædicata per modum generis, & differentiæ. Prob. minor. interroganti cur voces illæ significent ea prædicata per modum generis, & differentiæ, rectè, & à priori respondebitur, quia instrumentum sciendi, quod significant, diffinitio scilicèt obiectiva debet constare, ex genere, & differentia: sed hanc rationem per se, & ex proprijs exhibet Logica: ergo ad hanc per se spectat reddere rationem, cur voces illæ significent ea prædicata per modum generis, & differentiæ.

13 *Confirm.* 1. & explicatur. Scientia, quæ per se, & ex proprijs docet, quid sit diffinitio vocalis, est scientia, ad quam per se spectat diffinitio vocalis: sed Logica est scientia, quæ per se, & ex proprijs docet, quid sit diffinitio vocalis: ergo ad eam per se spectat diffinitio vocalis. Prob. minor. Logica per se, & ex proprijs docet, quod diffinitio vocalis nil aliud est, quàm voces vt significantes prædicata alicuius per modum generis, & differentiæ, vt ex regulis Dialecticæ constat: sed in rei veritate diffinitio vocalis nil aliud est, quàm voces, vt significantes prædicata alicuius per modum generis, & differentiæ: ergo Logica per se, & ex proprijs docet quid sit diffinitio vocalis.

14 *Confirm.* 2. Logica per se, & ex proprijs docet, quod hæc vox *homo* ita significat hominem, vt sit terminus communis, non singularis, concretus, non abstractus, absolutus, non connotatiuus, & alia huiusmodi plura, de quibus, nec verbum personat in Grammatica: ergo docet hunc modum significandi latentem in vocibus sine ope, & subsidio Grammaticæ. Patet conseq. quia

non

nequit esse ex subsidio Grammaticæ id, quod Grammaticam omnino subterfugit, seu quod est omnino extra limites Grammaticæ.

15 *Denique* ex hoc vrgetur à priori. Ad scientiam per se spectat id, de quo scientia plures proprietates demonstrat: sed de vocibus, vt significantibus instrumenta sciendi plures proprietates demonstrat Logica, vt videre licet in suppositione, ampliatione, restrictione, appellatione, oppositione, in quarum expositione integros absummit libros, & quæ sunt propria vocum, vt significantium instrumenta sciendi: ergo ad Logicam per se spectant voces, vt significantes instrumenta sciendi.

§. III.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

16 Obijcies 1. voces, vt significantes instrumenta sciendi sunt voces, vt significantes res eo modo, & ordine, quo concipiuntur: sed tradere voces significantes res eo modo, & ordine, quo concipiuntur, ad solam pertinet Grammaticam, cui incumbit, ministrare voces, quibus intellectus exprimat quidquid concipit, & eo modo, quo concipit: ergo tradere voces, vt significantes instrumenta sciendi ad solam pertinet Grammaticam.

17 *Resp.* disting. mai. eo modo, quo concipiuntur absolutè, & independenter à Logicæ directione, conc. mai. quo concipiuntur artificiosè, & ex Logicæ directione, neg. mai. & disting. min. quo concipiuntur absolutè, & independenter à Logicæ directione, conced. min. quo artificiosè concipiuntur, & ex Logicæ directione, neg. min. & conseq. Voces illæ *animal rationale* significant, vt componunt diffinitionem vocalem hominis, ea prædicata per modum generis, & differentiæ, & vt quoddam instrumentum artificioso modo ignoti manifestatiuum, de quo artificio curat Logica, non Grammatica, cuius muneris solum est, quod voces congrue se habeant quoad genus, numerum, & casum. Hinc in Logicam peccat, non in Grammaticam, qui vitiosos construit syllogismos, aut redundantes conficit diffinitiones, dummodo ea proferat congruo sermone.

18 *Sed instabis* 1. voces illæ significant quoddam instrumentum sciendi ex vi suæ impositiones, ex qua sunt ad illud significandum destinatæ; ex impositione quippè habet vox, quod hoc, vel illud significet: sed ad solam Grammaticam spectat docere, quæ significatio ex vi suæ impositionis correspondeat vnicuique voci: ergo ad eam solam spectant voces illæ, vt significantes instrumentum quoddam sciendi.

In-

19 *Instabis* 2. tradere voces ad significandas res, vt concipiuntur ex directione Philosophiæ, non pertinet ad Philosophiam, sed ad Grammaticam: ergo tradere voces significantes res, vt concipiuntur ex directione Logicæ, non pertinet ad Logicam, sed ad Grammaticam.

20 *Instabis* 3. voces illas *animal rationale* esse diffinitionem vocalem hominis nescit purus Logicus: & tamen talis diffinitio vocalis per se pertinet iuxta nos ad Logicam: ergo & si eam esse diffinitionem vocalem hominis nesciat purus Grammaticus, poterit nihilominus ea diffinitio vocalis pertinere per se ad Grammaticam. Mai. constat ex eo, quod qui nescit an animal, & rationale significata per illas voces componant essentiam metaphisicam hominis, nequit scire, quod voces illæ significent essentiam hominis metaphisicam, ac proinde, nec quod significent genus, & differentiam hominis, in quorum significatione stat per nos essentia diffinitionis vocalis: Sed purus Logicus nescit an ea prædicata componant essentiam metaphisicam hominis, hoc enim spectat ad Philosophiam, quæ hominis naturam speculatur: ergo.

21 *Denique* instabis. Voces illas esse diffinitionem vocalem hominis ille cognoscit, qui scit, & quod significent principium sentiendi, & discurrendi, & quod principium sentiendi sit prædicatum commune, discurrendi vero prædicatum particulare: sed quod voces illæ significent principium sentiendi, & principium discurrendi docet Grammatica; & aliàs quod vnum sit prædicatum commune, aliud particulare, non docet Logica, sed supponitur ex Philosophia prædicata constitutiua hominis speculante: ergo ad Logicam ex nullo capite attinet per se diffinitio vocalis hominis.

22 *Resp.* ad 1. instantiam, disting. maior. ex vi suæ impositionis primariæ, neg. maior. secundariæ, conced. maior. & disting. minor. ex vi suæ impositionis primariæ, conced. minor. secundariæ, neg. minor. & conseq. Voces primò sunt impositæ ad significandas res absolutè, sicut eas absolutè primò concipimus; secundario autem, & ex consequenti extenduntur ad significandas res, vt secundis intentionibus vestitas, qua ratione eas concipit secundario intellectus. Priori impositioni correspondet significatio Grammatica, iuxta quam ly *homo* significat hominem in hac propositione, *homo est animal*, secundæ vero impositioni correspondet significatio Dialectica, iuxta quam ly *homo* significat ibi hominem per modum subiecti: Et licet hæc secunda significatio sit, & exerceatur in voci-

cibus, quas tradit Grammatica, de ilia tamen Grammatica non curat, vtpotè ad Grammaticæ finem non conducente.

23 *Ad* 2. instantiam, concesso anteced. neg. conseq. Philosophia quipè, vtpotè scientia realis, agit de rebus, vt in se sunt realiter, ac proinde agit de eis, vt absolutè significabilibus, qua ratione significantur per voces ex vi primariæ impositionis, quæ spectat ad Grammaticam: at Logica, quia scientia rationalis, agit de rebus, non vt sunt in se absolutè, sed vt secundo intentionaliter conceptis, quomodo non significant voces res ex vi suæ impositionis primariæ, sed ex consequenti, & vi impositionis secundariæ, de qua non curat Grammatica. Hinc aliæ scientiæ vocibus agunt de suis obiectis, sed non agunt de ipsis vocibus; Logica autem, & vocibus agit, & de vocibus: sicut propter eandem reflexionem, & artificium, non solum agit cognitione scientifica de suis obiectis, vt aliæ scientiæ, verum agit de ipsa cognitione scientifica, qua attingit obiecta.

24 *Ad* 3. instantiam disting. maior. nescit, quoad substractum, conced. maior. quoad formam, neg. maior. & concessa min. vel neg. conseq. vel disting. conseq. quoad substractum, de quo non est litigium, omit. conseq. quoad formam, neg. conseq. diffinitio vocalis formaliter sumpta consistit in vocibus, vt significantibus per modum generis, & differentiæ, quælibet, & cuiuscumque sit illa diffinitio, & hoc ita innotescit regulis Dialecticæ, vt nullius artis adminiculo indigeat. Dum autem in praxi conficienda est aliqua peculiaris diffinitio vocalis, hominis v. g. plures concurrunt artes, seu scientiæ ad illam conficiendam. Concurrit Phisica docens, quod principium sentiendi, & principium discurrendi sunt prædicata metaphisica hominis, quibus exprimēdis ministrat voces Grammatica: sed cum diffinitio hominis formaliter sumpta, non stet in illis prædicatis absolutè, sed vt artificiosè conceptis cū secunda intentione generis, & differētiæ, quod artificium ad solam spectat Logicam; pariter ad Logicam solam spectant voces illę, vt significantes illud artificiū, de qua significatione non curat Grammatica, & in qua consistit formaliter diffinitio vocalis. Adiuuant ergo se mutuo scientiæ, & facultates ad illam diffinitionem conficiendā, ac proinde eis indiget Logica, sed non indiget eis ad formam artificiosam, & eam significationem secundariam, de qua est litigium, sicut nec illæ Logica indigent in his formaliter, quæ ad vnamquamque spectant.

25 *Hinc* ad vltimam. disting. mai. qui scit ea absolutè, neg. mai. qui scit ea, vt stant sub secunda intentione artificiosa generis, & differentiæ, conced. mai. & di-

sting.

sting. min. quoad rationem substracti absolutè, conced. minor. quoad rationem formalem prædicati communis, & particularis, neg. min. & conseq. Ea quipè, quæ referuntur in præmissis, si absolutè inspiciantur, sunt substracta secundæ intentionis generis, & differentiæ, ac proinde communitatis, aut particularitatis logicè sumptarum: ex quo solum sequitur, quod substractum formæ diffinitionis obiectiuæ pertineat ad phisicam, sicut, & substractum formæ diffinitionis vocalis ad Grammaticam: aliter inferretur, quod ad diffinitionem illam conficiendam inutilis prorsus esset Logica.

26 *Obijcies* 2. id, cuius proprietates Logica demonstrat, est obiectum formale Logicæ: ergo, vel Logica non demonstrat proprietates vocum, vt significantium instrumenta sciendi, vel illæ sunt obiectum formale, & non solum materiale, Logicæ.

27 *Confirm.* 1. si Logica ageret per se de vocibus, esset scientia vocalis, seu sermocinalis, ac proinde non differret à Grammatica, Rethorica, & Poæsi, quæ quia agunt de vocibus, artes sermocinales dicuntur: consequens est falsum, cum Logica sit scientia rationalis, & per hoc ab ennumeratis differat: ergo Logica non agit per se de vocibus. Quod intendisse videtur Aristoteles docès, quod Rethoricus est ad alios, Logicus vero ad se; quia scilicèt Rethoricus agit de vocibus, quibus persuasio intenta obtinetur, Logicus vero agit de conceptibus, quibus independenter à vocibus, assequitur veritatem.

28 *Confirm.* 2. finis Logici non est instruere alios, sed se ipsum, & cōparare sibi modum rectè procedendi in indagatione veritatis: sed ad hunc finem voces non sunt necessariæ: ergo non sunt Logico necessariæ ad proprium finem. Quod clarius constat *tùm* ex eo, quod in Angelis, & in hominibus mutis datur Logica, quin in eis vllæ sint voces, quas possit dirigere. *Tùm* quia aliàs pro diuersitate Idiomatum, diuersificaretur Logica, sicut ob hanc rationem Hæbraica, & Græca sunt Grammaticæ diuersæ.

29 *Vrgetur.* Voces non sunt materia denominabilis ab artificio Logico, nam hoc solum recipitur in obiectis, vt constabit art. 2. sed vlterius non apparet quomodo sint materia purè dirigibilis: ergo nullo modo sunt materia, seu obiectum materiale Logicæ.

30 Resp. disting. antec. cuius proprietates per se primò demonstrat, conced. antec. cuius proprietates absolute demonstrat, neg. antec. & conseq. Plura quipè demonstrat Theologia de vitijs, & peccatis, quin propterea sint obiectum formale illius, sed solus Deus, per attributionem ad quem demonstrat omnia: ergo similiter Logica plura de

vocibus, sed quia hæc omnia demonstrat quatenus signa sunt modi sciendi obiectiui, ideò in hoc, & non in vocibus stat ratio obiecti formalis Logicæ.

31 *Ad* 1. *confirm.* disting. mai. si ageret tamquam de materia primaria, seu magis principali, conced. mai. tamquam de materia secundaria, seu minus principali, neg. mai. & sub eadem distinctione min. neg. conseq. Hinc differunt Rethoricus, & Logicus in fine per se intento, nam cum finis per se intentus à Rethore sit persuadere alios, agit per se primo de vocibus, quarum ordinata dispositione finem consequitur: finis autem præcipuus Logicæ est cognitio scientifica modi sciendi, directioque operationum intellectus, ideoque ab hac principali materia, quam dirigit, dicitur scientia rationalis: cum quo tamen stat, quod secundario extendatur ad directionem vocum, in quibus velut in signo propriũ artificium splendet; sicut medicina agit de pulsu, vt de signo sanitatis, quam per se intendit.

32 *Ad* 2. *confirm.* constat ex dictis, quod finis primarius Logici est instruere se ipsum, non alios, cum quo tamen stat, quod ad aliorum instructionem etiam extendatur. Hinc Logico non sunt absolutè voces necessariæ, quia potest Logica haberi per inuentionem sine vllo exterioris Magistri subsidio: vt tamen habeatur, vt communiter habetur, per disciplinam, voces sunt maximè necessariæ, cum Logica sit scientia, quæ non solum scientes faciat, sed & doceat docere, vt ex D. Aug. constat lib. 1. de ordine, cap. 13. Nec ex hoc infertur, quod pro diuersitate idiomatum diuersificetur Logica, ad quam per accidens se habet diuersitas vocum; vox enim significans plura diuisim in quocumque idiomate ea significet, est terminus communis.

33 *Ad id*, quo omnia vrgentur, resp. quod Logica agit de vocibus, vt de signis modi sciendi obiectiui, quem esse obiectum formale Logicæ posteà constabit; vnde non sunt materia voces, in quibus recipiatur artificium, quod per se intendit, & considerat, ac proinde non pertinent ad Logicam, vt materia denominabilis, sed pure dirigibilis, quatenus ad directionem intentam deseruiunt vt signa quædam manifestatiua artificij, quod Logica in obiectis ad inuenit: Sed de hoc amplius art sequente, §. 2.

§. IV.

Tres operationes intellectus pertinent ad obiectum materiale Logicæ per modum materiæ dirigibilis ab ipsa.

34 EST cõmunis inter Auctores, & expressa apud S. D. in principio poster. ibi: *Logica est scientia rationalis, non solum*

lum quia est secundum rationem quod est commune omnibus artibus, sed etiam ex hoc, quod est circa ipsum actum rationis, sicut circa propriam materiam.

35 Et probatur hac ratione. Illæ operationes pertinent ad obiectum Logicæ per modum materiæ dirigibilis ab ipsa, in quibus intellectus errare potest circa inuentionem veritatis; sed intellectus potest errare in tribus operationibus circa inuentionem veritatis: ergo tres operationes intellectus pertinent ad obiectum Logicæ per modum materiæ dirigibilir ab ipsa. Mai. est certa, nam munus Logicæ est dirigere intellectum, ne erret in actibus, quibus quærit veritatem; ergo illæ operationes pertinent ad obiectum Logicæ per modum materiæ dirigibilis, in quibus intellectus errare potest circa inuentionem veritatis. Min. vero probatur: intellectus procedens confusè, inordinate, falso, aut malè, potest errare circa inuentionem veritatis; sed intellectus in prima operatione potest apprehendere confusè, & in ordinate, in secunda potest enuntiare falso, in tertia potest inferre malè: ergo potest errare in tribus operationibus circa inuentionem veritatis. Min. pro secunda, & tertia parte patet, & quoad primam probatur: potest intellectus ea, quæ inuicem distinguntur, apprehendere in distinctè, & apprehendere vnum, vt dicens ordinem, sub quo non debet apprehendi; potest enim apprehendere animal, vt omnino idem cum rationali, & vt dicens ordinem superioris ad plantam: ergo potest intellectus in prima operatione confusè, & inordinate procedere.

36 Obijc. 1. naturalis similitudo obiecti necessario est conformis suo obiecto, sed quælibet operatio intellectus est naturalis similitudo sui obiecti: ergo necessario est conformis suo obiecto; sed rectitudo operationum intellectus consistit in hac conformitate: ergo nulla potest esse defectuosa, ac per consequens, nec dirigibilis à Logica. Cætera patent, & minor primi syllogismi probatur: in hoc distinguntur voces à conceptibus, quod illæ ad placitum, isti naturaliter significant: ergo quilibet conceptus, vel operatio intellectus (quæ ad præsens pro eodem reputantur) est naturalis similitudo sui obiecti.

37 Resp. disting. mai. est necessario conformis cum obiecto, cuius est naturalis similitudo, côced. mai. cuius debet esse naturalis similitudo, subdisting. quoad prædicata primario contenta in specie, conced. mai. quoad prædicata virtualiter ibi contenta, neg. mai. & disting. min. est naturalis similitudo obiecti, quod repræsentat, conced. min. quod debet repræsêtare, subdisting. quoad prædicata primario contenta in specie impressa conced. minor. quoad prædicata virtualiter ibi con-

contenta,neg.min.& conſeq.Naturalis ſimilitudo alicuius ſemper eſt conformis illi, cuius eſt naturalis ſimilitudo; at non ſemper eſt conformis illi,cuius debebat eſſe naturalis ſimilitudo, ſed alteri, quod non repręſentaret, ſi recta eſſet.

Hoc autem reſpectu operationũ intellectus, quæ & ſi ſimilitudines naturales obiectorũ nõ ſint, ſunt tamen ſimilitudines illorum intentionales,verum habet,ſi obſerues diſcrimen diſtinctionis datæ:ſpecies enim impreſſa hominis neceſſariò repræſentat primariò,& formaliter prædicata conſtitutiua hominis,vnde operatio, quam in vi illius elicit intellectus,neceſſariò eſt conformis homini, quia illius, & non alterius prædicata repræſentat: Cæterum quoad aliquas formalitates, ſeu reſpectus, qui formaliter non cõtinẽtur in ſpecie, ſed tantum virtualiter,poteſt eſſe diſconformitas; ſi hominis v.g. prædicata concipiat intellectus ſine aliqua prorſus diſtinctione, & compoſitione, ſi concipiat hominem, vt ſpeciem ſubalternam, non infimam,ſi vt abſtractum, non concretum,aliaque huiuſmodi, quæ in ſpecie, ſeu in prædicatis per illam repræſentatis virtualiter, ſeu fundamentaliter tantùm continentur. Demus ergo intellectum non indigere directione Logicæ, vt media ſpecie hominis hominem appræhendat, ſeu cognoſcat;vt tamen illum ſic,vel aliter, hoc, vel illo reſpectu cognoſcat,indiget directione Logicæ.

38 *Si dicas.* Ideo intellectus nequit errare in cognitione prædicatorum, quæ primariò repræſentat ſpecies, quia conformatur immediatè repræſentationi ſpeciei, & ſpecies non defficit in repræſentatione ſui obiecti: ſed etiã in cognitione aliarum formalitatum, ſeu reſpectuum conformatur, vel repræſentationi ſpeciei, vel appræhenſioni primorum prædicatorum,quarum neutra defficit in repræſentatione ſui obiecti: ergo, vel vtroque, vel neutro modo poteſt errare.

39 *Reſp.* conceſſa mai. neg. min.ſi de conformitate, quæ aliter ſe habere non poſſit, ſit(vt debet)ſermo: Intellectus quipè in cognitione primaria in nullam poteſt prodire operationem, quæ ſpeciei, qua informatur, non ſit conformis, & talis ſpecies aliorũ non eſt prædicatorum ſimilitudo formalis,quam illorum,quæ ſunt formaliter in obiecto, cuius eſt ſpecies: at in cognitione aliorum reſpectuum, non conformatur neceſſario ſpeciei, quia cum hæc non niſi fundamentaliter, & virtualiter eos contineat, non ita plenè informat pro eis intellectum, vt hic non poſſit, & multoties de facto deficiat in eorum attingentia. Et quidem ſi intellectus non poſſet non conformari in hac ſecundaria, ſeu reflexa attingentia rectitudini primariæ operationis,aut ſpeciei, non poſſet,

set quidem errare in compositione, aut divisione, quę spectant ad secundam operationem intellectus, quod patet, quam sit falsum.

40 *Obijcies 2.* sicut sensus nequit decipi circa proprium sensibile, ita intellectus nequit dicipi erga simplicem quidditatem, circa quam est prima operatio, teste D. Thom. 1. p. q. 17. art. 3 sed ob hanc rationem nequit arte dirigi operatio sensus: ergo nec potest arte dirigi simplex apprehensio.

41 *Confirm.* Nulla apprehensio intellectus (idem de alia operatione) est indifferens, vt possit benè, vel malè fieri, ergo nulla est dirigibilis à Logica: Patet conseq. cum illud tantum sit arte dirigibile, quod ea indifferētia gaudet, & antec. prob. Omnis apprehensio, vel est recta, vel deffectuosa, si recta, nequit malè fieri; si deffectuosa, nequit benè fieri: ergo nulla est indifferens.

42 *Resp.* dist. mai. Ita quoad prędicata primario contēta in specie, conced. mai. quoad ea, quæ fundamentaliter, seu virtualiter continentur ibi. neg. mai. & concef. min. neg. conseq. Logica non dirigit intellectum, vt media specie hominis hominem, & nō quid aliud apprehendat; dirigit tamen ipsum, vt sic, vel aliter hominem apprehendat, in quo potest errare iuxta iam explicata. Quomodo autem intelligatur, quod sensus nequeat decipi circa proprium sensibile, dicemus in libris de Anima.

43 *Ad confirm.* resp. eodem argumento posse probari, quod operationes Artificis nequeunt arte dirigi, quia vel sunt rectæ, & sic nequeunt deffectuosè fieri, vel sunt deffectuosæ, & sic nequeunt rectè fieri. Quare neg. ant. ad cuius prob. cōcessis prę missis, neg. conseq. quia indifferētia operationum non stat in eo, quod recta possit malè fieri, vel rectè fieri deffectuosa, vtrūque enim est impossibile; sed in eo, quod operatio ex genere suo sit indifferēs, vt sit recta, vel deffectuosa; & ita directio Logicę ad hoc tēdit, vt res ita disponantur, quod existat operatio, quæ est recta, cum posset existere, quæ est deffectuosa, quod exemplo cuiuscumque artis directivę fit manifestum. An autē eiusmodi indifferentia sit intrinsecè in ipsis operationibus, vel solum in intellectu eas eliciente, & an sit dicenda indifferentia phisica, vel logica, & quæstionem continet captum incipientium superantem, & in sequentibus attingetur.

44 *Denique* obijcies Propositiones per se notæ pertinent ad secundam operationem; sed pro illis nō indiget intellectus directione Logicæ, quia circa illas nequit errare, qui enim calet terminos harum propositionum, *quodlibet est, vel non est, omne totum est maius sua parte*, fieri non potest, vt illas non concedat: ergo secunda operatio Logicę directionis non est capax.

45 *Confirm.* Syllogismi concludētes in quatuor modis perfectis primæ figuræ sunt lumine naturæ noti, ita vt nemo rationis cōpos possit

sit illis non convinci, maximè in sententia eorum, qui tenent, Logicā non esse necessariam simpliciter ad demonstrandum: at illi pertinent ad tertiam operationem: ergo actus pertinentes ad tertiam operationem sunt in defectibiliter recti subindeque Logicæ preceptis minimè dirigibiles.

46 *Resp.* 1. ommissis omnibus, neg. consequens intentum: Nam ex quo pro aliquibus propositionibus, quæ sunt lumine naturę notæ, non indigeat intellectus directione Logicæ, non ideò pro secunda operatione directione non indiget, cum aliæ suppetant propositiones ad eam operationem spectantes, quas ægrè sine directione artis intellectus cognoscet: & idem dic ad exēplum seu assumptum confirmationis: suppetunt enim plures syllogismi, non ita clare concludentes, & proquibus directio Logicæ desideatur.

47 *Resp.* 2. neg. min. ad probationem dist. antec. circa illas quoad attingētiam obiecti directè, & primariò cogniti non potest errare, conce. ant. circa illas, quoad attingentiam obiecti reflexe, vel secundario cogniti, neg. ant. quia licet sit per se notum, quod res quælibet est, vel non est, & quod omne totū est maius sua parte, quæ pertinēt ad obiectum directè, & primariò cognitum; non est per se notum, illas propositiones esse vniversales, formales, & cathegoricas, quę pertinent ad ob[illegible]ctum, vel ad intentiones secū[illegible]o, vel reflexe cognitas, ex quorum tamē cognitione pendet tum illarum dispositio ad inferendum plures, conclusiones tum solutio plurium sophismatum, quæ contra illas possunt opponi.

48 *Ad conf.* resp. dist. mai. illi syllogismi sunt lumine naturæ noti quod illationē, supposita recta dispositione præmissarum; conc. mai. absolutè, neg. mai. quia licet sit per se notum supposita recta dispositione præmissarū bene inferri consequens, non est per se notum, quomodo ad concludendum in modis perfectis primæ figuræ sint præmissæ disponendę, nec quale medium sit aptum; imò vix adolescētes difficilius quid piam reputant arte inveniendi medium.

§. V.

Sub obiecto materiali Logicæ comprehenduntur omnia entia sivè realia, sivè rationis.

49 PRobatur 1. ex Arist. & D. Tho. qui 4. metaph. lect. 4. docent metaphisicū, & Logicum agere de omnī ente. *Secundò.* Omnia, quæ ratione sui obiecti formalis potest Logica attingere, pertinēt ad obiectum materiale ipsius; sed omnia entia, sive realia, sive rationis potest Logica attingere ratione suī obiecti formalis: ergo omnia pertinent ad obiectum materiale ipsius. Mai. constat ex diffinitione obiecti materialis, & prob. min. nam ea potest Logica attingere ratione sui obiecti formalis, ad quæ se extendit eius obiectum

for-

formale; sed obiectum formale Logicæ, sunt instrumēta sciendi, nempè diffinitio, subiectum prædicatū, genus differētia, &c. & omnia possunt diffiniri, subijci, prædicari, poni sub genere, & differentia ergo.

ART. II.

Quodnam sit obiectum formale Logicæ.

§. I.

Operationes intellectus, vt dirigibiles, non sunt obiectum formale Logicæ.

50 Dirigibilitas nil aliud est, quàm potentia, seu capacitas ad actualem directionem, & rectitudinem, vnde per ordinem ad hanc debet dirigibilitas cognosci. Directio igitur est duplex; alia activa, alia passiva: Directio activa, est actus, quo ars dirigit propriam materiam, actus v. g. quo Logica docet partes exactæ diffinitionis debere esse genus, & differentiam. Directio passiva est recta partium dispositio, à qua totum formaliter denominatur rectè constructum; vt cum partes syllogismi lita sunt dispositę, vt syllogismus sit rectus, vtilisque ad suadendam, seu convincendam veritatem.

51 *Directio passiva* alio titulo solet dici dirigibilitas obiectiva. Pro quo observa; quod dupliciter dicitur aliquid dirigibile, *obiectivè*, & *subiectivè*. Dirigibile *obiectivè*, dicitur illud, quod ex sua essentia est rectum, est tamen in potentia, non vt sit rectum, sed vt existat, qua ratione actus virtutum sunt *obiectivè* dirigibiles à prudentia, non quia prudētia dictet, quomodo sint bene faciendi, hoc enim foret otiosum, nā cum ex sua essētia sint determinati ad rectitudinem, nequeunt nisi bene fieri; sed quia dictat, quomodo res disponendæ sint, vt existant hic, & nunc actus virtutū, sivè vt existat actus, qui sit virtutis, & non vitij.

52 *Hoc modo sunt* etiam dirigibiles à Logica operationes intellectus, vt opus scilicet ex se quidem rectum, sed in potentia, vt in actu exercito ponatur eius rectitudo. Lgica enim nō docet, quod syllogismus in *Darij* benè, & non malè, cōstruatur, cum nequeat syllogismus in *Darij* nisi bene fieri, sed docet, quomodo propositiones disponendæ sint, vt existat syllogismus in *Darij* potius, quam aliquis paralogismus. Similiter nō docet quomodo diffinitio sit benè facienda, cū diffinitioni sit essentialis rectitudo, sed quomodo termini disponendi sint, vt existat potius diffinitio, quam alia oratio, quæ difinitio non sit.

53 *Dicitur autem* aliquid *subiectivè* dirigibile, quia est capax rectitudinis, quam ex se non habet, vt lapides, & ligna sunt subiectivè dirigibilia, quia sunt capacia recipiendi in se formam domus; quam ex se non habet, vnde cadunt sub artis directione, quatenus ars docet, & præscribit modum, vt rectè, & non indebitè disponantur, cum talis

materia subiectivè dirigibilis sit ex se indifferens ad rectitudinem, & eius carētiam. Hoc etiam modo sunt *subiectivè* dirigibiles operationes intellectus, nam licet apprehensio in singulari sit in se, vel ita recta, vt non posit male fieri, vel ita deffectuosa, vt non possit benè fieri, tamen in ordine ad aliam operationem, seu conceptum, potest malè, disponi, vel benè, ad hunc, vel alium finem; hic enim cōceptus *animal* rectè disponitur ad repręsentādam diffinitivè naturam hominis, si coniungatur cum hoc conceptu *rationale*, & malè, si coniungatur cū hoc conceptu *ipes*, & cū vtroque est indifferenter cōiungibilis: ergo est materia ex se benè, vel malè disponibilis, ac proindè dirigibilis subiectivè à Logica.

54 *Nec hæc* dirigibilitas subiectiva talium operationum est purè logica, & pręcisiva, sed phisica, & quę supra eas operationes cadit, vt phisicè existentes, illa enim propositio (idem de alijs) *aliquis homo est albus* phisicè sumpta, & in re est indifferens, vt coniungatur cum alia vtili ad assensum alicuius conclusionis causandum potiùs quam cum omnino invtili. Vndè negamus, quod dirigibilitas subiectiva phisica sit necessario capacitas ad recipiendum intrinsecè artificium, vt aliqui in præsenti minus rectè supponunt, aliàs operationes manuales Domificatoris non essent phisicè subiectivè dirigibiles ab arte domificativa. Solum ergo requiritur ad eiusmodi dirigibilitatem capacitas phisica ad rectitudinem iuxta modum, & conditionem materiæ; vndè si hæc sit materia denominabilis, requiritur capacitas ad habendum in se intrinsecè artificium; si verò sit purè dirigibilis, exigetur capacitas ad habendum illud repræsentativè, extrinsecè, seu effectivè, qualiter effectivè precisè illud habent operationes manuales domificatoris ab arte phisicè dirigibiles: de quo amplius §. sequente.

55 *Igitur* dum in conclusione negamus operationes, vt dirigibiles esse obiectum formale Logicæ, nō loquimur de operationibus, vt obiectivè dirigibilibus, nam cum dirigibilitas obiectiva, non sit indifferentia ad rectitudinem, sed solum ad existentiam illius, cum ipsa rectitudine idētificatur, ac proinde nil aliud est operationes esse dirigibiles obiectivè, ac esse actu rectas, & actu directas signate, de quibus tamen sub ea consideratione quid dicendum sit, sequente cōclusione statuemus. Loquimur ergo in pręsenti de operationibus intellectus, vt subiectivè dirigibilibus; quas non esse obiectū formale Logicæ non erit iam difficile suadere.

56 *Prob.* conclusio. Obiectum formale cuiuscumque artis est forma, quam ars primo, & per se intendit introducere in materia: sed dirigibilitas operationum non est forma, quā primo, & per se intēdit Logica introducere in materia: ergo ea dirigibilitas non est obiectū formale Logicæ. Min. patet ex eo, quod

quod forma, quam per se primo intendit introducere Logica, est illa, quā tandem medijs suis regulis introducit: sed non introducit medijs regulis dirigibilitatē, nam hęc est capacitas competens naturaliter, vt naturalis proprietas, operationibus independenter à Logica: ergo dirigibilitas non est forma, quam per se primo intendit Logica introducere. Mai. autem prob. obiectū formale artis est id, quod per se primo respicit ars, & ratione cuius cętera considerat: sed huiusmodi est forma, quam primo, & per se intendit ars introducere in materia: ergo.

57 *Confirm.* 1. obiectum formale Logicæ non est id, de quo Logica agit propter aliud, cum obiectū formale sit finis, propter quem cætera attinguntur: sed de dirigibilitate operationum agit Logica propter aliud, propter earum scilicèt actualem directionem: ergo dirigibilitas operationum non est obiectum formale Logicæ. Patet min. ex eo, quod Logica agit de operationibus dirigibilibus, vt sint directæ, & non eas dirigit, vt sint dirigibiles; ergo de dirigibilitate agit propter actualem directionem.

58 *Confirm.* 2. obiectum formale Logicæ sunt instrumenta sciendi, vt diffinitio, diuisio, & argumentatio: sed operationes intellectus, vt dirigibiles, & si possint esse, non sunt tamen diffinitio, diuisio, & argumentatio: ergo nō sunt obiectum formale Logicæ operationes, vt dirigibiles. Prob. mai. obiectum formale artis est opus, quod talis ars efficit, vt obiectum artis domificandi est domus, frænofactoriæ frænum: sed opus, cuius structuræ Logica incumbit, sunt diffinitio, diuisio, & argumentatio: ergo hęc instrumenta sunt obiectum formale Logicæ.

59 *Denique*. Nullius artis est obiectum formale materia, vt ab arte dirigibilis: ergo operationes intellectus, vt dirigibiles non sunt obiectum formale Logicæ. Antec. prob. lapides, vt ordinabiles in ædificio, non sunt obiectum formale artis domificatiuæ; nec sunt obiectum formale artis pingendi colores, vt hoc, vel illo modo disponibiles in tabula: sed eadem est ratio de reliquis artibus: ergo nullius artis est obiectum formale materia, vt dirigibilis.

60 *Obijcies* 1. obiectum formale Logicę est id, ratione cuius Logica attingit sua obiecta materialia: sed operationes intellectus, quæ sunt obiectum materiale Logicæ, attingit Logica, quia dirigibiles: ergo vt dirigibiles sunt obiectum formale Logicæ. Prob. min. interroganti quare Logica versatur circa operationes intellectus, *respondebis* optimè, quia possunt disponi per modum diffinitionis, diuisionis, & argumentationis, quod est eas esse dirigibiles: ergo dirigibilitas operationū est id, ratione cuius Logica eas attingit.

61 *Resp.* dist. mai. est id ratione cuius *primario* attingit conc. mai.

mai. ratione cuius *secundario* attingit, neg. mai. & disting. min. quia dirigibiles, ly *quia dicente rationem secundariam* conced. min. *primariam* neg. min. & conseq. Petenti cur Logica considerat operationes intellectus, rectè quidem respóderes, quia sunt dirigibiles, seu disponibiles per modum diffinitionis, divisionis, & argumentationis: cæterum si vlterius interrogaret, cur Logicus considerat, quę per modum materię instrumentorũ sciendi sic possunt disponi, responderes; quia finis à Logico intentus est arte factum, seu instrumentum sciẽdi, cuius structuræ talis materia dirigibilis deservit: vbi clarè constat, quod dirigibilitas est ratio tantum secundariò movens Logicum, vt operationes consideret, siquidem movet dependenter ab alia ratione priori, seu primaria, ab instrumentis videlicet sciendi: obiectum autem formale alicuius facultatis est tantum id, ratione cuius primariò obiecta materialia attinguntur; qua ratione, & si ad artem domificativam pertineant lapides, & ligna, vt obiecta materialia, quia dirigibilia, non tamen dirigibilitas, sed arte factum domus est obiectum formale ipsius, quia illud est ratio primaria, quare attingit eam lapidum dirigibilitatem.

62 *Obijcies* 1. Logica est ars directiva: ergo operationes, vt dirigibiles sunt obiectum formale illius. Prob. conseq. tùm quia ita comparatur dirigens ad directum, sicut directivum ad dirigibile: sed obiectum formale dirigentis est directum: ergo obiectum formale artis directivæ est dirigibile. *Tùm* quia obiectum formale potentiæ visiuæ non est visum, sed visibile; nec potentiæ intellectiuæ est intellectum, sed intelligibile: ergo obiectum formale artis directiuæ non est directum, sed dirigibile.

63 *Confirm.* 1. Logica, sicut & quælibet alia scientia, supponit suũ obiectum formale: sed non supponit operationes intellectus, vt directas, supponit autem eas, vt dirigibiles: ergo non, vt directæ, sed vt dirigibiles, sunt obiectum formale illius. *Confirm.* 2. operationes intellectus, vt dirigibiles sunt obiectum formale alicuius scientiæ: non alterius nisi Logicæ: ergo. *Denique* obiectum formale Medicinæ, quæ est ars sanativa, est corpus, vt sanabile: ergo obiectum formale Logicæ, quę est ars directiua, est operatio, vt dirigibilis.

64 *Resp.* concesso antec. neg. conseq. Ad cuius 1. prob. disting. mai. ita comparantur, *quoad aliqua* conced. mai. *quoad omnia*, neg. mai. & concessa min. neg. conseq. Salvatur quipè proportio in eo, quod sicut materia actus dirigentis est operatio, vt actu subiecta directioni, ita habitus directivi materia est operatio, vt potens subijci directioni: quoad obiectum autem formale nullum est discrimen inter dirigens, & directivum, nam idem est finis vtriusque, id quipè efficit actus dirigens, quod habitus

tus directivus intendebat efficere.

65 *Ad 2. prob.* neg. conseq. quia Logica est facultas, seu ars sui obiecti factiva, instrumentorum scilicèt sciendi; artis autem sic operativç, seu factivæ obiectum formale est id ipsum opus, quod efficit, hoc est enim ab ea intentum, vt videre est in arte domificativa: at potentia visiva, & intellectiva non sunt facultates factiuæ suorum obiectorum, sed speculativæ eorum, ac proindè non habent pro obiecto aliquid ab ipsis factum, sed ad ipsarum actus prçsuppositum, & ab ipsis speculabile. *Ex hoc* autem oritur alia disparitas, propterquam iterū neg. conseq. Nam cum visum, vt tale (idem de intellecto vt tali) sit pura denominatio extrinseca, quæ pro formali non distinguitur ab ipsa visione, si visum, vt tale, esset obiectum formale potentiæ visivç, ipsa visio esset obiectum formale, quod nequit esse, cum potentia nequeat habere pro obiecto ipsos actus, sed obiecta, quæ medijs actibus attingit: at directum, vt tale, non constituitur formaliter per ipsum actum dirigentem, sed per formam ab actu dirigente distinctam, & in materia introductam, vndè ex quo obiectum formale artis directivæ sit directum, non sequitur, quod habeat pro obiecto formali suum actum dirigentem, sed formam, quam medio actu per se intendit introducere.

66 *Ad 1. confirm.* disting. mai. supponit suum obiectum formale, *vt signate, & possibiliter existens*, conced. maior. *vt exercitè existens*, neg. mai. & disting. min. non supponit eas directas *possibiliter, & signatè*, neg. min. *exercitè*, conced. min. & neg. conseq. quia artem sui obiecti factivam nequit prçcedere obiectū, vt exercitè existens, nec provt sic illam potest specificare, sed provt existens possibiliter, & signatè, quia ratione ipsam præcedit: sicut artis domificativæ obiectum specificans est ipsa domus, vt signate, & possibiliter existens, quomodo præcedit artem, & si hac sit posterior, & opus illius, vt in exercitio directa, seu vt exercitè existens.

67 *Ad 2. confirm.* neg. mai. quia operationes, vt dirigibiles, à nulla scientia possunt quæri propter se, sed propter actualem directionem, ac proindè non nisi secundariò possunt considerari à scientia, quæ earum intendat rectitudinem.

68 *Ad vltimam* neg. anteced. quia obiectum Medicinæ est corpus sanabile obiectivè, cuius forma est ipsa sanitas signatè sumpta; de corpore autem, vt subiectivè sanabili agit secundario, vt de materia, in qua introducit formam per se intentam.

69 *Constat* ex dictis, quod si conferatur dirigibilitas operationum cum earum actuali directione, seu rectitudine, illa propter hanc, & non hæc propter illam intenditur: sed cum vlterius restet comperiendum, an ita intendatur à Logica hæc

hæc operationum rectitudo, vt in ea sistat ratio obiecti formalis specificantis Logicam, vel potius hoc conveniat obiectis, vt rectè dispositis, seu vt rectè repræsentatis per operationes; ideò pro eius resolutione sit.

§. II.

Operationes intellectus, vt actualiter directæ non sunt obiectum formale Logicæ.

70 ITa Mag. Ioan. à Sanct. Thom. Complutenses, Linze, Parra, Goudin. Maillat. Moneta, & frequentiùs RR. Thomistæ contra Prado, Suarez, Oviedo, Arriaga, Peñafiel, Carleton, Quirós, Olcina, & alios RR. Pro cuius intelligentia præcisè advertendum est, quod operationes, vt actualiter directæ, nil aliud sunt, quam conceptus formales, seu mentales, vt rectè repręsentantes obiecta, v. g. conceptus repræsentantes animal, & rationale per modum generis, & differentiæ, his enim conceptibus constituitur, seu ipsi sunt diffinitio mentalis hominis, quā negamus (& idem de alijs instrumentis sciendi mentalibus) esse obiectum formale Logicæ. Et præter clarissimum D. Thomæ testimonium infra §. 4. ponderandum.

71 *Prob.* conclusio ratione à priori. Operationes intellectus, vt actualiter directæ sunt operationes, vt rectè repręsentantes sua obiecta, in hac quippè recta repręsentatione earum intrinseca rectitudo consistit: sed operationes, vt rectè repręsentantes sua obiecta, non sunt obiectum formale Logicæ: ergo vt actualiter directæ non sunt obiectum formale Logicæ. Prob. min. varijs medijs, & primò sic. Obiectum formale Logicæ sunt instrumenta sciendi, diffinitio scilicèt, divisio, & argumentatio: sed operationes, vt rectè repræsentātes obiecta, non sunt diffinitio, divisio, aut argumentatio: ergo non sunt obiectum formale Logicæ operationes, vt rectè repræsentantes obiecta. Prob. min. & claritatis gratia sit sermo de his cōceptibus *animal rationale*, qui rectè repræsentant prædicata diffinitiva hominis, & quos non esse hominis diffinitionem prob. Diffinitio hominis dicitur ad convertentiam cum homine, quamlibet enim diffinitionem dici ad convertentiam cum suo diffinito demonstrat Logica: sed eiusmodi conceptus formales non dicuntur ad convertentiam, nec cum ipso homine, nec cum illius conceptu; homo quipè non est ille duplex conceptus formalis, nec pariter conceptus hominis est ille duplex conceptus; ergo eiusmodi conceptus non sunt hominis diffinitio.

72 *Nec dicas* 1. convinci quidem ratione facta eos conceptus formales, seu mentales nō esse diffinitionem obiectivam, de qua sola docetur à Logica, quod debet dici ad convertentiam cum diffini-

nitio; non tamen suadetur eiusmodi conceptus non esse diffinitionem mentalem, ac proinde, nec suadetur ad obiectum formale Logicæ non pertinere, quæ principaliter, & in recto agit de diffinitione mētali, & solum in obliquo de diffinitione obiectiva, quæ per mentalem repræsentatur.

73 *Nam* contra est. Logica agit per se primò, & in recto de diffinitione, quæ simpliciter est diffinitio: sed sola diffinitio, quæ dicitur ad convertentiam, seu prædicatur de difinito, est simpliciter diffinitio: ergo si sola diffinitio obiectiva est huiusmodi, de sola hac agit per se primò, & in recto Logica. Cætera patent, & min. prob. Ea sola est simpliciter diffinitio, cui soli convenit, quod vno ore docetur à Logicis naturam diffinitionis speculantibus: sed quod vno ore docetur à Logicis naturam diffinitionis speculantibus soli convenit diffinitioni, quæ prædicatur de diffinito: ergo sola hæc est simpliciter, & absolutè difinitio.

74 *Explicatur.* Logica per se primò, & in recto agit de instrumentis sciendi, quæ in consideratione Logicæ sunt simpliciter talia; sed huiusmodi non sunt instrumēta sciendi mentalia, sed obiectiva: ergo per se primò, & in recto non agit Logica de instrumentis sciendi mentalibus, sed de obiectivis. Prob. min. Ea sunt instrumenta sciendi simpliciter talia in consideratione Logicæ, in quorum demonstrandis affectionibus, & proprietatibus tota est Logica, ne dicamus ad eam potius pertinere illa, quarum proprietates, nec docet, nec ostendit: sed Logica tota est in demonstrandis affectionibus, & proprietatibus instrumentorum sciendi, quæ obiectivè sunt talia, & vix aliquid docet de natura instrumentorum mentalium; nam prædicari de pluribus, quod docet de genere, dici ad convertentiam, quod docet de diffinitione, dici de subiecto, quod docet de prædicato, & alia innumera huiusmodi non competunt conceptibus, sed obiectis per ipsos repræsentatis: ergo.

75 *Nec valet* similiter, si dicas 2. quod licet ratione facta convincatur conceptus ipsos obiectivos esse obiectum formale Logicæ: cum tamen non sint vt cumque sumpti obiectum formale, sed vt artificiosè cogniti, & repræsentati, inde est, quod artificiosa cognitio, qua formaliter constituuntur artificiosè cogniti, sit forma, quam primò, & per se respiciat Logica; sicut qui ageret de pariete, vt viso, ageret per se primò de visione, quia hęc est forma, à qua paries denominatur formaliter visus.

76 *Nam contra est* Quia solutio affert doctrinā 5. sequente ex professo reijciendā, scilicèt, quod forma, qua constituitur artefactum Logicale, sit cognitio ipsum repręsentans; postea enim cōstabit, quod est secunda intentio rationis, quam in ipsis obiectis adinvenit Intelle-

ctus. *Deinde.* Artificiosa cognitio solum ponit iuxta solutionem denominationem extrinsecam artefacti in obiectis, sicut visio solam ponit denominationem extrinsecam visi in pariete viso: sed obiectum formale artis non est extrinseca denominatio, quam media sua directione, seu artificiosa cognitione ponit in obiectis, sicut nec obiectum potentiæ visivę est denominatio extrinseca visi, quam media sua visione ponit in re visa: ergo vel nullo modo sunt obiectum formale Logicæ instrumenta sciendi obiectiva, vel non constituuntur in esse talium per artificiosam cognitionem extrinsecam. Sed de hoc amplius in sequentibus.

77 *Secundò* prob. illa min. primi syllogismi. Obiectum formale Logicæ est artificium, quod ex Logicæ directione resultat; sed recta repræsentatio obiectorum non est artificium, quod ex Logicæ directione resultat: ergo ea recta repræsentatio obiectorum non est forma, quam per se primò respiciat Logica, ac proindè operationes, vt rectè repræsentantes obiecta, non sunt obiectum formale Logicæ. Mai. exemplo cuiuscumque artis est manifesta; obiectum quippe formale artis domificativæ est artificium illud, quod ex eius directione resultat; & ratio ex dictis est, quia obiectum formale artis est forma, quam ars per se primò intendit introducere in materia, huiusmodi autem est artificium illud, quod ex eius directione resultat. Min. autē prob. recta repręsentatio obiectorum est præcisè signum artificij, quod per eiusmodi repræsentationem repręsentatur: sed artificium, quod ex Logicæ directione resultat, repræsentatur per eam conceptuum repræsentationem: ergo hæc est præcisè signum artificij, quod ex Logicæ directione resultat, ac proindè ea nō est tale artificium, nisi signum cum signato confundas. Prob. min. artificium Logicale diffinitionis v. g. consistit in vnione duorum per modum generis, & differentiæ: sed repræsentatur per conceptus mentales, quæ sunt diffinitio mentalis, vnio duorum per modum generis, & differentiæ, si enim non repræsentaretur, intellectus media diffinitione mentali vnionem eiusmodi non cognosceret: ergo.

78 *Qua ratione* sic proposita pręoccupata manet solutio AA. dicentium, quod licet in conceptibus inveniatur purè tamquam in signo id, quod per ipsos repræsentatur, repræsentatio tamen, & modus repræsentandi propriè, & subiectivè reperitur in conceptibus, ac proinde ipsis competit artificium; quia artificium non est res repræsentata, sed repræsentatio, vel modus repræsentandi; non enim repręsentatur claritas; vel confusio, sed conceptus repræsentat clarè, aut confusè, in quo modo repræsentandi consistit eorum artificium.

Præ-

79 *Praeoccupata* quidem manet: nam iuxta solutionem id, quod est res repræsentata per conceptus, impropriè reperitur in conceptibus, vt in puro scilicet signo: sed artificium diffinitionis v. g. est res repræsentata per conceptus: ergo impropriè reperitur in illis, ac proinde conceptus, vt rectè repræsentantes, non sunt obiectum formale Logicæ. Cætera patent, & min. ex dictis prob. nam vnio duorum per modum generis, & differentiæ, in qua artificium diffinitionis consistit, nil aliud est, quam nexus duorum prædicatorum, quorum vnum sit prædicatum commune, in quo diffinitum assimiletur aliis, & aliud sit prædicatum particulare, per quod differat ab illis: sed huiusmodi nexus repræsentatur per diffinitionem mentalem, cum media hac cognoscat intellectus ea prædicata cum illis conditionibus, vt vnita ad constitutionem diffiniti: ergo vnio duorũ per modum generis, & differentiæ est res repræsentata per conceptus. *Præterquam quod* modus etiam repræsentandi conceptuum est modus repræsentativus, seu est modus de linea formaliter repræsentativa: ergo ei correspondet, vt signatum, modus obiectivus, seu modus se tenens ex parte obiecti: ergo si in illo modo consistit artificium, hoc nõ reperitur in conceptibus nisi impropriè, & vt in signo.

80 *Prob.* tandem illa min. primi syllogismi. Conceptus, seu operationes, vt rectè repræsentantes obiecta sunt actus, quibus Logica inducit formam in materia: sed nullius artis sunt obiectum formale actus, quibus ipsa ars inducit formam in materia: ergo non sunt obiectum formale Logicæ operationes, vt directæ, seu vt rectè repræsentantes obiecta. Min. patet, quia obiectum formale artis est finis intrinsecus, quem intendit: sed huiusmodi non sunt actus, quibus inducit formam in materia, sed forma ipsa, quam mediis actibus intendit inducere, ideoque actiones manus, quibus ars domificativa inducit formam in materia, non sunt obiectum formale talis artis, sed forma artificialis inducta: ergo. Mai. verò prob. Logica inducit formã in materia mediis actibus: sed nõ aliis, quam operationibus, vt directis, sivè vt rectè repræsentantibus obiecta: ergo tales operationes sunt actus, quibus Logica inducit formam in materia.

81 *Quod si dicas* ex hoc solum probari, quod non sint obiectũ formale Logicæ actus, quibus Logica docet v. g. diffinire, quia hi sunt ipsa directio activa, media qua inducit formam in materia; non tamen probari non esse obiectum formale illorũ actuũ, quibus in exercitio diffinit iuxta regulam directionis activæ, talibus enim actibus non inducit formam in materia, sed sunt materia, in qua inducitur forma prius præscripta.

82 *Contra* est. Nec actus, quibus ars domificandi docet con-

struere domum, nec actus, quibus vtitur regulis, & eam actu construit, sunt obiectum formale artis: ergo nec actus, quibus Logica docet difinire, nec actus, quibus vtens regulis actu diffinit, sunt obiectum formale Logicæ. *Deinde.* Non solum actus, quibus Logica docet diffinire, verum etiam actus, quibus in exercitio diffinit, inducunt formam in materia: ergo si actus, quibus ars inducit formam in materia, non sunt obiectum formale artis, nec actus, quibus Logica docet diffinire, nec quibus actu diffinit, sunt obiectum formale Logicæ. Prob. antec. Eatenus per primos actus inducitur forma in materia, quatenus repræsentant quid sit faciendum, vt diffinitio mentalis conficiatur: sed etiam ipsa mētalis diffinitio repræsentat quid appareat in obiectis, dum per modum diffinitionis obiectiuę apprehenduntur, quidquid enim est in conceptibus, est in ipsis repræsentativè: ergo etiam per ipsam diffinitionem mentalem, quam Logica conficit, inducitur forma in materia.

§. III.

Solvuntur argumenta.

83 O*Bijcies* 1. Obiectum formale Logicæ est rectitudo, quæ resultat ex eius directione in propria materia: sed operationes intellectus sunt propria materia, circa quā versatur Logica: ergo rectitudo operationum est obiectum formale Logicæ. *Confirm.* Sicut Logica dirigit operationes intellectus, ita Philosophia moralis actus voluntatis, Grammatica voces, & Rethorica orationem: sed obiectum formale Philosophiæ est rectitudo reperta in actibus voluntatis, Grammaticæ, rectitudo reperta in vocibus, & Rethoricæ ea, quæ reperitur in oratione: ergo Logicæ obiectū formale est rectitudo reperta in operationibus.

84 *Resp.* disting. mai. quæ resultat in propria materia denominabili, conced. mai. in materia purè dirigibili, neg. mai. & disting. min. sunt propria materia, purè dirigibilis, conced. min. denominabilis, neg. min. & conseq. Sicut obiectum formale artis domificandi non est passiva directio actionum manualium, quia hæ sunt materia purè dirigibilis, in qua forma artificialis non recipitur, nec est, nisi tantum vialiter, & in fieri; ita obiectum formale Logicæ non est passiva directio operationum, quia hæ non sunt materia denominabilis, in qua sit, aut recipiatur artificium Logicale, hoc enim solum est formaliter, & propriè in obiectis, quę sola propriè denominantur diffinitio divisio, &c. sicut artificium domus solum recipitur in lignis; & lapidibus, quæ sola denominantur domus.

85 *Dices.* Conceptus sunt diffinitio, & syllogismus: ergo sunt materia denominabilis. *Disting.* anteced. sunt extrinsecè, & repræsentativè, conced. antec. intrinsecè, & pro-

propriè, neg. antec. non enim sunt propriè diffinitio, sed via, & signum diffinitionis. *Nec valet*, quod propriè sunt diffinitio mentalis, seu modus sciendi mentalis: ergo propriè sunt artefactum Logicale. *Nam* neg. conseq. arguitur quippè à dicto secundum quid ad dictum simpliciter; esse quippè propriè diffinitionem mentalē est esse propriè repræsentationē diffinitionis, quod non est propriè esse diffinitionem, aut artefactum Logicale, sed signum illius.

86 *Nec iterum* valet, quod ea repræsentatio, seu rectitudo operationum est ab arte Logicali præscripta: sed quęvis rectitudo ab arte præscripta est propriè artificialis: ergo talis rectitudo est propriè artificialis, ac proindè operationes sic rectè repræsentantes sunt propriè artefactum. *Instatur* quippè in operationibus manualibus, quarum rectitudo in ordine ad conficiendam domum propriè dirigitur ab arte, ac proindè sub ea consideratione est propriè artificialis, quin inde inferatur ibi esse artificium, quod ars intendit inducere. Vnde concessa mai. disting. min. est propriè artificialis proprietate denominationis ab arte dirigente, conced. min. propriè quippè dirigit ars eas operationes: proprietate artificij, quod ars intendit inducere, neg. min. tale quippè artificium non in conceptibus, sed in rebus, seu obiectis inducitur; ac proindè neg. quod operationes sic rectificatę sint propriè artefactum.

87 *Ad confirm.* neg. quoad 1. exemplum min. Nam Philosophię moralis obiectum formale sunt ipsa obiecta virtutum moralium, seu ens morale obiectivū, cuius cognitione dirigit Philosophia moralis voluntatem, huic ostendens, in quibus obiectis sit bonitas, vt talia obiecta amplexetur, & in quibus malitia, vt ea fugiat. Et idem asserendum est de obiecto prudentiæ, illud scilicèt esse bonum, vt hic, & nunc eligendum, seu ipsa obiecta virtutum, vt hic, & nunc amplexanda, quæ sub ratione veri attingit prudentia, & quorum ostensione dirigit actus virtutū. Inter Grammaticam autem, & Logicam ea est disparitas, quod Grammaticę primarius finis est congruo sermone exprimere, quod concipit intellectus, vnde non mirum, quod rectitudo vocum sit primò, & per se intenta, ac proindè obiectum formale Grammaticæ: & similiter finis per se primò intentus à Rethorica (hæc est alia argumenti paritas) est persuadere audientem eius quidem generis persuasione, quæ non tam generetur ex veritate rerum assertarum, quàm ex venustate sermonis, & vocum coordinatione, quibus demulcetur auditus: at finis per se intentus à Logica est modus sciendi, & indagandi veritatem, qui finis habetur recta, & artificiosa coordinatione rerum, qua intellectus iuvatur ad rectè de vnaquaque re iudicandum.

88 *Obijcies 2.* Logica agit per se

ſeu de veritate: ſed veritas ſolum in conceptibus reperitur formaliter: ergo agit per ſe de conceptibus, ac proinde hi ſunt obiectum formale. *Confirm.* finis & obiectũ formale coincidunt, id quippè, quod eſt finis artis, eſt obiectũ formale artis: ſed finis Logicæ eſt directio paſsiva, ſeu rectitudo conceptuum, omnia quippè, de quibus agit Logica, ordinantur ad hoc, quod intellectus rectè in ſuis operationibus procedat: ergo rectitudo conceptuum eſt obiectum formale Logicæ.

89 *Reſp. quod ſi* ly *per ſe* ſumatur contra poſitivè ad per accidens, certum eſt quod Logica agit per ſe de conceptibus, hoc eſt, per ſe, & ex proprijs pertinet ad Logicam conceptus dirigere, ſicut per ſe pertinet ad artem domificandi dirigere actiones manuales; cæterum ſi ly *per ſe* ſumitur pro eodem, ac primariò; diſting. mai. agit *per ſe* de veritate obiectiva, conced. mai. formali, neg. mai. & diſting. min. veritas obiectiva, neg. min. formalis conced. min. & neg. conſeq. Logica quipè agit de veritate obiectiva rerum, non quidem quoad ſubſtantiam veritatis, hoc enim pertinet ad alias ſcientias, quas Logica dirigit, ſed quoad modum, quoad artificioſam ſcilicèt diſpoſitionem, qua oſtenſa, aliæ ſcientiæ iuvantur, vt percipiant veritatem: hac autem recta obiectivæ veritatis diſpoſitione, quam in recto, & primariò, attingit Logica, comparatur veritas formalis conceptuum, quam Logica ſolum indirectè, & occaſionaliter attingit iuxta ſtatim dicenda.

90 *Ad confirm.* diſtin. mai. finis intrinſecus, vel immediatus, & obiectum formale coincidunt, conced. mai. finis extrinſecus, & remotus neg. mai. & diſting. min. eſt finis extrinſecus, & remotus, conced. min. intrinſecus, & immediatus, neg. min. & cõſeq. Ars inferior, quæ eatenus arti ſuperiori deſervit, quatenus ei offert inſtrumenta, quibus iuvetur, vel dirigatur ars ſuperior ad ſuum proprium finem obtinendum; talis (inquam) ars inferior habet pro fine intrinſeco, & immediato inſtrumenta, quę elaborat, & offert; pro fine verò extrinſeco, & remoto finem ipſum proprium, & intrinſecum artis ſuperioris. Sic ars pigmentaria habet pro fine intrinſeco, & immediato pharmaca, quæ conficit, & prębet Medicinæ, cui deſervit; ſanitas autem, quæ eſt proprius, & intrinſecus finis Medicinæ, eſt finis tantum extrinſecus, & remotus artis pigmentariæ: ſic etiam finis intrinſecus frænofactivæ, eſt frænum, quod elaborat, & offert arti Equeſtri, cui deſervit; regimen verò Equi eſt finis extrinſecus illius. Logica ergo habet pro fine intrinſeco inſtrumenta ſciendi, quæ miniſtrat ſcientiis, quibuſque oblatis dirigitur intellectus in ſuis operationibus: ipſa autem ſcientiarum veritas, ſive intellectus rectitudo præciſè eſt finis extrinſecus, & remotus illius.

91 *Sed inſtabis.* Finis intrinſecus Lo-

Logicæ est quem Logica immedatius respicit, sed immediatius respicit operationes, vt directas, quam obiecta, siquidem medijs operationibus rectè dispositis repręsētat obiecta rectè disposita: ergo operationes, & non obiecta, sunt finis intrinsecus Logicæ. *Si respondeatur,* Quod Logica respicit immediatius in executione operationes, secus verò in intentione, & quod illud solum est finis intrinsecus, quod immedatiùs in intentione respicitur; qua ratione non sunt obiectum artis domificandi actiones manuales, quas immedatiùs in executione, sed domus, quam in intentione respicit immediatiùs.

92 *Contra est.* Finis extrinsecus, & remotus nō attingitur immediatiùs in executione, sed in intentione: sed Logica attingit iuxta solutionem immediatiùs in executione operationes: ergo vel nullo modo sunt finis Logicæ, quod patet esse falsum, vel non sunt finis extrinsecus tantum, & remotus, vt num. 89. diximus, ac proinde sunt finis intrinsecus, & immediatus Logicę. Cætera patent, & mai. prob. *tùm* ratione: quia finis extrinsecus, & remotus artis ille est, quem attingit ars mediatè, & occasione sumpta à fine proximo, quem proximius assequitur: ergo finis remotus non attingitur immediatiùs in executione, sed in intentione, vel nullo modo attingitur. *Tum* id ipsum patet exemplis supra positis: Pharmaca quippè priùs in executione conficiuntur, quam sanitas comparetur, priùsque elaboratur frænum, quam debitum Equi regimen existat; sanitasque non intenditur propter pharmaca, sed è conuerso pharmaca intenduntur propter sanitatem priùs intentam, sicut Equi regimen priùs intenditur: sed in his apposuimus exēplū finis remoti: ille ergo nō attingitur prius in executione, sed in intentione.

93 *Vrgetur.* Quod est via, & medium ad executionem alicuius, nequit esse finis extrinsecus, & remotus, vt patet in actionibus manualibus, quę nequeunt esse finis extrinsecus, & remotus respectu artis domificativæ, quia sunt via, & medium, quo exequitur formam domus intentam: sed iuxta supra dicta operationes, vt rectè repræsentantes sunt via, & medium, quo Logica exequitur, seu introducit in obiectis formam artificiosam: ergo vel operationes non sunt finis extrinsecus, & remotus, vel doctrina supra tradita est omnino falsa.

94 *Resp.* solutione data inter arguendum: Ad replicam disting. min. operationes, vt secundum se veras, & vt speculantes obiecta, neg. min. vt practicè fingentes formam rationis in obiectis conced. min. & disting. conseq. non sunt finis extrinsecus, & remotus, vt practicè fingentes formam rationis, conced. conseq. vt absolutè veræ, & vt rectè speculantes obiecta neg. conseq. *Similiter* ad id, quo replica vrgetur, disting. mai. ea ratio-

tione, qua est medium, & via, conconced. mai. sub alia ratione, neg. mai. & disting. min. vt rectè repræsentantes, secundum quod recta repræsentatio est fictio, seu efficiētia formæ rationis, conced. conced. min. vt est absolutè veritas, & speculatio obiecti, neg. min. & sub eisdem terminis distinguendo cōseq. quoad primam partem, neg. quoad secundam, conseq.

95 *Actus* quippè iste (idem de quocumque alio artificiosè attingente obiectum) *animal rationale*, qui est diffinitio mentalis hominis, & est signatè speculatio eorum prędicatorum constituentiū hominē, & est exercite fictio, seu efformatio secundarum intentionum generis, & differētiæ, quæ speculatur medio illo intellectus; rectè quippè attingēdo ea prædicata in modū diffinitionis, eas secundas intentiones format, & eas formando attingit rectè illa prædicata, vt §. sequente amplius constabit. Sub ea ratione, sub qua est exercitè fictio, non est finis extrinsecus Logicæ, sed via, & medium, quo introducitur forma à Logica primò, & per se intenta; vt autem est signatè verus, & vt est signatè speculatio illorum prædicatorum est finis extrinsecus, & remotus Logicę, quæ tamquam in fine intrinseco sistit in ea dispositione introducta in obiectis, vt rectè attingantur à scientijs; & idem actus, vt formatio illius artificij obiectivi, ordinatur remotè ad finem artificij formati, speculationem scilicèt veritatis; sicut loquutio externa formādo verba manifestat internum conceptum, & hunc manifestando verba format, ipsaque vt prolatio, seu productio vocis, est ratione vocis, productæ propter conceptus manifestationem.

96 *Nec exempli*, quod vltima inculcat replica, & quod nos ipsi adduximus, desideranda est paritas in omnibus, sed in ordine ad id, propter quod adducitur: Quod autem in illo non teneat similitet doctrina huius vltimæ solutionis, non ideò est, quia sic non possit contingere, sed quia in actionibus manualibus artificis non est illa duplex ratio, seu formalitas, quæ est in operationibus intellectus, efficientiæ scilicèt, & speculationis. Est tamen semper verum, quod sicut operationes, quibus ars domificandi inducit formam in materia non sunt illius obiectum, ita non sunt obiectum, formale Logicę operationes intellectus ea ratione, qua formam artificiosam inducunt in obiectis.

97 *Obijcies* vltimo: Illud est propriè obiectum artis, quod fit ex directione artis in materia, quam dirigit: sed nec obiecta fiunt ex directione Logicæ, nec sunt capacia erroris, aut falsitatis, ac proindè nec dirgibilia: ergo nullo modo sunt obiectum formale Logicæ.

98 *Confirm.* 1. Cognitio reflexa non habet pro obiecto obiectum cognitionis directæ, sed ipsam cognitionem directam: sed Logica est scien-

scientia reflexa reflexe agens de discursu,& de scientia : ergo obiectum illius non sunt res , quę sunt obiecta scientiæ , & discursus , sed ipsa scientia,& discursus ac proindè intellectus operationes. *Confirm.* 2. Ars pingendi non habet pro obiecto obiectum picturæ , sed picturam:ergo ars sciendi, Logica scilicèt,non habet pro obiecto obiectum scientię,sed scientiam.

99 *Resp.* concessa mai. disting. min. non sunt quoad entitatem conce.min.quoad ordinē rationis neg. min. sit quippè ex directione Logicæ artificium obiectivum secundarum intentionum , ac proindè res, ipsę vt sub eo artificio, sunt obiectum formale Logicæ ; sicut sunt obiectum formale artis domificandi lapides, & ligna, vt sub dispositione artificiosa , quam in ipsis introducit ars,& si ipsorum entitatem non efficiat. *Similiter* disting. eandem min. quoad 2. partem: non sunt capacia erroris , aut falsitatis *formalis* conced. min. *occasionalis* neg. min. *dant enim res occasionem falsitatis , eo quod similitudinem eorum gerunt, quæ non habent existentiam,* inquit D.Tho.1.p.q.27.art.1.ad 2. Hanc ergo confusionem obiectivā, ex qua sumitur occasio erroris formalis,per se vitare intendit Logica proponens obiecta rectè disposita; erroris autē formalis vitationē formalem respicit vt finem extrinsecum,& remotum iuxta iam dicta.

100 *Ad confir.* concessa mai.dist. mi.est sciētia reflexa *secundariò* cōc. mi.*primariò* ne.g min. Logica quippè directè,& primariò versatur circa instrumenta sciendi,quæ cæteris scientijs ministrat,ex quo secundariò agit per reflexionem de ipsa scientia, & discursu, quibus instrumenta ministrat.

101 *Ad 2.confirm.* neg. conseq. Quia intentum per se Logicæ est docere intellectum modum , quo scientificè in veritatis indagatione procedat, quod fit ostendendo , & proponendo ei obiecta sub eo ordine , sub quo debent attingi , eis quippè rectè dispositis, nulla iā restat difficultas in eorum recta attingentia: at obiectis perfectè cognitis,non ideò est de victa difficultas in eis externe delineandis , sed adhuc superst difficultas in recta dispositione colorum, & efformatione linearum , ac proindè ars pingendi per se respicit eam subiectivam dispositionem colorum , in qua stat præcipuè difficultas pingendi ; ars verò sciendi dispositionem rerum artificiosam per se respicit , qua posita,nulla restat difficultas in recta obiectorum attingentia.

102 *Ex dictis habetur*, quod actus, qui sunt directio activa,quibus scilicèt Logica docet diffinire, dividere,&c. non sunt obiectum formale Logicæ,imò nec propriè sunt obiectum,sed id,quo Logica directè attingit id, quod est obiectum, formam scilicèt artificiosam, quā media ea doctrina intendit introducere , & consequenter , nec denominatio extrinseca directi ab ea proveniens , & quæ pro formali

non differt ab ipsa activa directione; quod omnibus est notum, & exemplo cuiusvis artis, nec non cuiusvis potentiæ satis constat.

103 *Similiter* habetur, quod actus quibus in exercitio diffiniuntur obiecta, v. g. dum homo diffinitur à Philosophia ex directione Logicæ, actus, inquam, iste Philosophicus, vt est signatè speculatio veritatis, est finis extrinsecus, & remotus Logicę, vt autem est in exercitio efformativus secundarum intentionum generis, & differentię, est obiectum secundarium illius directionis activæ, seu Logicę dirigentis, vt signum scilicet, & repræsentatio, indeque efficientia intentionalis artificij obiectivi, quod primò, & per se intendit tota directio Logicæ: vnde sub nulla consideratione stat in operationibus forma, quam primò, & per se Logica intēdit. *Cum* ergo in obiectis stet forma à Logica intenta, restat adhuc indagandum, an talis forma sit extrinseca, cognitio videlicet artificiosa extrinsecè denominās obiecta, vt plurimi extra scholam D. Thomę sentiunt; an potiùs sit ens rationis in ipsis obiectis artificiosè efformatum, vt cum Ang. Magistro sustinent omnes eius Discipuli, & cum subtili Doct. plures ex eius Schola. vnde sit.

§. IV.

Forma constitutiva artefacti Logicalis est secunda intentio rationis, ac proindè obiectum formale Logicæ est ens rationis.

104 Ita appertissimè D. Thom. lib. 4. Metaph. lect. 4. dicens: *Ens est duplex, scilicèt ens rationis, & ens naturæ: Ens rationis, dicitur propriè de illis intentionibus, quas ratio adinvenit in rebus consideratis, sicut intentio generis, & speciei, & similium, quæ quidem non inveniuntur in rerum natura, sed considerationem rationis consequuntur; & huiusmodi scilicèt ens rationis est propriè subiectum Logicæ*: Vbi D. Thomas ex quo genus, & species, hisque similia artefacta Logicalia sunt concreta secundo intentionata, quorum forma est secunda intentio rationis. infert, quod proprium subiectum, seu obiectum Logicæ sit ens rationis: hoc idē asserit cōclusio proposita: ergo ea expressè propugnatur à D. Thoma.

105 *Nec prodest AA.* effugium, asserentium D. Thomam esse intelligendum de ente rationis subiecto, actibus scilicèt intellectus, qui cum in ratione subiectentur, non incongruè possunt dici entia rationis; & similiter potest de ipsis affirmari, quod non inveniuntur in rerum natura, non quia entia realia non sint, sed quia extra animam non inveniuntur; ac denique potest de ipsis aliquomodo affirmari, quod considerationem rationis consequuntur, non quidem consi-

sideratì absolutè, sed respectivè, vt denominantes scilicèt extrinsecè obiecta; denominatio quippè cogniti aliquomodo formam ipsam consequitur, sicut denominatio visi intelligitur pro posteriori. ad visionem.

106 *Non prodest* quidem. *Tum* quia ibi D. Thomas tradit generalissimam divisionem entis in reale, & rationis, vt ex ipsis verbis patet: at talis divisio datur per ens rationis, quod est tale obiectivè, impotens scilicèt realiter existere, & contra distinctum ab omni ente reali: ergo nomine illius nequit intelligi nisi ens rationis, quod nullo modo sit ens reale. *Tum* quia de e's secundis intentionibus affirmat, quod eas ratio adinvenit in rebus consideratis, idest, quod eas considerando invenit, & excogitat: sed denominatio extrinseca cogniti non sic excogitatur, nec sic excogitata invenitur, cum naturaliter ex actu resultet, etiam si de ea non cogitemus. *Denique*, alijs ommissis, de eiusmodi intentionibus asserit D. Thomas, quod non inveniuntur in rerum natura: at his terminis non solum denotatur, quod non inveniuntur extra animam, sed quod nullatenus existunt realiter, aliàs liceret absolutè affirmare, quod intellectus humanus, & voluntas non dantur in rerum natura, quod patet quam sit falsum: ergo loquitur clarissimè de ente rationis obiectivè tali, & quod nullo modo est ens reale.

107 *Prob. insuper* ratione, quoad vtramque partem conclusio. Illud est obiectum formale Logicę, quod est forma artefacti Logicalis, ratione quippè formæ pertinet per se artefactum ad artem, vt ex supradictis satis constat: sed forma artefacti Logicalis est ens rationis, vt contra distinctum ab omni ente reali: ergo ens rationis sic contra distinctum est obiectum formale Logicæ. Prob. min. artefacta Logicalia sunt genus, species, subiectum, prædicatum, diffinitio, divisio, hisque similia: sed forma constitutiva horum, & similium, est ens rationis impotens existere à parte rei, ac proindè distinctum ab omne ente reali: ergo forma artefacti Logici est ens rationis, vt distinctum ab omni ente reali. Prob. min. Genus pro formali est vniversale: sed vniversale nequit dari à parte rei, quid quid enim à parte rei existit, est singulare: ergo forma constitutiva generis est aliquid impotens existere à parte rei: ergo cum de reliquis artefactis par sit ratio, eorum forma est aliquid distinctum ab omni ente reali, ac proindè ens rationis, quod est propriè, & obiectivè tale.

108 *Dices*, quod genus, vniversale, subiectum, prædicatum, & his similia, dantur pro formali à parte rei, eorumque forma, sive sit ordo, sive compositio, est realis, non quidem intrinseca, sed extrinseca, vt enim alia ommittamus, genus pro formali nil aliud est, quam natura, vt cognita conceptu con-

fusè repræsentante plura dissimilia, seu cognita sine differentijs; forma autem huius concreti *natura cognita sine differentijs* est cognitio illam attingens sine differentijs, quam cognitionem constat esse aliquid reale.

109 *Hæc solutio*, & illius doctrina modo principia iacit ex quibus tàm præcisio obiectiva infra lib. 3. deffensanda, quàm constitutio vniversalis; necnon entis rationis existentia, & divisio, de quibus lib. 2. agendum est, labefactentur, vndè pluries à nobis impugnanda veniet; modo autem brebiter impugnatur. Genus pro formali est natura, quam intellectus cognoscit, vt vnam, & potentem esse in multis: sed natura, quã intellectus cognoscit, vt vnam, & potentem esse in multis, est natura, quæ ex parte obiecti dicit pro formali aliquid impotens existere à parte rei, ac per consequens dicit ens rationis omninò distinctum ab ipsa cognitione: ergo genus pro formali non est ea intrinseca denominatio cogniti, sed ens rationis à cognitione distinctum. Min. videtur certa: quia ex vna parte quidquid est res cognita ab intellectu, ex parte obiecti se tenet, vt quid obiectivè distinctum à cognitione, qua ipsum cognoscit: ergo si intellectus cognoscendo naturam genericam, cognoscit naturam, vt vnam, & potentem esse in pluribus, hęc vnitas, & aptitudo ex parte obiecti apparent, vt quid obiectivè distinctum à cognitione, qua cognoscitur: sed vnitas in natura cum capacitate ad essendum in pluribus est vnitas ficta impotens existere à parte rei, cum quævis natura creata sit à parte rei divisa; & multiplex: ergo talis natura sic cognita dicit obiectivè pro formali aliquid impotens existere à parte rei.

110 *Mai. verò prob: Tum* quia genus pro formali non est natura cognita conceptu repræsentante plura dissimilia, horumque differentias non exprimente, sed confundente, hoc enim termino collectivo convenit; nam cognoscens cives per modum collectionis cõponentis populum, plura cognoscit conceptu confundente, & non exprimente eorum differentias: & tamen talis collectio sic cognita non est genus: ergo. *Tum* quia intellectus cognoscens naturam genericam, vt talem, cognoscit in ea cõstitutiva formalia generis, cuiusmodi sunt vnitas, & aptitudo ad essendum in pluribus speciebus, per quæ vno ore à Logicis diffinitur genus: sed qui cognoscit naturam genericam, vt talem, non attingit cognitionem, qua illa natura cognoscitur, vt experientia patet, non est enim illa cognitio, cognitio reflexa cognitionis, sed cognitio directa rationis genericæ animalis v. g. ergo talis cognitio non est formalis vnitas, & aptitudo naturæ, sed hæ obiectivè apparent, vt distinctę ab omni cognitione.

111 *Confirm.* 1. Genus pro formali dicit respectum ad sua inferiora,

est enim genus pro formali vniversale, & superius, superius autem, vt tale, dicit constitutivè respectũ, seu ordinem ad sibi inferiora: sed talis respectus est respectus rationis, seu ens rationis: ergo genus pro formali est ens rationis. Prob. min. respectus, qui in re non est, & concipitur, ac si esset, est ens rationis, si quidem est respectus, qui tantùm habet esse obiectivè in intellectu: sed respectus ille generis non est in re, & concipitur, ac si esset: ergo est ens rationis Min. quoad 1. partem est evidens: nam respectus, qui in re est talis, est respectus realis, ac proindè est respectus inter extrema realiter distincta: sed animal, v.g. quod respicit, vt genus, & superius rationale sibi inferius, non distinguitur realiter à rationali, sed cum ipso identificatur: ergo talis respectus non est in re. Quod autem concipiatur, ac si esset, patet; nam concipi illũ respectũ, ac si esset, nil aliud est, quam verè non esse à parte rei talem animalis respectum, & nihilominus concipi animal cum illo: sed intellectus concipiens animal, vt genus, & superius, concipit illud cum eo respectu, si quidem concipit animal, vt superius: ergo cum talis respectus verè non sit à parte rei, concipitur ab intellectu, ac si esset.

112 *Nec valet*, quod animal ordinari, per modum generis ad sibi inferiora nil aliud est, quam extrinseca denominatio ordinati proveniens à cognitione ipsum attingente relatè ad inferiora omni fictione seclusa, ac proinde secluso omni respectu, qui in obiecto fingatur.

113 *Nam* ex dictis præoccupata manet hæc solutio. Intellectus quippè concipiens animal, vt genus, apprehendit ipsum, vt superius, aliàs ipsum, vt genus, non apprehenderet: ergo ipsi repręsentatur ex parte obiecti animal, vt superius, id enim quod est res cognita ab intellectu, ipsi obiectivè repræsentatur, vt est manifestum: ergo ipsi repræsentatur obiectivè respectus ille, quo constituitur in esse superioris: sed ille respectus vere nõ est à parte rei, & obiectivè apparet, ac si esset: ergo est respectus fictus, ac proinde ens rationis.

114 *Explicatur*. Animal ordinari, vt genus ad sibi inferiora est iuxta solutionem ipsum esse cognitum ordinatè, seu relatè ad inferiora: sed esse cognitum animal relate ad inferiora, non est formaliter ipsa cognitio ordinatè, seu relate ipsum cognoscens, sed relatio, & respectus, quem talis cognitio fingit in obiecto: ergo constituitur genus per respectum fictum, & consequenter, qui sit ens rationis. Prob. min. *Tùm* quia animal esse cognitum relatè ad inferiora est animal repræsentari intellectui relatè ad inferiora: sed quidquid est repræsentative in conceptu est obiectivè in re repræsentata: ergo ly relatè ad inferiora est obiectivè in animali relatè cognito, ac proinde ex parte obiecti apparet respectus, qui nullum esse habeat, nisi esse ob-

obiectivè in intellectu. *Tum* quia cognitio fingens nil aliud,est, quã cognitio repræsentans intellectui id,quod non est, ac si esset: sed per cognitionem attingentem animal relatè ad inferiora repræsentatur intellectui animal cum respectu,qui in ipso non est,ac si esset; quod prob.insistendo dictis; nam intellectus cognoscit animal, vt superius, siquidem concipit ipsum, vt genus: ergo cognoscit in ipso respectum superioris: ergo ipsi repræsentatur talis respectus per eam cognitionem, intellectus quipè nil cognoscit,nisi per cognitionem repræsentetur: cum ergo ille respectus revera in animali non sit, repræsentatur per talem cognitionem animal cum respectu, qui in ipso non est,ac si esset.

115 *Confirm.* 2. & explicatur doctrina tradita in alijs instrumentis sciendi. Artefactum Logicum huius diffinitionis v. g. *animal rationale*,& similiter huius propositionis *animal est rationale* cõsistit formaliter in compositione earum partium,cum forma artefacti sit partium compositio, vt domus artificium consistit in compositione lapidum: sed compositio earum partium artefacti Logicalis est cõpositio rationis:ergo forma artefacti Logicalis est ens rationis.Prob. min.Compositio est distinctorum vnio, ac proindè qualis est distinctio partium, est earum vnio: sed distinctio earum partium artefacti Logicalis est distinctio rationis: ergo,& vnio, & consequenter compositio in ea consistens est compositio rationis. Cætera patent, & min. constat ex eo, quod distinctio,quæ est inter extrema realiter identificata,nullo modo est realis, ac proindè est distinctio rationis: sed animal, & rationale, quę sunt partes eius artefacti, realiter identificãtur:ergo distinctio inter eiusmodi partes est distinctio rationis.

116 *Confirm.* 3.Intellectus componens animal cum rationali in hac affirmatione v. g. *rationale est animal*,non solum concipit ea extrema distinctis conceptibus, sed concipit ea, vt distincta: ergo ex parte obiectorum apprehenditur ea distinctio; sed ea distinctio non est realis,vt probatum manet:ergo illa compositio est extremorum, inter quæ datur distinctio rationis, ac proindè est compositio rationis. Antec.prob. 1.quia propositio idẽtica, hæc scilicèt, *animal est animal*, non alia ratione est identica, nisi quia licèt extrema concipiantur distinctis conceptibus, non tamen concipiuntur,vt distincta,sed vterque conceptus est eiusdem omnino obiecti expresio: ergo in alia propositione, non identica, sed formali, extrema non solum concipiuntur distinctis conceptibus, sed etiam concipiuntur, vt distincta. *Secundò* quia medio illo conceptu *animal* concipit intellectus animal,vt distinctum ab omni eo, quod metaphisicè, constitutivè non est animal: sed animal non est metaphisicè, constitutivè rationale,

le, aliàs essentia metaphisica animalis in rationalitate consisteret, quod patet, quam sit falsum: ergo concipit animal, vt distinctum à rationali. *Tertia* quia cognoscit se affirmare de rationali aliquid, quod iuxta affirmantem non est formaliter ipsum rationale, de quo illud affirmat, aliàs quid iudicio, & propositione formali, & non identica affirmaret? sed affirmat animal; ergo cognoscit animal, quod affirmat, vt non idem formaliter, seu vt distinctum formaliter à rationali. *Hæc* pro nunc sufficiant quęst. 2. & quæst. 1. amplius extendenda.

117. *Quod* si rationi nostræ, & omnibus confirmationibus alia via occurras asserens ex ipsis tantùm probari, quod genus, diffinitio, & similia involvant quidem formam rationis, non tamen probari, quod eam dicant constitutivè, sed consequenter, quia talis forma advenit pro posteriori, ac proindè, quod independenter ab ea intelligitur iam obiectum formale Logicæ.

118. *Contra* est. Nam si argumenta facta probant genus, & alia huiusmodi involuere formam rationis, probant per talem formam constitui: ergo solutio est nulla. Prob. anteced, *Tùm* quia genus vt pote superius, & vniuersale constituitur per respectum ad inferiora: ergo si argumenta facta probant, quod talis respectus est ens rationis, probant, quod constitutivum illius est ens rationis. *Tùm* quia si semel cognitio attingens ordinatè obiecta efficit in obiectis artificiū rationis, per hoc, & non per actionem constituuntur obiecta ordinata: sed formale obiectum Logicæ est id, quo obiecta constituuntur ordinata: ergo in artificio resultante ex cognitione in obiectis consistit obiectum formale Logicæ. Mai. constat, nam terminus actionis productivæ non constituitur per ipsam actionem, sed per terminum ab ea productum, ideoque artefactum domus non per actionem artis, sed per formam artificiosam productam constituitur.

119 *Denique*, quia id se habet formaliter, & non consequtivè in obiecto Logicę, ex quo provenit, quod Logica sit ignobilior alijs scientijs, cum nobilitas, vel ignobilitas scientiarum ab obiecto formali, vt à certa mensura desumatur: sed quod Logica sit ignobilior alijs scientijs provenit ab ente rationis, quod respectu entium realium alias scientias specificantium est ignobilius: ergo ens rationis est obiectum formale Logicæ. Prob. min. ex D. Thoma opusc. 59. dicente: *Inter omnia obiecta debilissimum, & incertissimum est subiectum Logicæ, quia vnum quodque quantum habet de entitate, tantum habet de veritate, & certitudine, vt dicit Aristotel. 2. Metaph. nunc autem secundæ intentiones solum habent esse ab anima, & in anima, ex quo sequitur, quod habent debilissimum esse, & sic ad plenum sciri non possunt, nisi per primas intentiones*: sed cognitio non ha-

habet debilissimum esse, bene verò ens rationis, seu secunda intentio rationis, quæ est talis objectivè: ergo ab hac provenit minor Logicæ nobilitas respectu aliarum scientiarum.

§. V.

Solvuntur argumenta.

110 OBijcies 1. obiectū formale Logicæ est forma, qua constituuntur instrumenta sciendi: sed hæc forma est aliquid reale, cognitio scilicèt ordinatè attingens talia instrumēta, & ea extrinsecè denominans: ergo obiectum formale Logicæ est ens reale. Prob. min. Per eandem formam, per quam intellectus diffinit, prædicat, & artificiosè dirigit obiecta, obiecta sunt diffinita, prædicata, sivè artificiosè directa: sed per suam cognitionem diffinientem, prædicantem, sivè dirigentem intellectus redditur formaliter diffiniens prædicans, seu dirigens obiecta, vt est manifestum: ergo per eandem redduntur obiecta diffinita prædicata, seu artificiosè directa. Prob. mai. Per eandem formam, visionem scilicèt, per quam potentia redditur videns parietem, paries denominatur, seu constituitur visus: ergo per eandē formam per quam intellectus dirigit artificiosè obiecta, obiecta denominantur, & constituuntur artificiosè directa.

121 *Confirm.* 1. & explicatur, Dum intellectus absolutè intelligit obiectum, per eādem formam, intellectionem scilicèt, per quam intelligit absolutè obiectum, obiectum est formaliter absolutè intellectum, vt ex se patet: ergo cum ordinatè cognoscit obiectum, per eandem formam, cognitionem scilicèt artificiosam, per quam ordinatè attingit obiectum, obiectum est formaliter ordinatè cognitum: sed instrumenta sciendi formaliter sumpta nil aliud sunt quàm obiecta, vt ordinatè cognita: ergo instrumenta sciendi constituuntur formaliter per cognitionem ea ordinatè attingentem.

122 *Confirm.* 2. Intellectum diffinire hominem nil involuit non reale: ergo hominem diffiniri ab intellectu nil involuit non reale. Patet conseq. cum idem significet antecedens, ac consequens, sola mutatione activæ in passivam. Anteced. verò constat ex eo, quod intellectum diffinire hominem tria dicit, intellectum, qui diffinit, cognitionem, qua diffinit, & hominem, quem diffinit: sed nil horum trium est non reale: ergo nil involuit non reale.

123 *Resp.* concessa mai. neg. min. Ad prob. disting. mai. obiecta sunt diffinita, prædicata, sivè artificiosè directa, *vialiter, & infieri,* conced. mai. *formaliter, & completè,* neg. mai. & concessa min. neg. sub eadem distinctione conseq. Actiones sunt in duplici differentia; aliæ sunt puræ speculativæ, quæ ideò tales dicuntur, quia nil ponunt in obiecto,

iecto, præter extrinsecam denominationem attacti, cuiusmodi sunt visio, volitio, & absoluta cognitio, & ab his denominantur obiecta formaliter, & complete, quia nulla restat vlterior forma producta, à qua denomineatur formaliter & complete talia. Aliæ sunt actiones quodammodo practicæ, & effectivæ, vt calefactio, ædificatio, & artificiosa cognitio, quæ in obiectis, seu subiectis producunt calorem, ordinem, & artificiosam compositionem, & ab his actionibus denominantur causaliter, & infieri, quia actio agentis est fieri ipsius termini; cæterū formaliter, & complete solum denominantur à forma intrinseca in eis producta, & quia ipsæ actiones veluti termino formali complentur. *Hinc* ad prob. mai. neg. conseq. quia visio est actio speculatiua nil ponens in obiecto præter extrinsecam denominationem visi; directio verò artificiosa ponit in obiectis ordinem, sub quo attinguntur, & repræsentantur.

124 *Instabis* 1. ordinatè volens, idest, ordine quodam amans obiecta, nil ponit in illis præter extrinsecam denominationem ordinatè volitorum: ergo ordinatè cognoscens nil ponit in obiectis præter extrinsecam denominationem ordinatè cognitorum. *Instabis* 2. Per hoc præcisè quod intellectus affirmet vnum de alio, etiam si nullus respectus rationis resultet, datur propositio, cuius partes ordinentur per modum subiecti, copulæ, & prædicati: ergo sine vllo respectu rationis intelligitur constitutum artefactum propositionis. *Denique*. Cognitio artificiosa nequit esse in re causa alicuius formæ, qua passiuè dirigantur obiecta, quia forma, quæ à parte rei non est (vt non est à parte rei forma rationis) à parte rei non producitur: ergo vel à cognitione artificiosa denominātur obiecta formaliter, & complete directa, vel nullo modo denominantur ab illa.

125 *Sed ad* 1. instantiam concesso anteced. neg. conseq. quia ordinatè attingens, vel debet supponere ordinē, quem, vel sub quo obiecta attingit, vel talem ordinem debet efficere; & quia voluntas supponit quidquid attingit, nihil enim volitum quin præ cognitum, ideò vt ordinatè velit, non requiritur, quod in obiectis ordinem efficiat, sed quod ordinem ab intellectu propositum supponat: at intellectus non semper supponit ordinem inter obiecta, quæ cognoscit ordinata (vt non supponit ordinem superioris in natura generica, & idem de alijs artefactis) ac proindè necessum est, quod præter extrinsecam denominationem efficiat in obiectis ordinem, à quo denominentur formaliter, & intrinsecè ordinata.

126 *Ad* 2. *instantiam* resp. quod anteced. implicat in terminis; quia sicut implicat disponere tali situ, & ordine lapides, & ligna, & quod

quod forma artificialis domus non resultet; ita repugnat, quod intellectus affirmet vnum de alio, & quód inter vnum, & aliud ordo rationis non resultet : qui enim affirmat animal de rationali cōcipit distinctionem inter extrema identificata, ac proinde compositionem, quę ratione identitatis nequit esse realis, & consequenter, vbi ordo non est, vnum ordinat ad aliud, quod sine artificio rationis nequit salvari.

127 *Ad vltimam* disting. antec. nequit esse causa causans *per influxum realem*, conced. anteced. *per influxum metaphoricum*, neg. antec. & conseq. Influxus quippè, quem petit forma rationis, vt suam sortiatur existentiam obiectivam, est realis entitatiuè, quia cognitio est, entitas realis, sed non influxiuè, quia non communicat effectui existentiam realem; ac proindè est influxus metaphoricus consistens præcisè in eo, quod forma, quæ non est, repræsentetur ac si esset. Et quidem argumentum probat non posse etiam chimęricè apprehendi in obiecto ordinem, quem in re nequit habere, quia respectu illius sic chimęricè concepti idem vrget argumentum, quomodo scilicèt ex vi cognitionis in re influentis causetur, quod à parte rei esse non habet.

128 *Quod si* instes: Influxus ille metaphoricus consistit in eo, quod per cognitionem repræsentetur ordo inter illa obiecta, inter quæ ratione identitatis, verè non est ordo, aut respectus : sed cognitio affirmans *rationale esse animal*, non repræsentat eiusmodi respectum. *Tùm* quia talis respectus non significatur per illas voces exprimentes iudiciū mentale. *Tum* quia cognitio illa esset falsa, cum repræsentaret in obiecto ordinem, qui verè non est in illo: ergo adhuc metaphorico influxu non gaudet illa cognitio.

129 *Resp.* concessa mai. disting. min. non repræsentat *primario*, & *signatè*, conced. min. *secundario*, & *exercitè*, neg. min. actus quippè ille prædicans animal de rationali signatè, & primariò solùm attingit animalitatem, quam prædicat in concreto, & rationale, de quo illam predicat; cæterùm hoc munus prædicationis exerceri nequit, quin in ipso exercitio repræsententur in obiectis respectus subiecti, & prædicati, quos in re non habent : sicut enim proprietas non resultat ex actione primariò terminata ad ipsam, benè tamen ex actione, quæ primariò terminatur ad naturam, & secundario, seu ex consequenti ad ipsam; ita respectus illi rationis non resultant ex cognitione, quæ primariò terminetur ad ipsos, benè tamen ex cognitione, quæ primariò terminatur ad animal, & rationale, & ex consequenti, seu secundariò ad ipsos. Per quod constat ad primam min. prob.

130 *Ad aliam* eiusdem min. prob. neg. sequelam: quia cognitio illa signatè solùm affirmat identitatem animalis cum rationali, quæ cum

cum ita sit in re, cognitio euadit absolutè vera, & nullatenus falsa: respectus autem illos subiecti, copulæ, & prædicati repræsentat exercitè, & purè apprehensiuè, non iudicatiue, aut assertiuè, ac proindè & si in tali cognitione detur fictio; secus tamen falsitas veritati enunciationis præiudicans.

131 *Hinc iam* ad 1. cõfirm. principalis argumẽti concesso antec. neg. conseq. quia absoluta cognitio est actus, quo intellectus speculatur in obiecto, quod in ipso præsupponitur, ac proindè nil ex vi talis cognitionis adquirit obiectum prçter extrinsecam denominationẽ cogniti: at cognitio artificiosa attingit in obiectis, ordinem, qui in ipsis non præsupponitur, ac proindè quem in ipsis debet eiusmodi cognitio efficere. Nec cum dicitur, quod instrumenta sciendi sunt obiecta, vt ordinatè cognita, ly *vt ordinatè* designat denominationem extrinsecam ab ipsa cognitione pro formali indistinctâ; nam cognitio, si sumatur, vt fictio, præcisè est via, & medium ad formam artificiosam, si vt speculatio, est finis extrinsecus, & remotus iuxta iam dicta: Designat ergo ordinem, qui ex parte obiectorum se tenet, & sub quo repræsentantur, dum artificiosè cognoscuntur.

132 *Ad 2. confirm.* disting. antec. nil inuoluit non reale, *secundum id, quod dicit pro recto*, conced anteced. *secundum id, quod connotat ex parte obiecti*, neg. antec. & disting. conseq. nil inuoluit non reale, *vialiter, & in fieri*, conced. conseq. *formaliter, & in facto esse*, sub disting. nil inuoluit non reale, *secundum id, quod dicit in recto*, neg. conseq. *secundum id, quod connotat ex parte actus diffinientis*, conced. conseq. Diffinire hominem, & hominem diffiniri si sumatur vialiter, & in fieri, idem est formaliter, quia iuxta suprà dicta, actio agentis est fieri ipsius termini. Si verò diffiniri, seu esse diffinitum sumatur formaliter, & completè, hoc est discrimen inter diffinire hominem, & hominem diffiniri, quod primum dicit actum intellectus in rectò, & formam rationis in obliquo, secundum verò è contra dicit formam rationis in rectò, & actum intellectus in obliquo; sicut efficere domum dicit in rectò operationem efficientem, & in obliquo artificiũ factum; domum verò fieri dicit è contra in recto artificiũ, & in obliquo operationem: Et licèt homo, qui diffinitur, sit aliquid reale, non est tamen in facto esse, & formaliter diffinitum, sine artificio rationis; sicut licet lapides, & ligna, quæ componit ars domificandi, sint aliquid naturale, nequeunt tamen esse formaliter, & complete composita in modum domus sine forma artificiali.

133 *Obijcies 2.* forma rationis, si quæ resultat in obiectis, supponit obiecta rectè, & artificiosè disposita: sed obiecta, vt rectè, & artificiosè disposita sunt obiectum formale Logicæ: ergo forma ratio-

tionis, si quæ resultat, supponit iam constitutum obiectum formale Logicę. Prob. mai. *Tum* quia forma rationis resultat ex cognitione terminata ad obiecta per modum superioris, & inferioris: ergo supponit obiecta iam cognita, & repræsentata per modum superioris, & inferioris: sed hoc modo sunt obiecta rectè, & artificiosè disposita: ergo supponit obiecta artificiosè disposita. *Tùm* quia forma rationis supponit operationes iam directas, idest, rectè repræsentantes obiecta: ergo supponit obiecta artificiose disposita. Patet conseq. quia medijs obiectis artificiosè dispositis dirigũtur operationes intellectus; & antec. prob. operationes vt rectè repræsentantes obiecta sunt causa formæ rationis: sed effectus supponit suam causam constitutam: ergo forma rationis supponit operationes iam directas.

134 *Confirm*. Si quis resultat respectus rationis in signo ad placitum, supponit signum ad placitum constitutum: ergo si quis resultat respectus rationis in obiectis artificiosè dispositis, supponit obiecta artificiosè disposita. Patet conseq. & antec. prob. ex eo, quod respectus rationis, si resultat, supponit vocem destinatam seu impositam ad significandum hoc vel illud: sed vox sic imposita est formaliter signum ad placitum, cum in impositione consistat, quod vox significet hoc, vel illud: ergo.

135 *Vrgetur*. Facultas docens facere figmentum potiùs est modus errandi, & fallendi, quàm modus sciendi: sed Logica est modus sciendi, non errandi, aut fallendi: ergo non est facultas docens facere figmentum: sed si directè, & signatè haberet pro obiecto ens rationis, esset facultas docens facere figmẽtum, ens scilicèt rationis, quod nil aliud est, quàm quoddam figmentum: ergo directè, & signatè non respicit Logica vt obiectam ens rationis, sed vel nullo modo, vel pure consequentèr.

136 *Resp*. disting. mai. supponit obiecta artificiosè disposita, *vialitèr, & in fieri*, conced. mai. *formalitèr, & in facto esse*, neg. mai. & disting. min. vt artificiosè disposita, *formalitèr, & in facto esse*, conced. min. *vialiter, & in fieri*, neg. min. *Ad primam* min. prob. constat ex dictis suprà, etenim forma rationis resultat ex cognitione terminata primario, & signatè ab obiecta, & secundario, & exercitè ad ipsos rêspectus superioris, & inferioris, quibus formalitèr denominantur obiecta artificiosè disposita; à cognitione quippè solùm vialiter, & in fieri denominantur talia iuxta iàm dicta.

137 *Ad 2. prob.* eiusdem min. disting. antec. forma rationis, *vt cognita practicè, & vt effectus ipsarum operationum*, ommitt. antec. *vt speculatiuè præcognita, & vt causa specificans operationes*, neg. antec. & disting. conseq. supponit obiecta artificiosè disposita, *vialiter, & in fieri*, conced. conseq. *formaliter, & in facto*

ēto eſſe, neg. conſeq. Sicut Artifex, priuſquàm domum practicè, & in exercitio conſtruat, proponit ſibi idæam domus, quā ſpeculando, & notando, dirigitur ad actiones manuales ita diſponēdas, & ad lapides, lignaque ita collocanda, vt inteatū exiſtat domus artificium; ita qui vult ſyllogiſmum (idem de quovis alio artefacto Logico) artificiosè conficere, dirigitur per ipſam formam ſyllogiſticam idealiter præconceptā, & ſpeculativè precognitā ad conficiēdū in exercitio artefactum ſyllogiſticū medijs operationibus rectè repræſentātibus obiecta, quatenùs mediatur priùs quomodo termini, & propoſitiones diſponi debeant, vt inteatū exiſtat ſyllogiſmi artificium; eiuſmodique forma artificioſa ſic ſpeculativè præcognita præcedit, vt finis intrinſecus, & obiectū, ac proindè vt cauſa ſpecificans, tū paſsivā operationum directionem, tùm ſe ipſam vt in exercitio exiſtentē, licèt vt effectus operationū ipſas ſubſequatur; ſicut eodē modo præcedit forma domus tùm operationes manuales vt directas, tùm ſe ipſam vt exiſtentem exercitè; id enim, quod præcedit in intentione, vt finis, & cauſa ſpecificans quamlibet artem, eſt poſtea in exequtione effectus operationum ipſius artis, quam ſpecificat.

138 *Ommiſsimus* autem in prima parte diſtinctionis anteced. quia nō dùm eſt ſatis cōpertum, quomodo actio agentis introducens formam debeat præcedere formā introductam, an præcedentia ſcilicèt ſolius cauſalitatis, an præcedentia intelligentiæ ita, quod cauſalitas ſeu actio intelligatur priùs, quàm forma introducta; calefactio quipè (idem de alijs actionibus practicis) non cenſetur completa, non intellecto calore producto. Sed quia hęc ſpectant ad phyſicam, & ad libros de Generat. vbi latè agimus de prioritate cauſarum, ideò pro nunc Logici quoad primam partem diſtinctionis antecedens ommittant.

139 *Ad confirm.* vel neg. antec. iuxta frequentiorem ſententiam Thomiſtarū aſſerentium, quod ſignum ad placitū conſiſtit formaliter in reſpectu rationis ad ſignatū, per ordinem ad quod conſtituitur; *vel illo* pro nunc ommiſſo, neg. conſeq. Quia ſignum ad placitum intelligitur conſtitutum per id, per quod ſufficienter ducit in cognitionem ſignati, qualiter ducit ſufficienter per impoſitionem extrinſecam, nam ex vi huius connectitur cum ſignato vt cum termino illius vialis ordinationis, quā habet ab impoſitione extrinſeca: at obiecta nō ſunt formaliter artificiosè directa niſi per eam formam, quam operationes intellectus, vt directæ repræſentant; hæc antē nequit eſſe denominatio extrinſeca, nàm cum ſit indiſtincta pro formali ab ipſis operationibus denominantibus, nil aliud repræſentarent operationes, vt directæ, quam ſe ipſas; quod quā abſurdū ſit, patet ſatis ex dictis.

140 *Si dicas.* Quod obiecta, ſeu res ſint rectè moraliter diſpoſitæ, reſ-

respectu Philosophiæ moralis, non est aliquis respectus rationis, sed pura denominatio extrinseca: ergo quod obiecta sint artificiosè disposita, non est respectu Logicæ aliquis ordo rationis, sed pura denominatio extrinseca. Patet conseq. quia sicut obiectū Logicæ sunt res, vt artificiosè dispositæ, & directæ, ita obiectū Philosophiæ moralis sunt res, vt moraliter directæ, & dispositæ. *Neg* conseq. quia directio passiva rerum, circa quas versatur Philosophia moralis, consistit in eò quod res sint præceptæ, vel prohibitæ, quæ denominatio est quid extrinsecum, & præsuppositum ad scientiæ moralis directionē, ac proindè non est respectus, quē sua directione efficiat in obiectis: at directio rerum, circa quas versatur Logica, cōsistit in ordine, qui cū non sit in obiectis, resultat in ipsis ex directione Logicæ, ac proindè est ens rationis.

141 *Ad id*, quo argumentū vrgetur, disting. mai. docens facere figmentū, *nullum habens fundamentum in rebus*, conc. mai. *habens fundamentum*, neg. mai. & cōcess. min. disting. cōseq. figmentū, *nullum habens fundamentum* conc. conseq. *habens fundamentum* neg. cōseq. Logica quipè docet apprehendere obiecta distinctè, & ordinatè, quod sine fictione respectus, & ordinis in obiectis aliàs idētificatis non stat; hoc autē respectu intellectus nostri nō aliter valentis percipere veritatē, nō est fallere, sed aptiori, quo possint, modo res disponere, vt ab ipso percipiatur; sicut ars iuvans visum debilē ei proponens obiecta sub ea magnitudine, & proportione, quam & si in se non habeant, qua tamen à visu possint aptiùs percipi, sensui deservit ad rectè videndum, sine vlla per se mixtione falsitatis.

142 *Denique* obijcies. Instrumenta sciendi, demonstratio v. g. causant scietiam: sed forma rationis nequit causare scientiā, cū hęc sit aliquid reale; ergo instrumenta sciendi nō sunt formaliter entia rationis. *Resp.* disting. mai. causant scientiā, *effectivè* neg. mai. *obiectivè*, conc. mai. & disting. min. nequit causare scientiā *effectivè*. conced. min. *obiectivè*, neg. min. & conseq. Demonstratio est duplex, formalis, & obiectiva; formalis sunt actus intellectus repræsentantes obiecta artificiosè disposita, qui quidem causant effectivè scientiam iuxta dicenda in lib. Poster. tales autem actus non esse obiectum formale probauimus supra: demonstratio obiectiva sunt ipsa obiecta per formam rationis artificiosè disposita, & hæc causant scientiam obiectivè.

143 *Quod* si dicas: Licet obiecta disposita per formam rationis causent scientiam, non tamen causant illam ratione dispositionis, sed ratione veritatis, & connexionis obiectivæ, quæ realis est; hæ quipè præmissæ, *omne admirativum est risibile*, *omne rationale est admirativum* non causant scientiam huius conclusionis, *ergo omne rationale est risibile*, quia sic, vel alitèr disponuntur, sed ratione veritatis, qua realiter gaudent, quaque connectuntur

rea-

realiter cum veritate conclusionis: ergo instrumenta sciendi constituuntur per aliquid reale.

144 *Resp.* quod sicut domus protegit nos ab incommodis temporum ratione corpulentię lapidum, & lignorum, vt ratione formali, & ratione artificij, vt conditionis exactæ ad hoc, vt lapides, & ligna illum sortiantur effectum, quatenus nisi tali situ, & ordine essent collocata, ab incommodis tēporum non protegerent; ita obiecta artificiosè disposita causant scientiam per suam veritatem obiectivam realem, vt per rationem formalem, & per artificiosam dispositionem, vt per conditionem exactam, ad causandum scientiam, & sine qua scientiam non causarent. *Vndè* disting. anteced. non causant illam ratione dispositionis, *vt virtutis, & rationis formalis causandi* conced. anteced. *vt conditionis requisitæ ad causandum*, neg. anteced. & neg. absolute conseq. Quia id, quod est conditio ad causandum, est ratio formalis constituens artefacta logicalia, qualia sunt instrumenta sciendi, in esse artefacti, & obiecti formalis artis Logicalis; sicut dispositio artificiosa lapidum, & lignorum, quæ est para conditio ad protegendum, est forma constitutiva domus in esse artefacti, ac proindè in esse obiecti formalis artis domificandi: nulla quippè ars habet pro obiecto formali entitatem naturalem suæ materię, sed dispositionem artificiosam, quam in ea introducit, & quæ est dispositio ad causandum.

145 *Constat* ex dictis, quod obiectum formale Logicæ est ens rationis, quod propriè, & obiectivè est tale, quia scilicèt nullum aliud esse habet, nisi esse obiectivè in intellectu: sed cum non convertantur hæc duo, *obiectum formale Logicæ est ens rationis; omne ens rationis est obiectum formale Logicæ*, restat pro complemento doctrinæ brebiter determinare; an quælibet secunda intentio rationis, de qua agit Logica, compręhendatur sub obiecto formali; vel an sub eo præcisè compræhendantur secundæ intentiones diffinitionis, divisionis, & demonstrationis, in quas species dividitur modus sciēdi obiectivus, sicque modus sciendi obiectivus, provt ea tria complectitur, sit obiectum adæquatum, formale, & attributionis, vt sentiunt Mag. Ioann. à S. Thoma, Masius, Parra, Linze, PP. Carmelit. & alij.

§ VI.

Obiectum attributionis Logicæ est tantùm modus sciendi obiectivus.

146 Prob. conclusio ratione à priori. Obiectum attributionis Logicæ est id, quod per se Logica considerat, & in ordine ad quod cætera attingit: sed Logica per se considerat modum sciendi obiectivum, & omnia alia, de quibus agit, attingit in ordine ad ipsum: ergo tantùm modus

dus sciendi obiectivus est obiectum attributionis Logicæ. Min. quoad primam partem constat ex eo, quod Logica per se considerat instrumenta, quibus ex vi proprij artificij manifestat ignotum, hac quipè artificiosa manifestatione veritatis dirigit intellectũ: sed huiusmodi est modus sciendi obiectivus, provt complectitur diffinitionem, divisionem, & demonstrationem, nàm quolibet instrumento ex his manifestatur artificiosè ignotum, & dirigitur intellectus: ergo. *Quoad* 2. verò partem, in qua exclusio consistit, prob. Logica considerat modum sciendi vocalem, mentalem, & scriptum, quatenus est signum modi sciendi obiectivi, vt ex supradictis constat; insuper terminos, prædicabilia, prædicamenta, quatenus sunt partes, aut ipsius modi sciendi obiectivi, si ea obiectivè consideret, aut quatenus sunt partes modi sciendi mentalis, vocalis, & scripti, si ea consideret significativè: sed hæc sunt omnia, de quibus Logica agit: ergo omnia, de quibus agit Logica, considerantur ab ipsa in ordine ad modum sciendi obiectivum.

147 *Obijcies.* Omnia, de quibus Logica agit, ordinantur ad demonstrationem: ergo demonstratio est obiectum attributionis Logicæ. Prob. antec. Omnia deserviunt demonstrationi, vt partes, quibus ipsa constat: constat enim propositione, terminis, genere, proprio, ipsaque etiam diffinitione: sed partes ordinantur ad totum, cuius sunt partes: **ergo omnia**, de quibus agit Logica, **ordinantur** ad demonstrationem.

148 *Confirm.* Obiectu m attributionis Logicæ est modus sciendi: sola demonstratio est modus sciendi, nam sola demonstratio generat scientiam: ergo sola demonstratio est obiectum attributionis. *Vrgetur.* Eò demonstratio non esset obiectum attributionis, quia sub se non comprehendit omnia, de quibus per se agit Logica, diffinitionem scilicèt, & divisionem; sed nec etiã modus sciendi obiectivus ea omnia sub se comprehendit, non enim comprehendit sub se terminos, genus, speciem, & alias secundas intentiones huiusmodi: ergo vel modus sciendi non est obiectum attributionis, vel est obiectum attributionis sola demonstratio.

149 *Resp.* disting. antec. omnia ordinantur, *formaliter, vel materialiter*, conced. anteced. *formaliter determinatè*, neg. antec. & neg. conseq. Quia obiectum attributionis illud solum est, ad quod formaliter ordinantur omnia, de quibus scientia agit, id est, ita ordinantur, vt ad talem scientiam non spectent nisi quia ordinata ad illud; quo genere ordinis non ordinatur ad demonstrationem diffinitio (idem de divisione) quia independenter à demonstratione, gaudet artificio, vi cuius manifestet ignotum, & spectet per se ad Logicam; licet materialiter diffinitio sit pars demonstrationis, quatenus id quod aliàs est diffinitio, assumitur sæpè

per modum medij, aut extremi ad aliquid demonstrandum, quod solum convincit demonstrationem esse obiectum principalius, seu principalitatis, secus tamen attributionis: sicut respectu Metaphisicæ substantia non est obiectum attributionis, est tamen obiectum principalitatis.

150 *Ad confirm.* concessa mai. dist. min. sola demonstratio est modus sciendi, *scientia strictè sumpta*, pro cognitione discursiva conc. min. *latè sumpta*, pro cognitione artificiosè manifestãte ignotum neg. min. & neg. conseq. Quia non in prima acceptione, sed in secunda est modus sciendi obiectum Logicæ, prout scilicet instrumentum per se, & ex vi proprij artificij manifestativum ignoti, & quo artificiosè dirigitur intellectus in suis operationibus.

151 *Si dicas.* Non solum syllogismus demonstrativus, sed etiam probabilis, & opinativus manifestat artificioso modo ignotum: ergo vel solutio est nulla, vel non sola demonstratio est, quę inter species argumentationis, pertinet ad obiectum formale Logicæ. *Resp.* disting. antec. manifestat ignotum, *manifestatione exposita falsitati*, conced. antec. *non exposita falsitati*, neg. antec. scientia quippè cum sit virtus intellectualis, est inefalibilis determinatio intellectus ad verum, ac proindè nequit respicere pro obiecto manifestationem illam, quæ æquè conciliabilis est cum falsitate, ac veritate, cuiusmodi sunt probabilitas, & opinio ex syllogismis probabili, & opinativo generatę; & licet ex parte formæ syllogisticæ, quę æquè reperitur in omnibus syllogismis, etiam inspiciantur à Logica, secus tamen ex parte materiæ, cum Logica, ut scientia, etiam de opinabilibus, & probabilibus doceat generare opinionem, quod est evidenter verum. Sed de his opportuniùs art. sequente.

152 *Ad id*, quo agumentum vrgetur, concessa mai. dist. min. non comprehendit *in recto*, conc. min. *in recto, vel in obliquo*, neg. min. & conseq. Sicut obiectum attributionis Philosophię est ens mobile, quia licet Philosophia agat de materia, & forma, quarum nulla est in recto ens mobile, agit tamen de eis, quatenus sunt partes per se ordinatę ad cõpositionem entis mobilis; ita obiectũ attributionis Logicæ est modus sciendi, quia nõ aliter agit Logica de terminis, de vniversalibus, prædicabilibus, &c. nisi vt partibus modi sciendi, quo solo manifestat artificiosè ignotum intentumque consequitur finem directionis artificiosę intellectus: diffinitioni autem, & divisioni per se competit, & ex vi proprij artificij manifestare ignotum, ac proindè per se competit ratio, cur inspiciatur à Logica independenter à demonstratione.

*****

ART.

ART. III.

Vtrum Logica docens, & vtens sit idem habitus?

153 I*Nsinuavimus* in proœmio divisionem Logicę in docentem, & vtentem, dùm docentem diffinivimus, *quæ tradit regulas, vt intellectus in efficiendis instrumentis sciendi rectè, & sine errore procedat;* vtentem verò discripsimus, *quæ eiusmodi regulas applicat ad determinatam materiam*: quo supposito, inquirimus modò, an docere, & vti sint exercitia, pro quibus requirantur diversi habitus, an potiùs sint distincta precisè munera eiusdem habitus Logici, qui primariò exerceatur per doctrinam, & secundariò per eiusdem doctrinę vsum. Vt autem clariùs resolvatur principale dubium, aliqua incidentia dubia sunt priùs determinanda.

§. I.

Statuuntur vsus, & directio Logicæ in propria materia.

154 V*Sus* iuxta D. Thomam 1. 2. q. 16. art. 1. *est applicatio rei ad opus*; vndè datur vsus Logicæ quoties huius pręcepta applicamus diffiniendo, dividendo, aut demonstrando *iuxta talia præcepta*: addimus consultò *iuxta talia præcepta*, quia non quælibet demonstratio est vsus Logicæ, sed ea tantum, quę conficitur à sciente, & advertente regulas, quas circa efficientiam demonstrationis Logica præscribit; vndè primus actus Logicę nequit esse vsus, cum doctrinam, quæ in eius efficientia observari possit, non præsuponat.

155 *Cæterum* vsus Logicæ dupliciter potest accipi, activè scillicèt, & passivè: vsus activus est, quo ipsa Logica vtitur præceptis, & regulis à se traditis, vt cum iuxta à se præscripta circa demonstrationem ipsa est, quę demonstrationem conficit: passivus est ille, secundum quem aliæ scientiæ vtuntur Logica, v. g. cum Philosophia demonstrat passiones de suo obiecto conficiendo demonstrationem iuxta Logicæ præcepta; tunc enim Philosophia est activè vtens Logica, seu quæ activè vtitur Logica, & Logica est vsitata passivè, quod amplius constabit §. sequente, dum statuamus Logicam purè directivè concurrere ad demonstrationes aliarum scientiarum: in hoc autem secundo sensu quis dubitet pręsens quæsitum non procedere; nam cum alię scientiæ sint, quę activè denominentur vtentes, tam certum est huius generis vsum à Logicæ, doctrina differre realiter, quàm certum est Logicam, & aliàs scientias esse habitus realiter diversos: & similiter notum est Logicam sic visitatam passivè à se ipsa, vt docente, nō differre nisi penes denominationem extrinsecā provenientem ab vsu activo, quo aliæ scientiæ vtuntur ipsa. Devolvitur ergo

ergo dubium ad doctrinam, & vsum, qui propriè est talis, quo scilicèt Logica ipsa est, quæ vtitur regulis à se traditis.

156 *Cum autem* Logica sit instrumentū sciēdi, idest, sit præparativa instrumentorum, quibus aliæ scientiæ adquirantur, duplex statim insurgit difficultas, antequam principale dubium resolvatur, quomodo scilicèt Logica segerat tùm in propria materia dùm instrumenta sciendi contemplatur, & præparat, tùm circa alias scientias quibus ea præparat; an purè vt dirigens, seu docens, an purè vt vtens; vel potiùs vtroque modo, vt dirigens scilicèt, & vt vtens.

157 *Statuimus* ergo vt nobis longe probabilius, quod Logica vtroque modo se gerit in propria materia, dirigendo scilicèt, & vtēdo, ita vt intra proprios limites, & ab alijs scientijs præscindendo, directione gaudeat, & vsu. *Vtraque* pars prob. simul. Logica, vt dirigens est Logica docens, quomodo instrumenta sciendi conficienda sint, & Logica, vt vtens, est Logica eiusmodi doctrinā applicans ad exercitium conficiendi instrumenta sciendi: sed Logica in propria materia vtroque modo segerit: ergo in propria materia gaudet directione, & vsu. Prob. min. Logica in propria materia tradit regulas, circa efficientiam cuiuslibet diffinitionis, divisionis, & argumentationis, insuperque iuxta tales regulas plura diffinit, & demonstrativè probat, vt ex toto Logicæ tractatu constat: ergo in propria materia, & respectu illius Logica, & est dirigens, & est vtens. *Explicatur.* Logica conficit diffinitionem, v. g. *vniversalis* iuxta præcepta à se tradita circa definitionem in communi: ergo respectu illius diffinitionis, & est dirigens, seu docens, & est vtens: sed vniversale diffiniendo non excedit Logica proprios limites, cum de vniversalitate agat, vt de propria materia: ergo intra proprios limites habet doctrinam, & vsum.

158 *Obijcies* 1. Logica est ars adinvēta ad dirigendas aliàs scientias, non se ipsam; dirigens quippè debet à directo distingui: sed si Logica respectu propriæ materiæ gauderet directione, dirigeret se ipsam: ergo Logica non gaudet directione respectu propriæ materiæ. *Resp.* disting. mai. non se ipsam, *directè, & primariò*, conc. mai. *secundariò, & reflexè* neg. min. & dist. min. *secundariò, & reflexè* conc. min. *primariò, & directè* neg. min. & conseq. Logica, cum sit instrumentum sciendi, non tàm quæritur propter se, quàm propter aliàs scientias, quibus deservit; vndè ad hoc directè tradit regulas, vt intellectus eas applicando ad materias aliarum scientiarum, suum finem, qui est cognitio veritatis, consequatur: secundariò tamen, & per reflexionem etiàm dirigit se ipsam, dum iuxta regulas generaliter à se traditas plura diffinit, dividit, & demonstrat. Dirigens autem debet à directo distingui quoad actus dirigentes

tes,& directos,idest,actus,qui est directio, non ad sui, sed ad alterius elicientiam est directio,actus quippè docens quibus requisitis debeat constare quælibet diffinitio, est directio ad actum in exercitio diffinientem; vterque tamen potest spectare, & elici ab eadem arte.

159 *Obijcies 2.* ab opposito. Nullus actus Logicæ in propria materia est vsus: ergo Logica in propria materia non est vtens. Prob. antec. *tum* quia omnis actus Logicæ in propria materia est doctrina: ergo nullus est vsus. *Tum* quia si actusLogicæ in propria materia esset vsus,ideò esset,quia Logica in propria materia cōficit demonstrationem,v.g. iuxta regulas à se traditas: sed hoc non sufficit vt Logica sit propriè vtens in propria materia:ergo.Prob.min.Etiā Philosophia,dum passiones de suo obiecto demonstrat,conficit demonstrationem iuxta regulas Logicæ: & tamen hoc non sufficit,vt detur Philosophia (idem de quavis alia scientia) propriè vtens, aliàs divisio in docententem, & vtentem non esset peculiaris divisio Logicæ,sed communis omnibus scientijs: ergo.

160 *Confirm.* Si Logica conficiens demonstrationem in propria materia esset propriè vtens, pars demonstrativa Logicæ non solum haberet doctrinam, sed etiam vsum: consequens est contra D. Thomam in 4.Metaph. lect.4. dicentem, *in parte Logicæ, quæ dicitur demonstrativa, sola doctrina pertinet ad Logicam, vsus verò ad Phisicam, & alias scientias particulares*: ergo falsum est antecedens.

161 *Resp.* neg. antec. Ad eius 1. prob. disting. antec. omnis est doctrina eius, cuius est vsus, neg. antec. alterius, cuius non est vsus conc. antec. vel sine vlla prorsus distinctione, concesso antec. neg. conseq. Restat enim vlterius probare, quod ratio doctrinæ sit incompatibilis cum ratione vsus in eodem actu, quod numquā probabitur; hic enim actus,oratio explicans essentiam rei est clarior illa, sed diffinitio est oratio explicans essentiam diffiniti,ergo est clarior illo, est doctrina, & vsus respectu diversorum; est quippè doctrina respectu diffinitionis, quam docet debere esse clariorem diffinito, sed est vsus regularum demonstrationis, quam conficit, vt qualis debeat esse diffinitio, demonstretur.

162 *Ad 2. prob.* eiusdem anteced. concessa mai. neg. min. nam quid est propriè vsus, nisi applicatio regularum ad determinatam materiam? Ad min. prob. conc. sequelam,in qua concedenda nullum est absurdum, nàm iuxta D. Thomam in sequenti confirmatione adductum *in parte demonstrativa doctrina pertinet ad Logicam vsus verò ad Philosophiam,& ad alias scientias*: aliæ ergo scientiæ sunt iuxta Ang. Præcept. vtentes,dum ex directione Logicæ, huius applicant regulas ad constructionem suarum de-

demonstrationum: cum hoc tamen compatitur, quod divisio in docentem, & vtentem sit respectu Logicæ aliquo titulo specialis *tum* quia intra eandem scientiam, & ab eadem, & docetur quomodo instrumenta sciendi conficienda sint, & plura conficiuntur. *Tùm* quia plura tradit principia disputandi probabiliter in materia cuiuslibet scientiæ, respectu cuius disputationis Logica est vtens activè, vt infrà constabit.

163 *Ad confirm.* concessa mai. neg. min. & ad testimonium D. Thomę constat explicatio ex supra dictis; cum enim Logica sit instrumentum sciendi non tàm quæritur propter se, quàm propter aliàs scientias, quibus deservit, vndè illius vsus atenditur præcipuè respectu aliarum scientiarum, & respectu harum docet D. Thomàs, quod Logica quoad partem demonstrativam non habet vsum propriè dictum, activum scilicèt, sed solam doctrinam, quia iuxta sententiam propugnandam §. sequente Logica purè directivè concurrit ad demonstrationes aliarum scientiarum, ac ptoindè ipsa est quoad hoc vsitata pasivè; non tamen negat D. Thomas vsum activum Logicæ in propria materia, licet talis vsus, quia minus principalis, ibi non meminerit. An autem ex hac doctrina inferatur Logicam docētem, & vtentem esse distinctos habitus, postea constabit.

164 Hæc D. Thomæ explicatio melius percipietur, si obserues, quod respectu Logicæ hoc est discimen inter partem demonstrativam, & alias partes in ordine ad alias scientias, in ordine ad quas pręcipuè attenditur vsus Logicæ; quod respectu demonstrationum aliarum scientiarum Logica tantùm potest habere concursum in earum formam artificiosam, & cum ad hanc solùm directivè concurrat iuxta statim dicenda, fit consequens, quod nullus sit vsus activus Logicæ in illas. Cum autem in materijs aliarum scientiarum fiunt discursus probabiles, opinativi, aut fallaces, pręter cōcursum directivum ad formam syllogisticam præbet sępè Logica aliquā ex pręmissis, ex quibus cōclusio deducitur, vt videre est, alijs ommissis, in hoc syllogismo communi in materia Philosophiæ formato; *contraria sunt circa idem: sed amor; & odiū sunt contraria: ergo sunt circa idem*; vbi pręter formā syllogisticā debetur Logicę pręmissa maior, ex qua, & ex alia præmissa philosophica infertur probabiliter illa philosophica conclusio: cum autem assensus præmissarum efficiat assensum conclusionis, inde fit, quod quantùm ad conclusionem propositam concurrat effectivè, seu activè, & non solum directivè, Logica, cuius est illa præmissa, ac proindè quod quantum ad partem topicam, opinativam, aut sophisticam, habeat vsum activum, quo activè vtatur principijs à se traditis, vt activè concurrat in assensum ex eo generatum.

§. II.

Statuitur concursus purè directivus Logicæ quoad demonstrationes aliarum scientiarum.

165 DVM aliæ scientiæ demonstrativè procedunt,& vt scientiæ, non vtuntur principijs Logicę,vtpotè quæ sunt extranea ab earum obiectis,& demonstratio petit per proprias causas, & principia procedere; vndè solū dubitatur, an forma artificiosa,sub qua disponuntur ad inferendam conclusionem sit effectivè à Logica,vel solùm directivè; & esse purè directivè à Logica prob. Philosophia, v. g. efficit suas demonstrationes quoadmodum etiā artificiosum: ergo Logica ad talem modum concurrens purè directivè concurrit. Prob. antec. Philosophia efficit suas demonstrationes quoad substantiam,quoad principia scilicèt, seu præmissas,quibus nituntur: ergo etiam quoadmodum artificiosum, quo tales præmissę disponuntur. Antec.ab omnibus conceditur,& prob. conseq. Modus,qui per se non efficitur,sed resultat ad substantiæ positionem, fit à principio agente substantiam: sed modus ille artificiosus cum sit forma rationis, non fit per se, sed resultat ad positionem substantię demonstrationis:ergo fit ab eodem principio, à quo fit substantia demonstrationis, ac pro indè fit per actum philosophicum, per quem fit substantia demonstrationis.

166 *Confirm.* Logica est scientia docens docere,dirigens scilicèt intellectum ad scientiarum adquisitionem, & earum perfectionem: ergo exercet hoc munus directionis erga alias scientias: sed si ipsa est, quę efficit demonstrationes aliarum scientiarum, non est quomodo directionis munus erga eas exerceat; quia non erga substantiam demonstrationū, quæ ad Logicam nullo modo spectat; non quoad formam artificiosam, quia nulla facultas dirigitur ad id, quod ipsa nequit efficere: ergo vel directio Logicę sistit in ipsa, vel si aliàs scientias dirigit, harum demonstrationes non efficit.

167 *Denique* virtutes morales eliciunt suos actus iuxta regulas Prudentiæ, quin Prudentia actus illos coëficiat; voluntas prosequitur bonum iuxta apprehensionem intellectus,quin apprehensio effectivè concurrat ad amorē; actiones tandem externæ versantur circa propriam materiam exequendo regulas artis, quin ars residens in intellectu plusquam directivè influat in eas: ergo vt Philosophia per suos actus applicet regulas demonstrandi ad propriam materiam,sufficit,quod Logica directivè concurrat, omni excluso concursu effectivo.

168 *Obijcies.* Philosophia nequid efficere id, quod est totaliter extra sphæram suę virtutis:sed forma artificiosa demonstrationis est totaliter extra sphæram virtutis Philosophiæ,cum talis forma si ens ra-

rationis, quod totaliter est extra sphæram philosophicam; ergo talis forma artificiosa nequit effici à Philosophia.

169 *Confirm.* 1. Quia actus fidei formatæ, quę dicitur fides viva, involvunt ordinem ad obiectum charitatis, nequit fides se sola tales actus formatos elicere sine influxu effectivo charitatis: sed actus Philosophici, vt artificiosè ordinati involuunt ordinem ad obiectum Logicę: ergo nequit Philosophia se sola tales actus elicere sine influxu effectivo Logicæ. *Confirm.* 2. Sic Logica prębet alijs scientijs, & ministrat instrumenta sciendi, sicut ars frænofactiva præbet, & ministrat frænum arti Equestri: sed ars frænofactiva efficit frænum, quod ministrat, non ars Equestris, cui illud ministrat: ergo Logica efficit instrumenta, quæ scientijs ministrat, non scientia, cui ea ministrat.

170 *Resp.* concessa mai. dist. min. forma artificiosa, *vt signatè speculanda* conc. min. quia proprietates, & affectiones formæ rationis investigare, & demonstrare ad solam pertinet Logicam: forma rationis, *vt secundariò exequenda*, neg. min. quia provt sic considerata cadit intra sphæram virtutis Philosophiæ adiuncta directione Logicæ, nam talis forma resultat ex substantia actus, quam ponit Philosophia; sicut actus virtutum vt à Prudentia signatè attingendi, sunt extra sphęram virtutum residentium in voluntate, vt tamen hic, & nunc prudenter exequendi sunt intra sphęram earum, accedente Prudentiæ directione, & sine vllo Prudentiæ concursu efectivo.

171 *Ad* 1. *confirm.* neg. causalem mai. causalis enim est, quia charitas, vtpote virtus perficiens voluntatem, non ordinat actus virtutum ostendendo, & proponendo obiectivè, sed impellendo, & movendo subiectivè, quod sine concursu effectivo stare nequit: at Logica sequitur modum movēdi intellectus, proponendo scilicèt, & ostendendo, & hoc modo ordinat obiecta, qui modus limites directionis non excedit.

172 *Ad* 2. *confirm.* neg. mai. si ly *sicut* dicat paritatem in omnibus, secùs si dicat similitudinem quoad aliquid, quoad hoc scilicèt; quod Logica præbet instrumenta sciendi alijs scientijs, & frænofactiva præbet etiam frenum Equestri: discriminantur tamen in modo prębendi, quo fit, vt consequentia sit nulla: quia frænum est per se factibile, forma autem artificiosa rationis non est per se factibilis, sed per resultantiam, ad positionem scilicèt substantiæ actus scientifici: *Et instò* argumentum: nam si frænum fieret ex argento, quod frænofactiva nequit disponere, deberet effici ab argentario, opus dirigente, & non efficiente frænofactiva; forma ergo rationis, cum resultet ex substantia actus philosophici, quam Logica non attingit, à Philosophia debet effici, opus dirigente, & non efficien-

ciente, Logica. *Hinc* ſequitur, quod cum communiter dicitur Logicam eſſe inſtrumentū ſciēdi, non de inſtrumento ſubiectivo, & quod effectivè concurrit, eſt intelligendum, ſed de inſtrumento obiectivo, quatenus ſcilicèt Logica proponit ordinata obiecta, quorum oſtenſione alię ſcientię in ſuis demonſtrationibus diriguntur.

§. III.

Reſolvitur dubium principale.

173. SIt concluſio. *Logica docens, & vtens eſt idem realiter habitus cum ſola diſtinctione quoad munera.* Eſt communis inter Thomiſt. & merito, cum eam ſatis inſinuet S. D. tum quia opuſc. 70. & 4. Meth. & alibi ſæpè, vt agat de Logica vtente, & docente provt diſtinctis, interſerit reduplicationem dicens, Logica provt docens conſiderat intentiones, provt vtens, vtitur ad concludendum; at reduplicatione vtimur cum extrema ſola ratione diſtinguuntur; vndè vt de homine diſcurrēte, & ſentiente loquamur, veluti de diſtinctis, neceſſarium eſt dicere ſub reduplicatione, homo, vt animal ſentit, vt rationale diſcurrit; quod neceſſarium non eſſet, ſi de duobus realiter diſtinctis loqueremur: vt enim verè dicamus hominem diſcurrere, & Leonem rugire, nulla eſt expectanda reduplicatio: ergo.

174 *Prob.* ratione. Ille habitus non diſtinguitur realiter ab altero, cuius actus ſupra actum alterius non addit difficultatem: vſus, qui eſt actus logicæ vtentis, nullam addit difficultatem ſupra actum Logicæ docentis, qui eſt doctrina: ergo habitus logicæ vtentis non diſtinguitur realiter ab habitu Logicæ docentis. Mai. patet. Nam habitus ponuntur ad vincendas difficultates, & min. prob. vſus conſiſtit in applicandis regulis, & doctrina in illis explicandis; ſed poſt explicationem regularum Logicę nulla eſt difficultas in earum applicatione: ergo vſus ſupra doctrinam nō addit difficultatem. Probat. minor. difficultas in applicandis regulis vincitur doctrina, & explicatione: ergo poſt explicationem, nulla eſt difficultas in applicandis regulis. Probat. antec. tum quia ex duobus incipientibus audire logicam, promptius, & facilius conficit primum ſyllogiſmum, cui melius explicatus eſt modus efficiendi ſyllogiſmos, & qui prædictum modum melius didicit, ille verò tardiùs, cui modus ille non benè fuit explicatus, vel non æquè benè illum percepit: ergo difficultas in applicando vincitur explicatione, & doctrina. Tùm quia adoleſcens lente procedens in conſtructione ſyllogiſmi, pergit auſpicijs Magiſtri ſuggerentis, hic medium, ibi maiorem extremitatem colloca, nunc medium repete; iam vt cōcludas directè, maiorem de minori prædica extremitate: ergo difficultas in vſu vincitur inſtructione.

175. *Confirm.* poſt explicatas regu-

gulas est nova difficultas in operis constructione, quando, vel opus efficiendum est per aliam potentiam ab ea, quæ regulas docet, vel in materia, cui applicādę sunt regulæ, reperitur difficultas, quæ per ipsas vinci non potest; sed in logica ex nullo ex his capitibus potest sub oriri difficultas: ergo in Logica post explicatas regulas non est nova difficultas in operis constructione.

Mai. declaratur exemplis: etenim ideò post explicatas regulas musicæ est nova difficultas in cātu, quia regulę intellectu, cantus gutture exercetur: ideò calens regulas scribēdi, novam invenit difficultatem ad scribendum in marmore, quia incisio marmoris affert secum difficultates, quibus per regulas scribendi non succurritur; nec aliud apparet, ex quo difficultas in operis constructione post regulas explicatas posśit provenire: ergo. Min. verò quoad primam partem patet: nam eadem potentia intellectiva addiscuntur, & applicantur regulę syllogizandi: quoad secundam prob. nam materia, cui applicantur regulę, vel est propria ipsius logicæ docentis, vt cum diffinit, dividit, & demonstrat ipsas, & hanc difficultatem vincit ipsa Logica docens, sicut quęlibet facultas per se vincit difficultatem propriæ materiæ; vel est materia aliarum scientiarum, & ex hac (si demonstrativè proceditur) non oritur difficultas vincenda per Logicam: *Tùm* quia in ea non habet vsum activum. *Tùm* quia difficultas orta ex materia Philosophiæ tantùm per habitum Philosophię vincitur. Si verò proceditur disputativè, vincitur per Logicam docentem, quia vincitur per habitum, cuius sunt principia, & sunt principia Logicæ docentis in parte topica: ergo nulla difficultas oritur ex materia, ad quam vincendam necessaria sit Logica vtens realiter à docente distincta.

176 *Confirm.* Ad construendam demonstrationem in Philosophia circa motum; v. g. sufficit Logica docens cum habitu Philosophico, qui motum, vt propriam materiam contemplatur: ergo ad conficiendam demostrationem in Logica circa diffinitionem v. g. sufficit Logica docens cum habitu, qui diffinitionem, vt propriam materiam contemplatur: sed hic est ipsa Logica docens; ergo sola Logica docens sine habitu a se distincto sufficit ad demostrandas proprietates diffinitionis, ac per consequens ad vtendum.

177 *Denique* prob. conclusio. Dilectio Dei., & proximi procednnt ab eodem habitu charitatis, quia sunt actus ordinatè se habentes, ita, vt vnus sit primarius, & alter secundarius: sed hoc modo comparantur doctrina, & vsus in Logica: ergo procedunt ab eodem habitu. Prob. min. Ideò dilectio Dei, & proximi ita comparantur, quia ex quo aliquis diligit Deū, habet sufficiens motivum ad dilectionem proximi: sed ex quo aliquis

quis docetur à Logica præcepta in parte demonstrativa, topica, & sophistica, habet sufficientia principia ad disponendam demonstrationem,& ad probabiliter, sivè apparenter concludendum: ergo doctrina, & vsus Logicę comparantur inter se, vt actus primarius, & secundarius.

177 *Dices*: disparem esse rationem; quia cum charitas sit habitus supernaturalis, dat posse ad omnes actus charitatis, qui obiectum formale ipsius attingunt: at Logica cum sit habitus adquisitus nostris actibus, solùm dat facilitatem ad actus similes eis,quibus est productus. *Contra est*. Habitus adquisitus nō solùm præstat facilitatem ad actus similes illis, quibus est productus, sed, & ad illos, qui post ipsos, & in virtute eorum absque aliqua noua difficultate possunt elici; sed post doctrinam nulla in vsu restat difficultas,vt probatum manet: ergo habitus Logicæ genitus actu docente, dat facilitatem, non solùm ad doctrinam, sed ad vsum.

§. IV.

Solvuntur argumenta.

178 OBijcies 1. post explicatas regulas Logicæ,est nova difficultas in illarum vsu: sed ad novam difficultatem vincendam requiritur novus habitus: ergo præter habitum requisitum ad doctrinam,exigitur ad vsum novus habitus. Prob. mai. *Tùm* quia stat,quod quis sit promptus in explicandis, & penetrandis regulis syllogismorum, & sit tardus in eorum constructione: ergo post explicationem est nova difficultas in vsu. *Tùm* quia habitus adquisitus præstat solum facilitatem ad actus similes eis,per quos est genitus:sed Logica generatur per actus,qui sunt doctrina,& nō vsus,cū primus actus, quo generatur Logica,non supponat doctrinam, cuius posset esse vsus:ergo habitus Logicæ sic genitus est tantū facilitas ad actus, qui sint doctrina,ac proinde restat post eum difficultas ad actus qui sint vsus. *Tùm* quia ex repetitis actibus,qui sint vsus,augetur facilitas ad vtendum,non ad docēdum: ergo facilitas ad vnum non est facilitas ad aliud.

179 *Confirm*. Post rectum iuditium de agibilibus, est nova difficultas formalis in eligendo, nam adhuc iuditio dictante esse temperate comedendum, restat difficultas formalis in eligendo temperantam comestionem, ideòque requiritur habitus temperantiæ ad illam vincendam: ergo post actus Logicę dictantis constructionem syllogismi, restat nova difficultas formalis in eius constructione.

180 *Resp*. Disting. mai. est nova difficultas *formalis* neg. mai. *materialis* conced. mai.& disting.min. ad novam difficultatem *formalem* conced. min. *materialem* neg. min. & conseq. Sicut peritus Artifex domum lentè componet, si ministri lapides, & ligna diligenter non afte-

afferant; ſicut velociſsimus Scriptor ſcribet moroſè, ſi materia calamo exprimenda promptè non occurrat memoriæ; ita facilis in explicandis, & applicandis regulis poteſt adhùc in actuali applicatione aliquam experiri difficultatem, ſed materialem tantùm, ortam ſcilicèt ex deffectu ſpecierum, ad quarum vſum facultates internę, vtpotè in exercitatę, miniſteriū ſuum promptè non exhibent: eiuſmodi autem difficultas non vincitur per habitū artis, ſed aliunde ſuperatur, vt patet in duobus exemplis adductis.

181 *Hinc* ad 1. mai. prob. diſting. anteced. & ſit tardus *deffectu habitus applicantis regulas* neg. antec. *deffectu facultatis miniſtrantis materiam* conced. antec. & ſub data diſtinctione facilitatis formalis, & materialis neg. conſeq. *Ad 2. prob.* diſting. mai. prętat ſolum *primariò* conced. mai. *ſecundariò* neg. mai. & conceſſa min. neg. conſeq. quia habitus præſtans primariò facilitatem ad doctrinam, ex conſequenti, & ſecundariò eſt facilitas ad actus, qui ſupra doctrinam non addunt difficultatem formalem, quales ſunt actus vſus ſpectantis ad eandem potentiam. *Ad 3. prob.* neg. anteced. quia cum vſus non ſit quævis operis conſtructio, ſed quę præceptis artis actu dirigitur, non ſtat vſus repetitio, quin doctrina repetatur, & cōſequenter ſi augetur vtens, augetur docens. *Vel iuxta dicta* reſp. augeri per vſum facilitatem materialem conſiſtentem in ſpecierum expedita excitatione; facilitatem verò formalem non augeri niſi per maiorem regularum penetrationē, ſicut ex earum oritur cognitione.

182 *Ad confirm.* neg. conſeq. quia iuditium illud, & electio pertinent ad diverſas potentias, iuditium nempè ad intellectum, & electio ad voluntatem; at doctrina, & vſus Logicæ pertinent ad eandem potentiam, ſcilicèt intellectum.

183 *Dices.* Iuditium de agibilibus, & imperium præcipiens quę agenda ſunt, ſunt actus pertinentes ad ſolum intellectum: & tamen vnus addit ſupra alterum novam difficultatem formalem, vnde D. Thomas 2. 2. q. 51. art. 1. & 2. diſtinctos aſsignat ad vtrumque habitus virtutum, *Sineſim* ſcilicèt ad rectè iudicandum, & *Prudentiam* ad rectè imperandum: ergo ſolutio eſt nulla. *Reſp.* diſting. mai. ad ſolum intellectum *elicitivè* conced. mai. quia vterque actus elicitur ab intellectu: *connexivè* neg. mai. nàm imperium connectitur cum voluntate, quam movet, & in qua movenda propter ipſius libertatem, & indifferentiam eſt nova ſpecialis difficultas: at doctrina, & vſus Logicæ ſpectant omninò ad intellectum; nam & ſi voluntas ſit, quæ intellectum applicat (ſicut & ad quemcumque actum) ad vſum, hæc dependentia à voluntate eſt generalis pro quovis actu, & quæ ſi affert novam difficultatem, non vincitur per habitū Logicæ, ſed per virtutem, ſeu habitum ſtudioſitatis.

184 *Obijcies* 2. Habitus, qui non eſt ſcientia, realiter differt ab habitu ſcientifico: ſed Logica vtens non eſt ſcientia benè verò Logica do-

docês: ergò sunt habitus realiter distincti *Confirm.* Habitus distinguũtur per actus, & obiecta distincta in esse scibilis: sed obiectũ Logicæ vtentis non est scibile, ac proindè actus eius non est scientificus, obiectum verò Logicæ docentis est scibile, & cõsequenter actus eius est scientificus: ergo Logica docens est habitus distinctus ab habitu Logicæ vtẽtis.

185 *Vrgetur.* Nullus actus opinativus est actus elicitus ab habitu scientifico, qualis est habitus Logicę docentis: sed aliquis vsus activus Logicæ est actus opinativus, vt ex D. Thoma sępè hoc asserẽte cõstat; ergo aliquis est vsus activus Logicæ, qui nõ eliciatur ab habitu docẽte, ac proindè, qui pro sui elicientia petat habitũ à docente distinctum.

186 *Resp.* disting. mai. qui non est scientia *absolutè* conced. mai. qui non est scientia *solùm reduplicativè* neg. mai. & dist. min. non est scientia Logica vtens *reduplicativè in quantum vtens* conced. min. *absolutè* neg. min. & conseq. Sicut rationale in quantum rationale reduplicativè non esse animal infert rationale, & animal per rationẽ distingui, secus realiter: quia rationale absolutè est animal; ita Logicam vtentem in quantum vtentem reduplicativè non esse scientiam infert eam à docente, quæ est scientia, per rationem distingui, non tamen realiter, quia absolutè est scientia, in sensu scilicèt identico, & specificativo. Quæ doctrina ampliùs explicabitur (pręter dicenda art. sequent.) quæst. 3. de pręcisionibus obiectivis.

187 *Ad confirm.* disting. mai. per actus, & obiecta distincta *ex æquo* conced. mai. distincta solùm penès *primarium*, *&* *secundarium* neg. mai. & disting. min. obiectum Logicæ vtentis non est scibile *in recto* conced. min. *in obliquo* neg. min. Licèt vsus non sit ex sè, & reduplicativè actus sciẽtificus, est tamẽ cõpositio ipsius sciẽtię, & sic est actus secundarius ab eodem habitu elicitus.

188 Ad id, quo argumentum vrgetur, vt respondeatur, observandum est, quod in materia cuiuslibet scientię tres solent communiter partes distingui; pars scilicèt *analytica*, seu demonstrativa, *topica*, seu probabilis, & *sophistica*, seu fallax: Pars demonstrativa est illa, in qua iudicatur de veritate rerum per harum proprias causas, & principia sicque hęc pars in vnaquaque scientia impenditur in demonstrandis passionibus de obiecto scientiæ: Pars topica ea est, in qua proceditur disputativè ex principijs probabilibus verò similiter suadentibus vtramque partem, ex quibus principijs, si eliciatur assensus resolutorius erga vnam partem, opinio generatur. Pars denique sophistica est illa, in qua ex principijs solum apparenter veris falsum concluditur: Harum partium diversitatis ratio est; quia in cuiuslibet scientiæ materia plures sunt erga eius obiectũ discursus planè demonstrativi, & convincentes; alij non ita, sed solum probabiles, & qui litẽ sub iudice relinquant; alij denique cavillis, & fallacibus arguẽdi formis impliciti, quibus veritas obũbratur, seu

de-

dissuditur: & licet habitus scientificus (vtpote virtus itellectus infalibiliter determinans ad verum) nec opinativè, nec fallaciter possit procedere, ac proindè habitus elicientes actus opinativos, aut fallaces sint omninò diversi ab habitu sciētię; quia tamen tales discursus formantur in materia scientię, ad hanc dicuntur pertinere, & illius nomine insigniuntur; qua ratione discursus in materia Philosophię, sivè sit demonstrativus, sivè opinativus, sive fallax, semper dicitur discursus Philosophicus.

189 *Ex quibus* resp. ad argumētum, concessa mai. dist. min. aliquis vsus activus Logicę, id est, *habitus insigniti nomine Logicæ*, est actus opinativus, conc. min. Habitus, *qui propriè sit Logica docens*, neg. min. & disting. conseq. aliquis vsus activus Logice, idest, *habitus insigniti nomine Logicæ* conc. conseq. *Logicæ propriè talis*, neg. conseq. Sicut nullus dubitat, quod habitus opinativus differt realiter ab habitu scientifico, ita nec dubitadum venit, quod vsus activus, habitus opinativi, qui est actus opinativus, non possit elici ab habitu sciētifico: Restat ergo: quod AA. oppositi probent talem vsum activum esse actum Logicæ docentis, & demonstrantis, vel quod nullus sit vsus in parte demonstrativa, quod supra ostendimus esse falsum.

190 *Dices.* Logica propriè sumpta, vt docens non solùm docet, & dirigit constructionem syllogismi demonstravi, sed etiam opinativi: ergo sicut actualis constructio demonstrationis est vsus activus iuxta nos, Logicæ docentis, ita, & constructio syllogismi opinativi: sed syllogismus sic constructus est actus opinativus, qui iuxta dicta nequit elici ab habitu docente, vtpotè scientifico: ergo datur aliquis actus, qui cum sit vsus activus Logicæ docentis, petat pro sui elicientia habitum à docente distinctum.

191 *Vlterius.* Saltem disputatio probabilis est vsus activus Logicæ docentis, cum Logica iuxta D. Thomam in 4. Metaph. lect. 4. doceat modum disputandi probabiliter in qualibet scientia ex principijs secundarum intentionum: sed disputatio probabilis generat opinionem ab habitu sciētifico diversam: ergo aliquis est vsus activus Logicæ docentis impotens ab habitu docēte procedere. Omnia constant, & min. videtur expressa D. Thomæ in 1. Poster. lect. 1. dicentis. *Ex discursu facto per Logicam vtentem ratio totaliter declinat in vnam partem contradictionis licèt cum formidinè alterius*: discursus ergo probabilis affert secum assensum formidolosum, in quo opinio consistit.

192 *Sed replicæ* manifestè instantur in parallogismo generante errorem, cum Logica non solùm doceat quis syllogismus sit opinatiuus, sed quis sit fallax, & quomodo fallaciæ committantur, quin assensus erroneus sit vsus, sed abusus Logicæ docentis. *Quare* ad 1. disting. antec. sed etiam opi-

opinativi, *vt sciatur, quis assensus sit opinativus, & ex quibus generetur* conc. conseq. *vt eliciatur assensus opinativus* neg. conseq. Logica docens ostendit quidem, & demonstrativè, quid sit, & ex quibus constet syllogismus opinativus, & huius doctrinæ vsus activus est constructio syllogismi opinativi exempli causa formati ad ostensionem suarum regularum, vt cum dicit: *Syllogismus opinativus est, qui conficitur ex principijs purè probabilibus*, vt iste, vel iste (conficiendo syllogismum) *& talis generat opinionem*; quod totum non petit habitum à docente distinctum. Quod si vlterius progrediens intellectus præstet assensum ex vi præmissarum probabilium, talis assensus, in quo opinio consistit, non est vsus activus, sicut nec exercitium Logicæ docentis, sed cuiusdam habitus opinativi nomine Logicæ insigniti, si in materia Logicæ sit formatus discursus; ac proindè nullus est vsus activus, qui titulo talis petat habitum à docente distinctum.

193 *Hinc ad 2.* replicam dist. mai. disputatio probabilis *cum determinatione assensus ad vnam partem* neg. mai: *sine tali assensu, & cum sola inquisitione veritatis* cōc. mai. & dist. min. disputatio probabilis, *cum determinatione assensus ad vnam partē* generat opinionem, conc. min. *sine tali assensu, & cum sola inquisitione veritatis* neg. min. & conseq. nam primò modo sumpta, disputatio probabilis solum importat inquisitionem veritatis, & examen probabilitatis vtriusque partis, quo disponitur intellectus ad scientiam, ac proinde potest esse vsus activus, & exercitium scientiæ docentis disputare probabiliter; sicut calor disponens ad ignem producitur ab agente efficiente formam ignis. Secundò modo sumpta dicit assensum formidolosum scientię contrariū, ac proinde nequit esse vsus illius. Nec D. Thomas docet aliquid huic solutioni contrariū; nam licèt sępè ratio medio discursu probabili declinet per assensum formidolosum in vnam partem, restat vlterius probare, quod ita semper contingat, & quod dum contingit, sit talis assensus vsus activus Logicę docentis, & non habitus opinativi, qui dicitur Logica vtēs, quia aliqua ex præmissis, vel vtraque est in materia Logicæ.

ART. IV.

Vtrum Logica sit scientia, & ars?

194 Vt clariori modo procedamus, prius determinabimus an Logica sit scientia, & sub qua formalitate illi competat ratio scientię, & postea decidetur, quomodo ei conveniat ratio artis. Scientiæ actualis, & habitualis discrimen insinuavimus in proæmio, quod discrimen cōsistit in eo, quod sciētia actualis est actus sciētię habitualis, & sciētia habitualis est habitus, a quo procedit sciētia actualis: sciētia habitualis est, *habitus certus, & evidēs per demōstrationē acquisitus*, & actualis scientia, est actualis cognitio

tio demõstrativa, seu evidens assensus media demonstratione comparatus.

§. I.

Statuitur duplex conclusio.

195 Sit prima conclusio, *Logica est propriè, & simpliciter scientia.* Cõclusio est communis, & expressè propugnata tùm à Philosopho 1. Priorum cap. 1. tùm à D. Thoma in 4. Metaphisic. lect. 4. & opuscul. 70. q. 5. art. 1. & 1. 2. quæst. 57. art. 3. & alibi passim: & prob. Logica est habitus certus, & evidens per demonstrationem adquisitus: ergo est propriè, & simpliciter scientia. Patet conseq. & anteced. prob. in Logica fiunt plures demõstrationes, quibus certo, & evidenter demonstrãtur plures passiones, seu proprietates de eius obiecto: sed tales demonstrationes non possunt alium habitum generare, quã habitũ Logicæ: ergo Logica est habitus certus, & evidẽs per demõstrationẽ acquisitus. Prob. mai. in Logica demonstratur de diffinitione, quod sit clarior diffinito; de divisione, quod debeat tradi per membra, quorum singula sint inferiora diviso; de syllogismo debere constare tribus terminis: demonstratur insuper syllogismum demonstrativum generare scientiam, probabilem generare opinionem, sophisticum verò generare errorem; demonstrantur prætereà de terminis suppositio, ampliatio, &c. de propositione oppositio, æquipollentia, conversio; de vniversali prędicabilitas; ergo.

196 *Confirm.* Habitus, qui ex primis, proprijs, & certissimis principijs deducit evidenter conclusiones necessarias, & æternæ veritatis, est habitus propriè, & simpliciter scientificus: sed habitus Logicæ est huiusmodi: ergo est habitus propriè, & simpliciter sciẽtificus. Prob. min. Logica ex his principijs *dici de omni, dici de nullo, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, quę principia sunt prima, certissima, & sibi propria, infert per evidentem consequentiam syllogismum debere constare tribus terminis, legitimè concludi in Darij, & his similia plura, quæ sunt conclusiones necessariæ, & ęternæ veritatis: ergo est habitus deducens evidenter ex primis, proprijs, & certissimis principijs conlusiones necessarias, & æternę veritatis.

197 Secunda conclusio. *Ratio scientiæ competit Logicæ titulo docentis, non titulo vtentis, sive vt vtenti.* Sensus cõclusionis est ex dictis in art. præcedente, quod si cum reduplicatione, & pręcisivè loquendum sit de Logica sub munere docẽtis, & sub munere vtẽtis, ratio sciẽtię cõpetit ei reduplicativè, vt docẽti, & nõ vt vtenti reduplicativè, licèt absolutè habitus Logicæ vtrumque munus complectens sit scientificus, vt ex prima conclusione patet; sicut licèt homo absolutè sit discursivus, tamen ratio discursivi non competit ei titulo animalis, sed titulo rationalis: quamvis in sensu identico etiam animal sit discursivum. Et quidem quoad primam partem

conclusio est certissima, nam Logica vt docens est, quæ ea omnia supra relata demonstrat, ea siquidem est, quæ demonstrativè docet diffinitionem debere esse clariorem diffinito, syllogismum debere constare tribus terminis, vniversale esse prædicabile, & alia huiusmodi: ergo Logica titulo docentis, seu in quantùm docens reduplicativè, est scientia.

198 *Quoad* 2. verò partem prob. Sciētia est quæ demonstrat passiones de suo obiecto: sed Logica in quantum vtens passiones non demonstrat de suo obiecto ergo in quantum vtens non est scientia. Prob. min. Logicam demonstrare passiones de suo obiecto est docere proprietates modi sciēdi: sed Logica in quantum vtens nō docet proprietates modi sciendi, aliàs in quātum vtens esset formaliter docens, cuius contrarium supponimus: ergo in quatum vtens non demonstrat passiones de suo obiecto.

199 *Confirm.* Scientia vt talis procedit modo resultorio circa vniversalia, & necessaria: sed Logica, vt vtens procedit modo compositivo circa singularia, & contingentia: ergo vt vtens non est sciētia. Prob. min. Logica vt vtens procedit cōponendo, & construendo syllogismū ipsū pones sub existētia: sed syllogismus nō nisi in singulari, & contingenter existit: ergo vt vtens procedit modo compositivo circa singularia, & contingentia.

200 *Dices*, quod Logica vt vtens passiones demonstrat, siquidem nil aliud est demōstrationem construere, quam in ipso exercitio demonstrare; nec ex hoc sequitur, quod sit vtens in quantum docens respectu eiusdem, sed diversorum; nam est vtens respectu regularum demonstrandi, quibus vtitur conficiendo demonstrationem, & est docens respectu diffinitionis, v. g. cuius naturā media demōstratione docet, vt nos ipsi observavimus, art. præc. n. 152. Similiter licèt sciētia procedat modo resolutorio, & signatè tendat circa vniversalia, & necessaria, permitit tamen (nec excludit) modum compositivum mentalem, quo exercitè procedat circa singularia, & contingentia aliquam in singulari demostrationem conficiendo.

201 *Sed contra est.* Licet ratio scientiæ non excludat, sed permittat modum compositivum mentalem circa singularia, & contingentia, qua ratione munera docendi, & vtendi identificamus in eodem habitu scientifico Logicæ; tamen ratio scientiæ nulli habitui competit titulo procedendi tali modo compositivo: sed Logica in quantum vtens est Logica, vt procedens formaliter modo compositivo circa singularia, & contingentia: ergo ratio scientię, quæ supponitur cōvenire Logicæ, non convenit ei formaliter titulo vtentis. Prob. mai. Ratio scientiæ nō cōpetit alicui habitui ex eo formaliter titulo, ex quo nō habet procedere modo resolutorio circa vniversalia

&

& necessaria, cum nil magis exactum à formali munere sciẽtię, quã tendere resolutoriè circa vniversalia,& necessaria: sed ex titulo procedendi modo compositivo circa singularia, & contingentia nullus habitus habet formaliter procedere modo resolutorio circa vniversalia, & necessaria, vt ipsa solutio fatetur: ergo nulli habitui competit ratio scientiæ titulo talis modi compositivi, quem permittit. Sicut quia sentire provenit ex ea ratione, quæ est principium sensationis, non competit homini sensatio titulo rationalitatis, quam animalitas permittit, sed titulo animalitatis, vi cuius solius habet homo esse principium sensationis.

202 *Confirm.* exemplo, quo se solet munire doctrina solutionis, & quod retorquetur in ipsam. Et si ratio scientiæ permittat modum compositivum proprium artis liberalis, qua ratione idem habitus Logicæ, & est scientia, & est (iuxta posteà dicenda) ars liberalis, tamen Logica non est scientia reduplicatiuè in quantum ars, quia rationes scientiæ; & artis sunt formaliter diuersæ, & oppositæ iuxta D. Thomam 1.2. quæst. 57. art. 3. ergo & si ratio procedendi modo resolutorio circa vniuersalia,& necessaria, permittat modum compositivum circa singularia, & contingentia, vndè idem Logicæ habitus est resolutorius, & compositivus, tamen quia vt scientificus petit procedere modo resolutorio, non erit scientificus formaliter titulo procedendi modo compositivo.

203 *Hinc* iàm reijcitur quoad aliam partem solutio. Nam iuxta ipsàm Logica dum media demonstratione docet aliquid circa naturam diffinitionis, non est vtens respectu diffinitionis, aliàs esset vtens, & docens respectu eiusdem contra id, quod solutio nobiscum supponit: sed dum media demonstratione docet aliquid circa naturam diffinitionis solius diffinitionis proprietatẽ demonstrat: ergo vt vtens nil demonstrat, & consequenter, vt vtens non est scientia. *Explicatur.* In hac demonstratione Logicali, *omnis oratio explicans naturam rei est clarior illa, sed diffinitio est oratio explicans naturam rei, ergo est clarior illa*, solius diffinitionis proprietatem demonstrat Logica: sed iuxta solutionem (& iuxta veritatem) Logica in tali demonstratione non est vtens respectu diffinitionis: ergo Logica vt vtens nil in tali demonstratione demonstrat.

204 *Confirm.* ab opposito. Iuxta solutionem talis demonstratio est vsus, & doctrina respectu diversorum; vsus quidem respectu regularum syllogismi, quas applicat illi materiæ, doctrina verò respectu diffinitionis, cuius naturam exponit: sed Logica media ea demonstratione nil demonstrat de syllogismo, benè verò de diffinitione: ergo Logica in ea demonstratione nil demonstrat vt vtens, benè verò vt docens: er-

ergo si solùm est scientia in quantum aliquid demonstrat, solùm est scientia in quantum docens. Quod à priori pendet ex eo, quod demonstrare non est applicare vt cũque formam syllogisticam huic, vel alteri materiæ, sed dicit vlteriùs iuditium resolutorium euidens veritatis, quæ media demonstratione cõuincitur, iuditium autẽ eiusmodi, siue assensus, est quid diuersum à structura demonstrationis, de qua sola structura curat Logica vt vtens.

§. II.

Soluuntur argumenta.

205 OBijc. 1. contra primam, & principalem conclusionem Philosophum tùm lib. 1. Rethor. cap. 2. dicentem: *Si quis Dialecticam, & Rethoricam, vt scientias, & non vt facultates pertractet imprudens est, & earum naturam subuertit.* Tùm in 2. Metaph. lect. apud D. Thomam 5. vbi docet absurdum esse simul quęrere scientiam, & modum sciendi, intelligens nomine modi sciendi Logicam: ergo iuxta ipsum, Logica non est scientia, aliàs qui ipsam quæreret, simul quæreret scientiam, & modum sciendi. *Quod confirm.* ex eo quod instrumentum est alterius rationis à re, cui deseruit, sicut modus à re, quam modificat: sed Logica est instrumentum, & modus sciendi, seu scientiæ: ergo non est scientia.

206 *Resp.* quod Philosophus in primo testimonio loquitur de Dialectica, seu Logica, vt vtente in parte topica, & probabili, quatenus scilicèt per argumenta, probabilia discurrit circa vtramque partem tentans, & parans viam ad scientiam iuxta dicta in art. præced. num. 185. in quo vsu non fegerit, vt scientia formaliter, sed dispositiuè. *In secundo* testimonio sensus Philosophi est planus, nempè absurdum esse quærere simul modum sciendi, & scientiam à modo sciẽdi distinctam; secus tamen illam, quę ideò est scientia, quia modum, seu methodum sciendi præstat scientijs, cuius generis est Logica. *Hinc* ad confirm. omnissa mai. disting. min. Logica est modus sciendi *obiectiuè* conced. min. *subiectiuè* neg. min. agit quidem Logica, vt de obiecto, de instrumento, & modo sciendi, ex quo solùm sequitur, quod id, de quo agit, non sit scientia, non tamen, quod ipsa in se subiectiuè non sit scientia.

207 *Replicabis.* Vna species non ordinatur ad alias sub eodem genere contentas: sed Logica ordinatur ad alias scientias: ergo ipsa non est species sub genere scientiæ contenta, ac proindè non est scientia. *Disting.* mai. vna species non ordinatur ad alias, *vt ad finem intrinsecum, & immediatum*, conced. mai. *vt ad finem extrinsecum, & remotum*, neg. mai. & disting. min. Logica ordinatur ad alias scientias, *vt ad finem extrinsecum, & remotum,* con-

conced. min. *intrinsecum*, & *immediatum*, neg. min. finis intrinsecus Logicæ est contemplatio proprij obiecti, extrinsecus verò veritas aliarum scientiarum, vt latè explicuimus art. 2. num. 89. & præter exempla ibi adducta, constat, quod virtutes ordinantur ad charitatem, vt ad finem extrinsecum, & si sint species sub genere virtutis contentæ.

208 *Obijc.* 2. Logica non solùm complectitur partem demonstratiuam, sed etiam topicam, opinativam, & sophisticam: sed Logica in parte topica, opinativa, & sophistica nequit esse scientia: ergo Logica non est scientia. Disting. mai. complectitur ea omnia, *vt partes obiectivas*, de quibus plura demonstrat conced. mai. *vt partes subiectivas*, seu vt exercitia subiectiva ipsius habitvs Logicæ neg. mai. & iuxta hanc explicationem, neg. min. Pars quippè opinativa, & sophistica sunt partes obiectiuæ, seu inadæquata, & partialia obiecta, de quibus scientificè agit Logica demonstrando, quod syllogismus opinativus generat opinionem, & sophisticus errorem, & vtrumque rectè diffiniendo, eiusque partes exponendo, in quibus omnibus non minùs scientificè se gerit, ac in ipsa parte demonstrativa. Ipsum autem in exercitio opinari, vel sophisticè, seu falsò assentiri, non est actus, seu exercitium habitus Logicæ, cuius naturam modo exponimus, sed alterius habitus opinatiui aut fallaciæ nomine Logicæ vtentis insigniti eo quod aliqua ex præmissis, vel vtraque, ex quibus conficitur discursus, spectat ad Logicam iuxta iam dicta in toto art. præced. In parte autem topica, seu probabili ipsum etiam in exercitio disputare probabiliter; si sit sine assensu, est secundarium Logicæ exercitium viam parans ad scientiam; si verò sit cum assensu, est opinio sciētiæ contraria, ac proindè non est exercitium Logicæ, sed cuiusdam habitus opinatiui Logicę nomine insigniti, vt in loco cit. latè explicuimus.

209 *Obijc.* 3. Habitus, cuius obiectum formale non est certò cognitum, non est habitus scientificus, cum obiectum scientiæ debeat esse certò præcognitum, vt de eo scientia passiones demonstret, iuxta dicenda in quæst. 10. Post. sed obiectum Logicæ non est certò cognitum, vt patet ex tot, diversisque circa illud sententiis relatis art. 2. ergo Logicæ habitus non est scientificus.

210 *Resp.* disting. mai. cuius obiectum formale non est certò cognitum, *quoad rationem explicitam*, & *sufficientem*, *vt de eo passiones demonstrentur*, conced. mai. *quoad implicitam*, & *ad finem scientiæ parùm conducentem*, neg. mai. & disting. min. non est certò cognitum *quoad rationem explicitam*, & *conducentem* neg. min. *quoad implicitam*, & *parùm conducentem*; conced. min. & neg. conseq. Omnes conveniunt in eo, quod obiectum Logicæ sint instrumenta sciendi, ac proindè quod

sint

sint quoddam artificium ignoti manifestativum, quod sufficit, vt de ipsis plura demonstrenrur: quod vero eiusmodi instrumenta sint pro formali aliquid reale, vel rationis (ad quod discrimen tota reducitur sententiarum diversitas) de materiali se habet, parùmque conducit ad finem Logicæ; vndè qui tenet diffinitionem pro formali esse aliquid reale, & qui tuetur eam esse aliquid rationis, vno, & eodem modo illam diffiniunt, & demonstrant esse clariorem diffinito.

211 *Obijc.* 4. Demonstratio non est obiectum scientiæ, sed eius actus, & exercitium, cum exercitiũ scientiæ sit demonstrare: at Logicę obiectum est demõstratio, cũ de demonstratione plura doceat Logica: ergo Logica non est scientia. *Confirm.* Demonstratio præcedit scientiam, cum scientia adquiratur demonstratione: sed demonstratio non præcedit Logicam, cum Logica doceat quid sit demonstratio: ergo non est scientia.

212 *Resp.* disting. mai. non est obiectum scientiæ *realis*, conc. mai. scientiæ *rationalis, & reflexiuæ*, neg. mai. & concessa min. neg. conseq. scientiæ quippè rationalis, & reflexiuæ, qualis est Logica, demónstratio est actus, & obiectum; nam demonstrando docet Logica naturam demonstrationis. *Ad confirm.* concessa mai. disting. min. demonstratio *facta lumine naturali*, non præcedit Logicam, neg. min. Demonstratio *facta artificiosè*, non præcedit Logicam, conced. min. per demonstrationem primò modo factam adquiritur Logica, vt postea inclinet ad artificiosè examinandam illius naturam; de quo ex professo agemus art. 7.

213 *Obijc.* Tandem contra eandem conclusionem. Facultas, cuius obiectum non est simpliciter scibile, non est simpliciter scientia: sed ens rationis, quod est obiectum Logicę, non est simpliciter scibile: ergo Logica non est simpliciter scientia. Prob. min. scibilitas est passio entis: ergo quale fuerit ens, talis erit scibilitas, sed ens rationis non est simpliciter ens, cum sit tantùm vmbra, & similitudo entis, ac proindè tantùm secundum quid sit ens: ergo non est simpliciter scibile.

214 *Confirm.* Nulla scientia potest primariò dererminare intellectum ad attingentiam entis rationis: sed Logica determinat primariò intellectum ad attingentiam entis rationis, cum hoc sit obiectũ specificativum, & primarium Logicæ: ergo Logica non est scientia. Prob. mai. Omnis habitus intellectualis determinat primariò intellectum ad attingentiam obiecti specificatiui, & primarij ipsius intellectus, cum habitus sit determinatio potentiæ ad idem obiectum, à quo speciem accipit potentia: sed ens rationis non est obiectum specificativum, & primarium intellectus, sed præcisè secundarium: ergo cum scientia sit habitus intellectualis, nulla scientia determinat primariò intellectũ ad attingentiã entis rationis.

215 *Vrgetur*. Species cuiuslibet scientiæ est realis: sed quod specificatur ab ente rationis non habet speciem realem: ergo vel Logica non specificatur ab ente rationis, vel non est scientia. Cætera patent, & min. prob. Quod specificatur ab ente rationis, eam solùm habet speciem, quam ei dat ens rationis, siquidem specificativum est quod dat speciem specificato: sed ens rationis nequit dare speciem realem: ergo quod specificatur ab ente rationis, non habet speciem realem.

216 *Resp.* concessa mai. neg. min. Ad eius prob. disting. antec. scibilitas est passio entis *absolute sumpti*, neg. antec. est passio entis, *vt cum altero connexi*, conced. antec. & disting. conseq. quale fuerit ens, *vt cum altero connexum*, conced. conseq. *absolutè sumptum*, neg. conseq. Ens absolutè sumptum est ens sine addito, & prout dicit ordinem ad esse, seu existere, & in hoc sensu ens rationis non est simpliciter, & absolutè ens, cum solùm existat, secundum quid, & obiectiuè. Ens vt cum altero connexum; est ens, vt respiciens prædicatum, quod verè, & necessario affirmetur de ipso, & in hoc sensu ens rationis est simpliciter ens, quia plura de ipso possunt vere enuntiari per propositiones necessarias, & æternæ veritatis, vt quod sit ens fictum, quod consistat in cognosci, quod possit subijci, & prædicari, & alia huiusmodi, quod expressè docuit D. Thomas quæst. 7. de potentia art. 1. ad 1. vbi docet ens dici dupliciter: *Vno modo quod diuiditur per decem prædicamenta; alio modo, quod significat veritatem propositionum. Primò modo* (inquit S. D.) *non potest dici aliquid ens, nisi in re aliquid ponat: secundò modo potest dici ens omne illud, de quo affirmatiua propositio formari potest, etiam si in re nihil ponat, per quem modum priuationes, & negationes entia dicuntur.* Cum ergo scibilitas sit passio entis non in prima, sed in secunda acceptione, fit consequens, quod ens rationis sit verè scibile, & si absolutè non sit verè ens, & sit scibile simpliciter, licèt absolutè sit tantùm secundumquid ens.

217 *Et si instes* 1. Connexio entis rationis cum suis passionibus non minus est connexio rationis, ac proindè connexio ficta, ac ipsum ens rationis: ergo sicut propter hoc, ens rationis est ens secundumquid, etiam connexio illius cum suis passionibus est secundum quid connexio: sed scibilitas est talis per nos, qualis est connexio: ergo scibilitas entis rationis est secũdumquid scibilitas, consequenterque ens rationis non est simpliciter scibile. *Secundò* instabis. Passiones (si quæ sunt) entis rationis, sunt quid fictum sicut ipsum ens rationis: sed inter extrema ficta nequit dari connexio vera, ac proindè, nec quæ simpliciter sit talis: ergo talis connexio non est simpliciter talis *Instabis* 3. Quelibet essentia in tantùm est simpliciter connexa cum suis passionibus in quantùm est causa, à qua verè dimanant passiones: sed

ab

ab ente ficto nequeant verè dimanare passiones, vera quippè dimanatio est propria veri entis, quale est solum ens reale: ergo non datur connexio talis simpliciter entis rationis cum suis passionibus. *Denique.* Quod non est simpliciter cognoscibile, non est simpliciter scibile, cum cognoscibilitas sit superior ad scibilitatem: sed ens rationis non est simpliciter cognoscibile, nam cognoscibilitas est passio entis absolute sumpti, & diximus ens rationis non esse simpliciter ens absolutè sumptum: ergo non est simpliciter scibile.

218 *Sed omnes* hæ replicæ instantur manifestè. *Tùm* in ipso ente rationis, quod esse verè scibile à Metaphisica, & si secundario, nequit negari, cum plura de illo certò, & euidenter demonstret Metaphisica: quo supposito, omnes instantiæ factæ contra scibilitatem simpliciter entis rationis, æque impugnant (ideòque instantur) eius veram scibilitatem: stat quippè, quod ens rationis, & si secundumquid ens, & quid fictum, sit verè connexum cum suis passionibus, ac proindè quod connexio sit verè talis, estò sit inter extrema ficta, & denique quod habeat passiones, quæ possint de ipso verè demonstrari, hæc enim omnia necessum est fateri, vt sit verè scibile: ergo stabit quod non sit simpliciter ens, & tamen sit simpliciter scibile. *Tùm* in quantitate, quæ (cum sit accidens) est ens tantum secundumquid, & tamen est simpliciter scibilis à scientijs Mathematicis, quas specificat: non ergo infertur legitimè, quod ens rationis non sit simpliciter connexũ cum passionibus, & consequenter simpliciter scibile, ex quo non sit simpliciter ens.

219 *Quare ad* 1. Instantiam disting. anteced. est connexio rationis *præsuppositiuè*, *& pro implicito*, conced. antec. *formoliter*, *& explicitè*, neg. anteced. & conseq. quia quod connexio sit realis, vel rationis, de materiali se habet, & solum attenditur in ea, quod sit connexio necessaria, & infalibilis, vi cuius prædicatum de ente rationis enuntiabile aliter se habere non possit; connexio quippè vt talis duorum solum exprimit inseparabilitatem vtriusque, siue vtrumque sit reale, siue rationis, quod de materiali se habet. *Ad* 2. *instantiam* cōcessa mai. neg. min. cuius falsitas patet in exemplo adducto, cum vera scibilitas ad veram connexionem sequatur: vera enim connexio pro formali nil aliud explicat, nisi quod vnum sine alio, saltim exigentialiter, esse non possit, quod potest reperiri, & si aliàs extrema sint ficta.

220 *Ad* 3. *instantiam*, disting. mai. à qua verè dimanant passiones, dimanatione *formaliter*, *vel virtualiter tali*, conced. mai. *formaliter tali præcisè*, neg. mai. & sub eadem distinctione neg. min. Virtualis dimanatio dicitur quævis connexio, siue Phisica, siue Logica, dummodo sit talis, vt ex vi antecedentis sequatur infalibiliter, & à priori con-

consequens, hoc enim sufficit ad veram scibilitatem. Sic Metaphisica demonstrat de ente attributa, quæ non sunt distincta, nisi penes explicitum ab ipso, ac proindè quę formaliter non dimanant ab eo; sic etiam in Logica à priori demonstratur, quod modus sciendi sit directivus operationum intellectus, & quod diffinitio sit clarior diffinito.

221 *Ad vltimam* disting. mai. quod non est simpliciter cognoscibile *cognoscibilitate complexa* non est simpliciter scibile conced. mai. *cognoscibilitate incomplexa*, neg. mai. cognoscitur aliquid incomplexè, cum primò absolute cognoscitur, & cum in hac cognitione ens rationis dependeat ab ente reali, quia per huius speciem cognoscitur, inde fit, quod ens rationis non est simpliciter cognoscibile incomplexè, & in hoc sensu vera est minor argumenti. Cognoscitur verò aliquid complexè, cum aliquod prædicatum affirmatur, aut demonstratur de illo, & hoc modo ens rationis non dependet formaliter ab ente reali, sed præsuppositiuè tantùm, in quo sensu falsa est min. & nulla consequentia, quia sola cognoscibilitas complexa est formaliter superior ad scibilitatem.

222 *Ad confirm.* principalis argumenti neg. mai. Ad eius prob. iterum neg. mai. quia cum intellectus se extendat primario ad aliqua obiecta, & secundariò ad alia, sicut indiget habitibus per se primo determinantibus ad illa attingenda, ità quibus per se primò determinetur ad attingenda ista. *Nec* inconsequentia vlla est in eo, quod dixerimus ens rationis vt scibile non dependere formaliter ab ente reali, & modo dicamus esse obiectum secundarium, de cuius ratione est non attingi, sine dependentia ab obiecto primario. *Nam* quod in tali modo scibilis nō dependeat, non probat quod absolutè non dependeat, ac proinde nec quod absolutè non sit obiectum secundarium. Hinc cum aliquid demonstramus pro hoc statu de rebus spiritualibus, talis demonstratio, & scibilitas non dicit formaliter dependentiam à rebus materialibus; & nihilominus, quia absolutè nequeunt pro hoc statu intelligi nisi per species rerum materialium, sola quidditas materialis, seu rei materialis est obiectum primarium, proportionatū intellectus pro hoc statu. Aliud est ergo non exprimere dependentiam sub hac, vel illa talitate, aliud non dependere absolutè.

223 *Quod* si dicas. De ratione obiecti secundarij est non attingi nisi dependenter ab obiecto primario: ergo si ens rationis vt scibile non attingitur dependenter ab ente reali, vt scibile non est obiectum secundarium. *Deinde*. Post devictam difficultatem in attingentia obiecti primarij, nulla restat difficultas formalis in attingentia secundarij: ergo nequit dari habitus, quo per se primo determinetur,

tur, & fiat facilis intellectus, ad attingendum obiectum secundarium.

224 *Respond.* ad 1. concesso anteced. disting. conseq. non est obiectum secundarium *respectiuè ad hanc attingentiam Logicalem, vt talis attingentia est*, conced. conseq. *vt attingentia intellectus est*, neg. conseq. Attingentia quippè scientifica entis rationis potest considerari vt talis attingentia, & vt attingentia intellectus est: vt talis attingentia est, non exprimit dependentiam ab ente reali, quia dependere ab illo, est quid commune omnibus actibus intellectus à solo ente reali specificatis; cæterum secundùm communem rationem atttingentiæ intellectus ab illo dependet, quia intellectus attingentia non foret, nisi aliquomodo cōnotaret ens reale, cuius species est semper causa, & origō cuiuscumque actus. Sicut actus charitatis erga Petrum non differt ab actu charitatis erga Paulum, quia attingit Petrum in ordine ad Deum, in hoc enim potius conueniunt illi duo actus: tamen actus charitatis non foret, si Petrū non attingeret in ordine ad Deum, à quo solo specificatur habitus charitatis. Sed hæc spectant ad lib. 3. Animasticum, vbi art. 3. probamus exprofesso ens rationis esse obiectum tantùm secundarium intellectus.

225 *Ad 2. replicam* disting. anteced. Post de victam difficultatem in attingentia obiecti primarij *habitus* nulla restat difficultas in attingentia obiecti secundarij eiusdem habitus, conced. antec. in attingentia obiecti primarij *potentiæ*, non est difficultas in attingentia obiecti secundarij potentiæ, neg. antec. Instoque argumentum, nàm in via D. Thomæ per quamlibet demonstrationem ita vincitur difficultas formalis erga obiectum primarium habitus, vt alius habitus non sit necessarius vt constabit art. 6. & tamen non ita vincitur per illam difficultas erga obiectū primarium intellectus, vt alij habitus demonstrativi non dentur erga illud, aliàs vnus tantum habitus sciētificus sufficeret ad omnia scibilia: nulla est ergo paritas quoad hoc inter obiectum primarium potentię, & habitus. Hinc intellectus est primariò speculativus, & tantùm secundariò practicus in probabili sententia plurium negantium differentias per se primo speculativi, & per se primo practici posse vlli entitati competere; cum tamen evidens sit intellectum indigere, præter habitus speculativos, habitibus, quibus per se primò determinetur ad actus practicos,

226 *Ad id* tandem, quo argumentum vrgebatur, concessa mai. neg. min. Ad prob. dist. mai. quam ei dat *per modum formæ intrinsecæ* ens rationis neg. mai. *per modum termini extrinseci* conced. mai. Et disting. min. Ens rationis nequit dare *per modum formæ intrinsecæ* speciem realem conced. min. *per modum termini extrinseci*, neg. min. & con-

conseq. Specificativum intrinsecum, ac proinde forma intrinseca Logicæ est ordo ad suum obiectū, qui ordo est realis, & indistinctus ab entitate Logicæ, quæ per se ipsam dicit ordinem ad suum obiectum: Specificativum extrinsecum est ipsum obiectum, quod talem Logicæ ordinem terminat, & hòc est ens rationis, quod nihilominùs potest dare speciem realem, quia eam sic dare per modum termini extrinseci nil aliud est, quam quod in attingentia illius essentia habitus, vel actus consistat.

227 *Si dicas.* Ab specificativo extrinseco dependet specificatum: sed ens reale nequit dependere ab ente rationis, cum perfectius ab imperfectiori pendere non possit: ergo nec extrinsecè potest specificari Logica ab ente rationis. *Neg. min.* quia perfectius potest indigere imperfectiori, ac per consequens dependere, qua ratione verè dedependet forma à materia, esto sit longè perfectior materia: dependet ergo Logica ab ente rationis, quia in huius attingentia consistit essentia Logicæ. Sed de hoc latè lib. 2. de anima q. 3. art. 2. in qua agimus de specificativo scientiarum.

228 *Si instes.* Scientia non vtcumque dependet ab obiecto primario, sed dependet ab eo, vt à fine, vnde ordinatur ad ipsum: sed finis est perfectior his, quæ ordinātur ad ipsum: ergò obiectum primariū scientiæ est perfectius scientia. *Disting. mai.* dependet ab eo, vt à fine *latè sumpto* conced. mai. vt à fine *strictè sumpto* neg. mai. Actiones quippè immanentes sunt se ipsis finis potentiæ, vnde obiectum, ad quod ordinantur, est earum finis latè, & prout est idem, ac terminus, nec enim Logica instituta est propter ens rationis, sed propter attingentiam illius; in quo sanè differūt ab actionibus transeuntibus, quæ sunt propter suum obiectum vt propter proprium finem, calefactio enim est propter calorem, & edificatio propter ædificium: finis autem latè talis, & prout est idem, ac terminus, etsi possit, non tamen necessariò petit excedere simpliciter in perfectione specificatum, sed solum secundùm quid, sub expressione scilicet specificantis; de quo latè in loco cit.

229 *Contra secundam conclusionem* obijc. Logica in quantum vtens est Logica in quantum construit demonstrationem: sed est scientia in quantùm construit demonstrationem: ergo est scientia in quantùm vtens. Prob. min. *Tùm* quià est scientia in quātùm demonstrat: sed construere demonstrationē est ipsum demonstrare: ergo est scientia in quantum construit demonstrationem. *Tùm* ex hoc ipso. Vti regulis scribendi nil aliud est, quàm iuxta ipsas in exercitio scribere, & vti regulis ędificandi nil aliud est quàm iuxta ipsas in exercitiò ædificare: ergo vti regulis demonstrandi, & sciendi, nil aliud est, quā iuxta ipsas in exercitio demonstrare, & scire: sed construere demonstrationem nil aliud est, quàm vti regulis

G de-

demonstrandi, & sciendi: ergo nil aliud est quàm in exercitio demonstrare, & scire.

230 *Confirm.* Philosophia vt vtens Logicæ præceptis ad suas demonstrationes conficiendas est vere, & propriè scientia, nullus enim dixit, quod Philosophia (idem de reliquis scientijs) ammittat rationē scientiæ per hoc, quod vtatur Logica ad suas demonstrationes conficiendas: ergo ipsa Logica vt vtens suis præceptis ad demonstrationes conficiendas est scientia. *Explicatur.* Logica dirigit Philosophiam vt scientiam formaliter, alias esset falsum in sensu formali, quod Logica dirigit alias scientias: sed Logica dirigit Philosophiam, in quantùm hæc vtitur regulis Logicæ ad demonstrationes conficiendas: ergo Philosophia est scientia, in quantū vtitur regulis Logicæ ad demonstrationes conficiendas, ac per consequens ipsa Logica vt vtens suis regulis ad construendam demonstrationem est scientia.

231 *Vrgetur.* Mentalis constructio demōstrationis est formaliter discursus, cum sit opus tertiæ operationis intellectus: sed non est discursus purè probabilis, opinativus, aut sophisticus, cum supponamus syllogismum esse demonstrativum: ergo est discursus formaliter scientificus, ac proindè scientia formaliter.

232 *Resp.* prænotando ex dictis in art. præcedente, quod cum idem indivisibilis actus Logicæ sit doctrina, & vsus, dubium non est an actus conficiens demonstrationem sit demonstrativus, sed an sit demonstrativus eius, cuius est vsus, seu in quantùm est vsus; cum ei im actus subeat denominationē vsus respectu regularum, quas applicat, & denominationem doctrinę respectu illius obiecti, cuius est assensus, & cuius naturā docet; parum intererit, quoad præsens litigium probare, quod actus vtens, siue vsus sit demonstrativus (quod fatemur) si vlterius non probetur hoc habere in quantum est applicatio, & vsus, ac proindè respectu cuius vnicè denominatur vsus ille actus; aliter, idem actus formaliter in quantum vsus erit doctrina, & è converso contra id, quod ex art. præcedente supponimus, vsum scilicet, & doctrinam esse duo munera inadęquata eiusdem actus, & habitus: ac proindè quod præsens litigium est de vsu formaliter vt tali, & vt à munere doctrinæ distincto.

233 *Hinc* ad argumentum concessa mai. neg. min. Ad 1. prob. dist. mai. Est scientia in quantū demonstrat. *secundum quod demonstrare dicit assensum erga obiectum demonstratum* conced. mai. *secundum quod involuit applicationem regularum* sub disting. Est scientia *identicè* conc. mai. *formaliter* neg. mai. & disting. min. construere demōstrationē est ipsum demonstrare, *secundum quod ly demonstrare inuoluit applicationē regularum* cōced. min. *secundū quod dicit assensum erga obiectum* neg. in sensu formali min. & conseq. Ille actus formaliter vt constructio syllogismi nil aliud

est

est, quam applicatio regularum, de quibus nil demonstrat, nec vt talis applicatio dicit rationem assensus erga obiectum demonstratum, in quo assensu, & doctrina stat formaliter ratio scientiæ,

234 *Ad* 2. min. prob. concesso anteced disting. conseq. Vti regulis demonstrandi, & sciendi est ipsum demonstrare, & scire *obiectum, cuius ille actus est doctrina*, conced. conseq. *regulas, quarum est vsus*, neg. conseq. nam aliud est, quod ille actus vtens regulis sit scientia obiecti, cuius naturam docet; aliud quod hoc habeat ex quo est applicatio regularum, de quibus nil demonstrat: vt applicatio enim, & vsus eodem modo se haberet, siue materia, ad quam applicantur regulæ, esset demonstrativa, siue non; imò si litteris A. B. C. applicarentur; quod si materiam demonstrativam petit, eam non petit titulo vsus, sed titulo doctrinæ scientificæ, quę solum erga veritates necessarias versatur. Nec est simile de actionibus in antecedente relatis, siquidem nec informatione materiali characterum, nec in actione ædificativa est ratio doctrinæ, sicut in vsu, de quo loquimur, & de quo est litigium, vt à munere doctrinæ distincto. Est tamen aliquid simile quoad hoc; quod sicut vtens regulis ædificandi ædificat domum, non regulas, quibus vtitur; ita vtens regulis demonstrãdi demonstrat, non regulas, quibus vtitur, sed obiectum, cuius naturam docet.

235 *Ad confirm.* disting. anteced. Philosophia vt vtens Logicę præceptis est scientia *ly vt specificatiuè sumpto*, conc. anteced. *sumpto reduplicatiuè* neg. antec. & conseq. Nec per hoc intendimus, quod Philosophia titulo vtentis Logica ammittat rationem scientiæ; aliud est enim, quod perdat rationem scientię; aliud quod rationem scientiæ non explicet, seu non dicat; hoc secundum asserimus, secus primum. *Hinc* ad explicationem disting. mai. Logica dirigit Philosophiam vt scientiam formaliter *ly vt dicente id, ad quod immediatè dirigit* neg. mai. *dicente id, ad quod mediatè dirigit* conced. mai. scientifica veritas assensus demonstrativi Philosophici (idem de reliquis sciẽtijs) est finis extrinsecus, & mediatus Logicę dirigentis, intrinsecus autem, & immediatus est artificiosa demonstrationis dispositio iuxta dicta supra art. 2. hæc autem artificiosa dispositio provt comparata ad Logicam eius naturam docentem, & eius proprietates demonstrantem, denominat Logicam formaliter scientiam; provt est autem vsus in exercitio, & applicatio regularum, nec Logicam, nec quemvis habitum vt vtentem denominat formaliter scientiam, licet quia ad hoc est ille vsus, vt proprietates entis mobilis Philosophia scientifice doceat, dicatur, & rectè, Logicam dirigere alias scientias.

236 *Ad id*, quo argumentum vrgetur, disting. mai. Mentalis con-

constructio syllogismi est formaliter discursus, *quoad id quod discursus involuit applicationis regularum*, conced.mai. *quoad assensum resolutorium*, neg.mai.in sensu formali, & concessa min. neg.conseq. nam in illa applicatione non explicatur formaliter ratio scientiæ, sed artis compositivo modo iuxta regulas procedentis, & qui modus in illa materia demonstrativa reducitur ad scientiam, etsi scientia formaliter non sit, nisi ex quo est doctrina resolutoriè procedens erga obiectum. *Ex quibus* constat, quod licet totus habitus Logicæ (vtpote indivisibilis entitas) adquiratur demonstratione, hoc solum probat, quod Logica vtens sit identicè scientia, quia non petit tit lo vtentis, & modo compositivo procedentis adquiri demonstratione, sed titulo docentis, & resolutoriè procedentis.

§. III.

Statuitur tertia conclusio.

237 Logica est propriè, & simpliciter ars liberalis. Antequam conclusio probetur, notandum est 1. ex Philosopho lib. 6. Ethic. cap. 4. quod ars est *habitus cum vera ratione factivus*, vel vt inquit D. Thomas 1. 2. quæst. 57. art. 3. est *recta ratio operum faciendorum*, idest, dictamen, sive iudicium rectum docens quomodo sit opus faciendum: vbi observa quod *facere* dupliciter accipitur, vel strictè, pro actione scilicet transeunte in exteriorem materiam, vt vrere, & secare; vel latè pro qualibet operatione, sive interna, sive externa, quæ non sit actio strictè sumpta, in quo sensu intelligere est facere. Hinc ortum habuit celebris artium divisio in mechanicas, & liberales: Mechanicæ sunt, quæ exercentur per potentias corporis, quod serviliter subiectum est animæ; hæ sunt strictè factivæ, & earum numerus continetur hoc versu.

Rus, Nemus, Arma, Rates, Vulnera, Lana, Faber.

In quibus verbis significantur Agricultiva, Venatoria, Militaris, Nautica, Chirurgica, Textoria, & Fabrilis. Liberales dicuntur, quæ exercentur per potentias animæ, quæ libera est, suntque septem, hoc versu comprehensæ.

Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Tonus, Angulus, Astra.

Idest, Grammatica, Rethorica, Dialectica, Arithmetica, Musica, Geometria, & Astrologia.

238 *Notandum* est 2. quod ars duas requirit conditiones, alteram ex parte materiæ, alteram ex parte formæ, sivè regularum: ex parte materiæ petit, quod non sit determinata, sed indifferens vt fiat, & non fiat, vel vt bene, & malè fiat: ex parte vero regularum requiritur, quod regulæ sint certæ, & vniversales; quibus notatis,

239 *Probatur* conclusio ex D. Thoma lib. 1. Poster. lect. 1. dicente: *Ars quædam necessaria est, quæ sit di-*

directiva actus rationis, & hæc est ars Logica, & idem asserit opusc. 79. redens rationem, cur inter cæteras Scientias, Mathematicæ, & Logica artes dicātur. *Deindè*. prob. ratione. Ars propriè, & simpliciter liberalis est, quæ per certas, & vniversales regulas dirigit ad opus, non servile, sed liberum, & quod ex se est indifferens, seu potest benè, & malè fieri: sed Logica est huiusmodi: ergo est propriè, & simpliciter ars liberalis. Mai. ex prænotatis constat, & min. prob. quoad regulas quidem; quia Logicæ regulæ pro constructione instrumentorum sciendi, diffinitionis scilicet, divisionis, & argumentationis, sunt omninò certæ, & vniversales; quod autem opus, ad cuius constructionem dirigit, non sit servile, sed liberum, patet, cum non sit opus corporis, sed rationis, quæ in homine cæteris potentijs præest: quod autem sit indifferens ex parte materiæ dirigibilis constat ex dictis supra art. 2. §. 1. ergo minor est vera.

240 *An autem* sicut Logicam dicimus esse propriè, & simpliciter artem liberalem, dicenda sit propriè, & simpliciter ars, quæstionem continet de nomine, *vtrum*, scilicet, *artes liberales sint propriè, & simpliciter artes.* Si enim attendatur ad earum materiam, cum opus ad quod dirigunt, sit opus secundum quid, & eius constructio non sit propriè *factio*, actio scilicet transiens in externam materiam, quæ sola propriè est actio de prædicamento actionis; videtur quidem dicendum eas non esse propriè, & simpliciter artes, siquidem artem dixit Philosophus esse *habitum cum vera ratione factivum*; vnde D. Thomas 1. 2. q. 57. art. 3. vocat Logicam similitudinariè artem. Si verò attendatur, quod per certas, & determinatas regulas dirigunt, non minus, quam aliæ artes, videtur quod sint simpliciter artes; & quod licet nomen *ars*, attenta sua impositione, sit impositum ad significandas artes mechanicas, in quo sensu diffinivit artem Philosophus; attenta tamen significatione, quam habet ex vsu, etiam significat artes liberales, quæ consueverunt etiam dici absolutè artes, ideoque D. Thomas in locis cit. absolutè Logicam vocat artem; sicut lux propriè dicitur in spiritualibus iuxta eundem S. D. 1. p. q. 61. art. 1. non proprietate primæ impositionis, sed vsus. Dissidium ergo est de voce, in quo liceat cuilibet sic, vel aliter loqui.

241 *Contra* propositam conclusionem videtur obstare, quod ars exigit aliquas conditiones oppositas scientiæ, vt procedere modo compositivo circa singularia, & contingentia, & quæ possunt bene, & male fieri; cum ab opposito scientia procedat modo resolutorio circa vniuersalia, quæ per se habent esse, & aliter se habere non possunt; vnde Philosophus in 6. Ethic. cap. 4. artem divisit contra scientiam: ergo nequit eidem habi-

bitui competere ratio ſcientiæ, & artis.

242 *Reſp.* Quod ars mechanica exigit conditiones repugnantes ſcientiæ, non tamen ars liberalis: nam licèt ſcientia ſit circa vniverſalia modo reſolutorio procedens, quoad ſuos actus primarios, permittit tamen (nec excludit) quoad actus ſecundarios modum compoſitivum, iuxta dicta in ſecūda concluſione: ex quo ſolū ſequitur, quod formaliter, in quantum ſcientia, non ſit ars, non tamen quod non ſit ars, quod exemplis ſuprà eſt confirmatum. Similiter etiam in ipſa materia, ſeu actu, circa quem eſt ſcientia, eſt indifferentia, vt coniunctus cum alio actu, ſeu apprehenſione componat rectam diffinitionem, quam non componeret, ſi cum alio coniungeretur, & idem de obiectis, materialibus, ſeu quæ ſunt materia; nam hic conceptus tàm formalis, quàm obiectivus *animal*, ſi coniungatur cum *rationali* componet diffinitionem hominis, ſecus ſi non coniungatur; & ſic eſt materia bene, vel malè diſponibilis, licèt diffinitio ipſa, ſi ſemel diffinitio eſt, nequeat eſſe defectuoſa iuxta dicta ſupra art. 2. §. 1. quod etiam accidit in quacumque arte, nam licet domus, ſi ſemel eſt domus, neceſſariò debeat habere, quę ratio domus exigit, poſſunt tamen lapides, & ligna vel benè diſponi, vt exiſtat domus; vel malè ita, vt quid diverſum à domo exiſtat. Philoſophus autem diuiſit ibi contra ſcientiam artem mechanicam · vel ſi de liberali etiam eſt ibi ſermo, ſufficit, quod ratio ſcientiæ ſit formaliter diuerſa ab arte, per hoc quod ars poſitiue petit modum compoſitiuum, quē permittit, & non petit ratio ſcientiæ. Sic rectè diuiditur bonum in honeſtum, vtile, & delectabile, quin ex hoc inferatur, quod idem bonum non poſsit triplicem illam rationem boni in ſe adunare.

ART. V.

Vtrùm Logica ſit ſcientia practica, vel ſpeculatiua?

243 Tot ſunt in hac parte ſententiæ quot modis poteſt reſolvi quæſtio, nam alij Logicam nec eſſe practicam, nec ſpeculativam, alij ſimul practicam, & ſpeculativam, nonnulli purè practicam, plerique tenet eſſe tantùm ſpeculativam. Diſſidium tamen fere totum videtur de voce, cum tota difficultas ſita ſit in ſtatuendo quid ſit praxis; ſed cū in ipſa principalis dubij reſolutione, neceſſum ſit probare, quod opus, ad quod dirigit Logica, non ſit praxis, vt probetur Logicam eſſe ſcientiam ſpeculativam, ideò ne praxis quidditatem ſeorſim inveſtigantes indigeamus poſtea probationes repetere, praxis explanationem inter confirmandam concluſionem ſubijciemus; pro qua.

§. I.

§. I.

Traditur discrimen inter scientias practicas, & speculativas.

144 Differunt scientiæ practicæ, & speculativæ ex fine, ex obiecto, & ex modo procedendi. Differunt ex fine, quia iuxta Philosophum lib. 2. Metaph. text. 3. *Speculativæ finis veritas, practicæ autem opus*, idest, habitus speculativus quærit scire propter scire, practicus quęrit scire, vt operetur. Vbi observanda sunt duo: *Primum* est, quod finis sic distinguens huiusmodi scientias, debet esse finis scientiæ, ad quem scilicet ipsa ab intrinseco ordinatur, non finis scientis, ad quem scilicet habens scientiam illam ordinat; qua ratione Philosophia est scientia speculativa, etiam si quis eam addiscat propter aliquod opus faciendum, quia ipsa ex se, non ad opus, sed ad contemplationem veritatis ordinatur; è contra vero Medicina est scientia practica, licet quis eam quærat propter præcisè sciendum, quia illa ex se inclinat ad opus. *Secundum* est, quod finis sic discernens non debet esse finis solùm huius, vel alterius actus, sed finis totius scientiæ; vnde scientia erit speculativa, si obiectum attributionis sit verum, cuius contemplatio propter se ipsam quæratur; erit autem practica, si obiectum attributionis sit opus, cuius constructio principaliter intēdatur. *Ex quo* obiter colligitur nullam scientiam (etiam superioris ordinis) posse esse simpliciter, & primario practicam, & speculativam, quia repugnat, quod totius scientię, quęcumque illa sit, finis principalis sit contemplatio, & simul totius scientiæ finis principalis sit operis constructio.

145 *Differunt* ex obiecto; quia scientia practica agit de re operabili, vt operabili; speculativa vero, vel non agit de re operabili, vel non agit de ea, vt operabili; Agere de re operabili, vt operabili, est agere de re operabili medio actu dictante quomodo opus faciendum sit, ac proinde actus practicus debet esse proxima regula operis. Hinc iste actus, *anima rationalis est immortalis*, practicus non est, licet ex eo possit remotè sumi occasio operandi, quia ipse nil de opere efficiendo dictat: & ex his duobus actibus, qui videntur æquivalere, *triangulus habet tres angulos*, *triangulus debet fieri ex tribus angulis*, primus est speculativus, quia naturam trianguli considerat, nil ex modo tendendi dictans circa illius efficientiam; secundus verò est practicus, quia modum, quo debeat fieri triangulus, præscribit.

146 *Differunt* tandem ex modo procedendi, quia scientia speculatiua modo tantum resolutorio petit procedere, etsi quoad actus aliquos secundarios permittat procedere modo compositivo; scientia vero practica positivè, & principaliter petit modum compositi-

tivum, ita vt si quem habeat processum resolutorium, sit propter modum compositivum, quem principaliter intendit. Procedere modo resolutorio est procedere demonstrando veritatē per causas, & principia: procedere modo compositivo est procedere tradendo modum, quo res est ponenda sub existentia: sed quia ipse modus efficiendi opus, potest tradi demonstrativè, vt si quis demonstret domum debere fieri ex parietibus, tecto, & pavimento, quia ordinatur ad defendendum nos ab incommodis temporum, quæ est demonstratio per causam finalem; ideò non assentimur his, qui tenent nullam dari scientiam practicam, quia scilicet habitus practicus petit procedere modo compositivo. *Tùm* quia solemne est apud Philosophos dividere scientias in practicas, & speculativas. *Tùm* quia Medicina quoad partem theoricam est scientia, & tamēn secundum D. Thomam in opusc. 70. secundum se totam est practica. *Tùm* ex dictis; nam si habitus finis sit res operabilis, vt modo compositivo operabilis, est habitus practicus, etsi talem modum demonstrativè tradat, est habitus scientificus: sed stat, quod habitus demonstrativè tradat, seu doceat quomodo res operabilis, quam vt talem habet pro fine, sit ponenda in re: ergo stat, quod habitus sit practicus, & scientificus. His suppositis.

§. II.

Resolvitur dubium.

247 **L**ogica est scientia simpliciter speculativa, & solum secundum quid, seu similitudinariè practica. Ita omnes Thomistæ, & communiter Scotistæ contra AA. ex Schola Societatis, quorum aliqui Logicam partim practicam, & partim speculativam, alij simpliciter practicam esse defendunt. Et quidem quo ad secundam partem conclusio ex eo videtur certa, quia vt Logica sit similitudinariè, & secundum quid practica, sufficit quod dirigat ad aliquid, quod sit admodum cuiusdam operis, & ad modum praxis: sed constructio syllogismi, ad quā dirigit Logica, & si non sit opus simpliciter, est tamen admodum cuiusdam operis, & praxis, ergo Logica secundum quid, & similitudinariè est practica; & hoc est, quod dixit D. Thomas 1. 2. quæst. 57. art. 3. ad 3. quod *in ipsis speculabilibus est aliquid per modum cuiusdam operis, puta, constructio syllogismi, aut orationis congruæ.* Difficultas ergo est in illa particula exclusiva *solùm*, quam apponimus, & qua intendimus Logicam esse ita similitudinariè practicam, vt simpliciter practica non sit, sed purè speculativa.

248 *Prob.* 1. ex Angelico Præcept. 22. quæst. 51. art. 2. ad 3. dicēte: *Etiam in speculativis alia ratio-*

nalis scientia est Dialectica, quæ ordinatur ad inquisitionem veritatis, & alia scientia demonstrativa, quæ est veritatis determinativa; vbi Dialecticam, seu Logicam numerat inter scientias speculativas. Sed expresśiùs, & oppositę sententiæ fundamentum reijciens tùm in loco supra cit. ex 1. 2. vbi postquam dixit esse etiam in ipsis speculabilibus aliquid per modum cuiusdam operis, vt constructio syllogismi, & orationis cōgruę, subdit: *Et quicumque ad huiusmodi opera rationis habitus speculativi ordinantur, dicuntur per quandam similitudinem artes*. Tùm 2. 2. quæst. 47. art. 2. ad 3. vbi ait; *quia ratio speculativa quædam facit, puta syllogismum, propositionem, & alia huiusmodi, in quibus proceditur secundum certas, & determinatas vias, indè est, quod respectu horum potest salvari ratio artis, non autem ratio prudentiæ, & ideò invenitur aliqua speculativa ars, non tamen prudentia*.

249 *Ex his* non solum constat, quod D. Thomas senserit, quod Logica sit speculativa, sed etiam quod nō sit practica, & quod ad rationē practicæ suadēdam est insufficiens fundamentum oppositæ sententiæ: Ideò enim Logica esset simpliciter practica, iuxta AA. oppositos, quia ordinatur ad opus, ad constructionem scilicèt instrumentorum sciendi, ad eius efficientiam dirigens per certas, & determinatas regulas: sed hoc fundamentum iudicat Divus Thomas insufficiens, vt sit practica, si quidem asserit, quod *ratio speculativa* est, quę eiusmodi opera facit, & quod habitus, ad eiusmodi opera ordinati, sunt *speculativi*: ergo sensit nullum esse caput, ex quo Logica sit simpliciter practica.

250 *Hinc prob.* 2. conclusio ratione. Scientia, cuius vnicus finis est recta speculatio, ita est simpliciter speculativa, vt non sit simpliciter practica: sed Logica est scientia, cuius vnicus finis est recta speculatio: ergo ita est scientia simpliciter speculativa, vt non sit simpliciter practica. Maī. ex prænotatis est certa; nàm hoc ipso, quod finis scientię sit recta speculatio, est simpliciter speculativa; aliàs si iste finis est vnicus, nullus restat finis, à quo ei proveniat denominatio simpliciter practicæ: erit ergo ita simpliciter speculativa, vt nō sit simpliciter practica. Min. vero prob. vnicus finis Logicæ est ita ordinare, & disponere obiecta, vt intellectus in eis attingendis rectum observet modum indagandi veritatem: sed totum hoc nil est aliud, quàm rectè speculari, cum totum sistat in recta veritatis contemplatione: ergo vnicus finis Logicæ est rectè speculari.

251 *Confirm.* & explicatur. Ideò vnicus finis Logicæ non esset rectè speculari, quia finis intrinsecus illius est constructio instrumentorum sciendi, quam suis regulis dirigit: sed dirigere ad hanc constructionem est dirigere ad ipsummet rectè speculari: ergo Logica nullum alium finem habet, nisi rectè speculari. Prob. min. Dirigere ad illam constructionem est dirigere ad id, quod exequens intellectus

nil

vum, sumitur ab opere exteriori, ad quod non habet ordinem habitus speculativus; ergo practicum sumitur ab opere exteriori, extra intellectum scilicet existente: sed praxis est opus, à quo sumitur practicum, seu ratio practici: ergo praxis est opus exterius, opus scilicèt extra intellectũ, sivè diversæ potentię ab intellectu. *Tùm* quia praxis est opus contra distinctum ab speculatione: sed quod præcisè est opus solius intellectus, seu intra ipsum, est speculatio: ergo praxis est opus, quod sit alterius potentię ab intellectu.

255 *Nec valet* si dicas, quod praxis non est formaliter speculatio potest tamen cum illa identicè concidere, nam eadem hominis diffinitio, quæ per ordinem ad obiectum est speculatio, vt est quoddam opus factibile iuxta regulas, est praxis, & opus aliquo modo exterius respectu habitus dirigentis.

256 *Nam* contra est 1. ex præiacto D. Thomæ testimonio: opus, à quo sumitur ratio practici, est opus contra divisum ab opere interiori, intra intellectum scilicet manente: sed opus, quod precisè dicitur ab AA. oppositis exterius quia non elicitur ab habitu dirigente, est opus verè interius, verè scilicet intra intellectum manens: ergo non est opus, à quo sumatur ratio practici, ac proindè non est praxis. *Deinde*. Opus præcisè exterius respectu habitus dirigentis, est opus, ad quod habitus speculativus ordinatur, habitus scilicet speculationem ipsam (quæ iuxta solutionem est opus) eliciens: sed D. Thomas nomine operis exterioris intelligit opus, ad quod habitus speculativus non ordinetur, seu non dicat ordinem: ergo opus, quod est praxis, non est opus exterius præcisè, quia non elicitur ab habitu dirigente, sed quia elicitur ab alia potentia ab intellectu.

257 *Contra* 2. *Sola extensio ad opus facit aliquem intellectum esse practicum* iuxta D. Thomam q. 14. de Veritat. art. 4. ergo dum intellectus non se extendit ad opus, non est practicus: sed non se extendit ad opus, dum opus, circa quod versatur, non est opus alterius potentię ab intellectu: ergo solum opus alterius potentię ab intellectu est praxis, à qua intellectus fit practicus. Omnia constat, præter min. subsumptam, quæ sic prob. se extendere est *extra se tendere*; sed intellectus extra se non tendit, dum non versatur circa opus, quod sit opus alterius potentię: ergo non se extendit ad opus, dum id, circa, quod versatur, non est opus alterius potentiæ. *Nec dicas*, quòd dùm intellectus non sistit in cognitione obiecti, sed transit vlterius ad dirigendũ quomodo cognitio sit faciẽda; satis extẽditur. *Nam* contra est, quia intellectus extra se non tendit, dùm tendit ad solam cognitionem: sed dum præcisè dirigit quomodo sit facienda cognitio, ad solam cognitionem tendit: ergo extra se non tendit, dum præcisè dirigit quomodo sit facienda cognitio.

Con-

258 *Contra* 3. Dum solutio asserit, quod ipsa cognitio, & speculatio, vt est quoddam opus per certas regulas dirigibile, est praxis, vel per hoc intendit quod sit admodum alicuius operis, & admodum alicuius, quod similitudinariè sit praxis; vel intendit, quod simpliciter, & absolutè sit opus, & praxis: Si primum, non est ad rem præsentis litigij; secundum autem est falsum: ergo solutio penitus est nulla. Min. quo ad 1. partem patet, nam minimè dubitamus, quod in ipsis speculabilibus est aliquid per modum cuiusdã operis, vt docuit nos supra D. Thomas, ex quo deduximus Logicã esse secundum quid, & similitudinariè practicam. Quoad 2. verò partem prob. Opus simpliciter tale, & simpliciter praxis est opus, quod est finis scientiæ simpliciter practicæ: sed speculatio vt dirigibilis nõ est opus, quod sit finis scientiæ simpliciter practicæ: ergo nec est opus simpliciter tale, & simpliciter praxis. Prob. min. Opus quod est finis scientiæ practicę est opus, quod respicit intellectus, vt per ipsum operetur, nõ vt contempletur, aliàs semper sistet in contemplatione, quod est proprium scientiæ speculativę, vt cõtra distinctæ à practica; sed speculatio vt dirigibilis, est opus, quod respicit intellectus, vt per ipsum opus contempletur, siquidem tale opus est ipsa contemplatio: ergo speculatio, vt dirigibilis, nõ est opus, quod sit finis scientię practicæ.

259 *Denique*. Si speculatio vt dirigibilis esset opus sufficiens denominare simpliciter operativum seu practicum habitum dirigentem, etiam sufficeret ad sic denominandum habitum ipsam speculationem elicientem: consequens est falsum, aliàs nulla esset scientia purè speculativa contra communem omnium acceptionem: ergo falsum est antecedens. Prob. sequela. *Tùm* quia opus sufficiens denominare simpliciter operativam, aut practicam facultatem ad ipsum dirigentem, eadem, imò maiori cum proprietate denominabit simpliciter operativam, aut practicam facultatem ipsum opus elicientem, & vt ita dicam, practicantem, quia *propter quod vnũ quodque tale, & illud magis*; si enim habitus dirigens, quia dirigit ad speculationẽ faciẽdã, est operativus, magis operativus erit ipse habitus speculationem eliciens. *Tùm* quia habitus directivè operativus, & habitus executivè operativus sunt correlativa, nàm id ipsum facit habitus exequens, quod faciendum pręscribit habitus dirigens: ergo si dirigens est simpliciter operativus, & inde simpliciter practicus, etiam erit simpliciter operativus, & inde practicus, habitus speculationem exequens. *Tùm* tandem: nàm practicum, & operativum idem sonat quoad presens apud D. Thomam, supradicentem: *Practicum ergo, vel operativum, quod dividitur contra speculativum*: sed si semel speculatio est simpliciter opus, habitus ipsam eliciens est simpliciter operativus: ergo practicus.

§. III.

§. III.

Solvuntur argumenta.

160 OBijc. 1. D.Thomā lib. 1. Metaph. lect. 3. docentē, quod Logica *non quæritur propter se, sed vt introductoria ad alias scientias*: sed scientia speculativa quæritur propter se, propter solam scilicèt contemplationem veritatis: ergo Logica non est scientia speculativa.

161 *Confirm.* Scientia, quę ideò contemplatur, vt operetur, est sciētia simpliciter practica: sed Logica contemplatur, vt operetur: ergo est scientia simpliciter practica. Prob. min. Logica eatenus cōtemplatur instrumenta sciendi, vt intellectum dirigat ad eorum constructionem: ergo ideò contemplatur, vt operetur.

162 *Respond.* concessa mai. disting. min. Scientia speculativa *principalis* quæritur propter se, conced. min. scientia speculativa *ministerialis* neg. min. & conseq. fatemur Logicam non esse scientiam speculativam principalem, vt Philosophiam, Metaphisicam, & alias huiusmodi, quæ quæruntur propter se; est tamen essentia speculativa ministerialis, ad hoc scilicèt inventa, vt alijs scientijs præbeat rectum modum indagandi veritatem, & sic non tàm quæritur propter se, quàm propter aliàs scientias, quibus intra lineam speculationis deservit.

163 *Si dicas.* Logica non solùm deservit scientijs speculativis, sed etiam practicis, siquidem scientias etiam practicas dirigit: ergo ordinatur ad aliquid extra genus speculationis, & consequenter est practica. *Disting.* anteced. sed etiam practicis, *vt scientiæ sunt*, conced. anteced. *vt practicæ sunt*, neg. antec. & conseq. Docet Logica, seu dirigit scientias practicas, vt diffinientes, dividentes, & demonstrantes rectè procedant in indaganda veritate, ex qua parte illæ scientiæ nō excedunt fines contemplationis; excedunt autem illos, quia totum hoc ordinant ad opus exterius, de quo tamen Logica non curat.

164 *Ad confirm.* disting. mai. quę ideò contemplatur, vt operetur, *opus, quod simpliciter est tale, & ab speculatione diversum*, conc. mai. *Opus, quod est ipsa speculatio* neg. mai. & disting. min. contemplatur, vt operetur *opus, quod est ipsa speculatio*, conced. min. *opus ab speculatione diversum* neg. min. & conseq. Nam scientia practica habet pro fine opus, quod non sit ipsa contemplatio; quia habere pro fine opus, quod ipsa contemplatio sit, nil aliud est quam habere pro fine ipsum contemplari, quod est finis scientiæ speculativæ: constructio autem instrumentorum sciendi est opus secundùm quid, & tale, quod est ipsa contemplatio; qua ratione Philosophia, & aliæ scientiæ huiusmodi construunt suas demonstrationes, quin ideò sint scientiæ practicæ, sed purè speculativę.

Di-

265 *Dices*. Logica dirigens ad eiusmodi constructionem non dirigit, vt contempletur: ergo dirigit ad opus, quod non est contemplatio, sed praxis. Prob. antec. Logica dirigit Philosophiam, v. g. vt hæc iuxta regulas Logicę circa diffinitionem efficiat diffinitionem hominis: sed Logica per diffinitionem hominis non contemplatur: ergo non dirigit, vt contempletur.

266 *Resp*. ommisso antec. disting. consequens: dirigit ad opus, quod non est contemplatio *ipsius Logicæ* omit. consequens: *alterius scientiæ* neg. conseq. Opus, ad quod dirigit Logica, sunt obiecta aliarum scientiarum vt ordinate disposita, actus verò, quos dirigit, sunt actus aliarum scientiarum, quibus talia obiecta attingunt, & quibus actibus Logica non contemplatur, quia non sunt eliciti ab ipsa; contemplantur tamen aliæ scientiæ, quia sunt earum exercitia, & contemplationes; vndè numquam dirigit ad aliquid, quod sit extra genus contemplationis, quod erat necessarium, vt esset practica. *Nec ex hoc* inferas, quod Logica non contempletur; *quia* aliud est, quod non contempletur per opus, ad quod dirigit, aliud quod non contempletur per actus, quibus ad eiusmodi opus dirigit, & per actus etiam quibus talis operis naturam docet; primum est verum, & proprium scientię speculativè ministerialis, quæ propter aliarum scientiarum contemplationem est primariò instituta; secundum autem est omnino falsum. *Omisimus* autem anteced. quia sermo est de directione aliarum scientiarum, quā primariò intendit scientia ministerialis, qualis est Logica; nam si sermo sit de directione, qua reflexè, & secundariò Logica dirigit se ipsam, falsum est, quod non dirigat, vt ipsa contempletur; nam cum iuxta regulas diffinitionis à se traditas diffinit, v. g. *vniversale*, dirigit ad opus, per quod ipsa Logica naturam vniversalis contemplatur.

267 *Obijc*. 2. Et si opus, ad quod dirigit Logica, sit secundùm quid opus, seu sit ipsa speculatio, sufficit, quod modo directivo ad ipsius efficientiam tendat, vt sit scientia simpliciter practica: ergo tota doctrina, cui nitimur, non subsistit. Prob. anteced. 1. Hoc sufficit, vt agat de re operabili, vt operabili, dictando scilicet quomodo efficienda sit: sed agere de re operabili, vt operabili, est proprium sciētię simpliciter practicę: ergo hoc sufficit, vt sit scientia simpliciter practica. *Prob. 2. anteced.* Tendere modo directivo ad efficientiam speculationis, est procedere modo compositivo, non resolutorio: sed scientia purè speculativa procedit modo resolutorio, non, compositivo: ergo sic tendere sufficit, vt non sit scientia purè speculativa, ac proindè vt sit scientia practica. *Prob. 3. idem antec.* Scientia purè speculativa sistit in contemplatione sui obiecti: sed scientia, quę dirigit quomodo sit effi-

efficienda speculatio, non sistit, in cognitione sui obiecti: ergo non est purè speculativa.

268 *Confirm.* 1. Actus, quo prudentia dictat hic, & nunc esse philosophandum, est actus simpliciter practicus: & tamen opus, quod dictat eliciendum, est ipsa philosophica speculatio: ergo ipsa speculatio potest esse opus, à quo actus dictans illius efficientiam sit practicus. *Confirm.* Esse secundùm quid operativam sufficit vt ars liberalis sit simpliciter ars iuxta sententiam quam supra in art. preced. reputavimus probabilem; ergo etiam sufficiet, vt scientia sit simpliciter practica, cum non minus sit de ratione artis ordinari ad opus, quam de ratione scientiæ, seu facultatis practicæ.

269 *Resp* neg. antec. Ad eius 1. prob. disting. mai. Hoc sufficit vt agat de re operabili, vt operabili *intra intellectum* conced. mai. *extra intellectum* neg. mai. & disting. min. agere de re operabili vt operabili *extra intellectum* est proprium scientię practicę, conced. min. agere de re operabili vt operabili *intra intellectum* neg. min. & conseq. Id, de quo agit sciētia practica, debet esse res operabilis simpliciter, quæ scilicet sit simpliciter opus, & ad cuius efficientiam dirigere, non sit dirigere ad ipsummet rectè speculari, cuiusmodi opus non est ipsa speculatio, ad quam dirigit Logica. *Instoque* argumentū in Arithmetica, quæ est de re operabili; sed quia opus numerandi est opus intra intellectum, ipsa est scientia purè speculativa.

270 *Ad 2. prob.* antec. disting. mai. est procedere modo compositivo *ad extra* neg. mai. *ad intra* cōc. mai. & dist. min. Scientia speculativa procedit modo resolutorio, non compositivo *ad extra* conc. min. nō cōpositivo *ad intra* neg. min. & cōseq. quia modus compositivus proprius scientiæ practicæ, & quem excludit scientia speculativa est modus compositivus ad extra, quo scilicet, opus, quod non est ipsa contemplatio, ponitur sub existentia; non modus compositivus intra intellectum; alias scientię purè speculativæ suas construentes, & componentes demonstrationes essent practicę, seu non essent purè speculativæ. *Ad 3. prob.* disting. mai. Scientia speculativa *principalis*, & *propter se intenta* sistit in contemplatione sui obiecti conced. mai. Scientia speculativa *ministerialis*, & *inventa propter alias*, subdisting. si sistit in contemplatione sui obiecti, *excludendo ordinem ad aliud extra genus contemplationis*, conc. mai. *ad aliud intra genus contemplationis* neg. mai. Scientia speculativa ministerialis, qualis est Logica, non sistit in sola speculatione sui obiecti, sed vlterius ex hac transit ad dirigendum alias scientias ad constructionem instrumentorum sciendi, quæ scientijs deserviant; sed cum hoc totū sistat intra lineam speculationis, non est vnde Logica induat rationem practicæ.

271 *Ad 1. confir.* concessa mai, di-

disting. min. Opus quod dictat eliciendum, est ipsa philosophica speculatio, *vt speculatio, & actus dependens à solo intellectu* neg. mai. *vt actus dependens ab applicatione voluntatis* conced. min. & neg. absolutè conseq. Quia denominatio practici in actu prudentiæ nō sumitur ab speculatione, sed ab applicatione voluntatis, quæ est actus alterius potentiæ ab intellectu: Prudentia enim immediatè dictat, quando, & in quibus circunstantijs voluntas debeat applicare intellectum ad speculandum, vt speculatio sit honesta, non vt sit vera intra lineam speculationis, de qua veritate speculativa Prudentia non curat. *Nec* ex hoc sequitur, quod Logica sit practica, quia actus, quos dirigit, dependent in sui elicientia ab aplicatione voluntatis. *Nàm* aliud est, quod dependeant; aliud, quod dirigantur à Logica, vt dependent à voluntate: Logica enim dictat rectitudinem eorum speculativam, sivè eliciantur in debito tempore, sivè non eliciantur; sivè voluntas applicans ad illos sit honesta, sivè inhonesta, de quo non curat Logica, nec ad ipsam vllo modo attinet.

272 *Ad 2. Confirm.* ommisso anteced. neg. conseq. Nam & si ars non sit strictè operativa, habet per quid formaliter distinguatur à sciētia, esse scilicet directivam per certas, & determinatas regulas, quod accidit scientiæ: at practicum, si non sit strictè operativum, non habet per quid distinguatur à speculativo; nam dirigere ad opus, quod est latè tale, & quod est ipsa rectitudo speculationis, est habere pro solo fine ipsummet rectè speculari, quod est formale munus scientiæ purè speculativæ.

273 *Denique obijc.* Logica dirigit diffinitionem vocalem: hæc est opus externum: ergo dirigit opus externum, & consequenter est practica. *Disting. mai.* dirigit diffinitionem vocalem, *quoad eius sonum materialem* neg. mai. *quoad eius significationem internam* conced. mai. sed secundum hanc diffinitio vocalis non est opus externum, sed internum, & solius intellectus, vndè neg. conseq.

ART. VI.

Vtrùm Logica sit simplex qualitas?

274 Supponimus cum communi iam inter AA. sententia, quod scientia habitualis, de qua sola loquimur, consistit in qualitate ex vi prioris demonstrationis relicta per modum seminis, quo intellectus redditur facilis ad similes demonstrationes conficiēdas, quæ facilitas nomine habitus designatur; & inquirimus, an hæc facilitas, sivè habitus scientificus sit simplex qualitas. *Nec* disputamus, sed supponimus Logicā esse vnam scientiam secundùm speciem athomam, vnitate desumpta ab vno obiecto atributionis, & ab vno fine intrinseco, ad quem omnes scientiæ tractatus referuntur, quā-

quatenùs nil Logica considerat, quod non ordinet ad perfectam notitiam sui obiecti attributionis comparandam; nec enim conceditur etiam à defendentibus, scientiam esse compositam qualitatem plures Logicæ specie distinctæ. Hic igitur vnitate specifica supposita, vertitur in vtrum, an Logica sit composita qualitas ex pluribus habitibus, ita, vt alius habitus adquiratur per primam demonstrationem, alius per secundam, & sic de reliquis; vel an potiùs sit vnicus indivisibilis habitus, qui adquisitus per primam demonstrationem sufficiat ad omnes, & singulas scientiæ conclusiones demonstrandas.

§. I.

Statuitur conclusio.

275 Logica est simplex qualitas. Oppositum sustinent frequenter cum Scoto eius Discipuli, & plerique PP. Societatis: nostram tamen conclusionem, præter Thomistas omnes, quos inter PP. Complutenses semper connumeratos volumus, vt à quibus Angelica Doctrina magnum splendoris incremẽtum accepit, tenent etiam Rubius, Caberus, Vazquez, Valentia, Salas, quos refert, & sequitur P. Quiròs disput. 14. sect. 3. Propugnat illam ex professo Angelicus Doctor 1. 2. quæst. 54. art. 4. in corpore, vbi ait: *Habitus est perfectio potentiæ, omnis autem perfectio proportionatur suo perfectibili; vndè sicut potentia, cum sit vna, ad multa se extendit secundum quod conveniunt in aliquo vno, idest, in quadam ratione obiecti, ita etiam habitus ad multa se extendit secundum quod habent ordinem ad aliquid vnum, puta, ad vnam rationem obiecti.* Et infra: *Si consideremus habitum secundum ea, ad quæ se extendit, sic invenimus in eo quandam multiplicitatem, sed quia hæc multiplicitas est ordinata ad aliquid vnum, ad quod principaliter respicit habitus, indè est, quod habitus sit simplex qualitas, non constitutus pluribus habitibus, etiam si ad multa se extẽdat.* Vbi non solùm docet clarissimè nostram sententiam, sed rationem à priori illius assignat.

276 *Prob. igitur* conclusio proposita D. Thomæ ratione. Habitus adquisitus per primam demonstrationem Logicam est simplex qualitas: sed habitus adquisitus per primam demonstrationem Logicam, est facilitas ad omnes demonstrationes Logicas: ergo facilitas ad omnes demonstrationes Logicas est simplex qualitas, ac proindè Logica consistens in facilitate ad omnes suas demonstrationes, est simplex qualitas. Prob. min. Habitus adquisitus per primam demonstrationem Logicam est facilitas ad omnes demonstrationes, quæ continentur sub eodem specificè motivo: sed omnes demonstrationes Logicæ cõtinentur sub eodem specificè motivo: ergo est facilitas ad omnes.

277 *Mi.* videtur certa ex eo, quod motivum, cui Logica nititur ad om-

omnes ſuas demonſtrationes, eſt ſpecificativum formale Logicæ: ſed hoc ſpecificativum eſt vnum, & idem ſpecificè, aliàs Logica nõ eſſet vna ſpecificè ſcientia contra id ipsũ, quod ſupponitur: ergo omnes ſuas demonſtrationes reſpicit Logica ſub eodem ſpecificè motivo. Mai. autem prob. Habitus adquiſitus per primam demõſtrationem Logicam eſt facilitas ad omnes demonſtrationes, quæ ſupra primam non addunt novam difficultatem formalem, cum novus habitus pro ſola nova difficultate formali vincenda deſideretur: ſed quæ continetur ſub eodem ſpecificè motivo, non addunt ſupra primam novam difficultatem formalem, cum per primam ſit devicta: ergo eſt facilitas ad omnes cõtentas ſub eodem ſpecifice motivo. Et hoc videtur intentum D. Thomæ illis verbis: *Sed quia hæc multiplicitas eſt ordinata ad aliquid vnum* (obiectum ſcilicèt, ſeu motivum formale) *ad quod principaliter reſpicit habitus, indè eſt, quod habitus ſit ſimplex qualitas.*

278 *Confirm.* & explicatur. Motivum, cui Logica nititur ad omnes ſuas demonſtrationes eliciendas, eſt modus ſciendi vt ſic: ſed hoc motivum eſt idem formaliter, & ſpecificè reſpectu Logicæ: ergo Logica reſpecit omnes ſuas demõſtrationes, vt contentas ſub eodem ſpecificè motivo, ac proindè eſt ſimplex qualitas. Mai. conſtat ex eo, quod modus ſciendi eſt motivum formale Logicæ, vt eſt obiectum attributionis illius, ſivè vt eſt ratio attingendi omnia obiecta materialia Logicæ: ſed eſt ratio attingendi omnia obiecta materialia Logicæ, ſecũdum quod eſt modus ſciendi vt ſic, ſeu ſecundum rationem communẽ modi ſciendi, nàm prout eſt talis, vel talis ſpecies mo ſciendi nequit hoc habere, vt de ſe patet: ergo modus ſciendi vt ſic, ſeu ſecũdum rationem communem modi ſciendi eſt motivum, cui Logica nititur ad omnes ſuas demonſtrationes eliciendas. Min. autem prob. illud motivum eſt idem formaliter, & ſpecificè, quod ſolum admittit materialem diverſitatem in eſſe motivi: ſed huiuſmodi eſt modus ſciendi, reſpectu Logicæ, cum ſivè adſit, ſivè deſit quælibet determinata ſpecies modi ſciendi, ſalvetur motivum aſſenſus Logici, dum modus ſciendi non deſit: ergo modus ſciendi vt ſic, ſecũdum rationem communem, eſt idem formaliter & ſpecificè motivum reſpectu Logicæ.

279 *Dices* quod in modo ſciẽdi vt ſic ſalvatur vagè, vel in genere motivum aſſenſus Logici, non tamen ſalvatur motivum huius, vel illius aſſenſus ſpecificè; quia aſſenſus alicuius proprietatis diffinitionis pendet, vt à motivo, non à modo ſciendi, vt cumque, ſed à tali modo ſciendi, diffinitione ſcilicèt: vndè licèt idem ſit motivum formale omnium demonſtrationum quaſi genericè ſumptarum, ſecus ſumptarum ſpecificè.

Con-

180 *Contra* est 1. Illa particularis proprietas demonstratur à Logica de diffinitione, quæ est quidam modus sciendi, quia contenta sub formali motivo modi sciendi; ergo licèt id, quod demonstrat, & de quo demonstrat, sit aliquid particulare, motivum tamen demonstrandi est modus sciendi secundum rationem communem. *Explicatur.* Licèt dum intellectus attingit hominem non solum attingat ens, sed tale ens, ratio tamen formalis motiva attingendi illum est ratio entis, quæ est ratio formalis intellectus, & in qua omnia obiecta ab ipso attacta conveniunt: ergo licèt dum Logica attingit demonstrativè proprietatem diffinitionis, talem modum sciendi attingat, attingit tamen illum sub ratione formali motiva modi sciendi, qui est obiectum attributionis Logicæ, & in quo omnia obiecta à Logica attacta conveniunt.

181 *Contra* 2. Habitus Logicæ demonstrans proprietatem diffinitionis non attingit illam iuxta solutionem, quia modus sciendi est, sed quia talis modus sciendi, & idem de habitu erga divisionem, & de habitu erga demonstrationem: ergo ex his habitibus nequit resultare Logica, quæ sit vna scientia specie: consequens est contra id, quod supponitur, dum de simplicitate Logicæ disputatur: ergo falsum est antecedens. Cætera patent, & prima conseq. prob. Quia Philosophia, & Logica non attingunt sua obiecta sub vna communi ratione scibilis, sed quælibet attingit suum obiectum sub ratione talis scibilis, non resultat ex eis vna specificè scientia totalis attingens obiecta sub ratione communi scibilis: ergo si ex habitibus, in quorum collectione dicunt consistere Logicam, quilibet attingit suum obiectum sub ratione talis modi sciendi, non poterit ex his resultare vna specificè scientia Logicalis, quæ attingat obiecta sub ratione communi modi sciendi.

182 *Confirm.* Logicæ incumbit per se attingere modum sciendi, vt èst obiectum attributionis illius; sed est obiectum attributionis illius, vt est ratio attingendi quidquid Logica attingit, hoc enim est proprium cuiuscumque obiecti attributionis: ergo per se incumbit Logicæ attingere modum sciendi, vt est ratio attingendi, quidquid Logica attingit. *Tum* sic: sed si quilibet ex habitibus, qui dicuntur componere Logicam, tendit ad suum obiectum, vt est talis modus sciendi, numquam à Logica attingitur modus sciendi, vt est ratio attingendi quidquid Logica attingit, siquidem semper attingitur, quia talis modus sciendi, sub qua talitate nequit omnia obiecta à Logica attacta comprehendere: ergo licèt dum Logica attingit diffinitionē (& sic de aliis speciebus) talem modum sciendi attingat, non tamen attingit illum,

mali non sit simplex qualitas: ergo disparitas assignata non obstat, vt Logica sit simplex qualitas. Mai. explicatione ipsa constabit: cum enim habitus sit determinatio potētiæ, nequit habere amplam adeò rationem formalem sicut potentia, & consequenter nequit vnus existens esse determinatus ad omne verum, sicut potentia, propter disparitatem maioris amplitudinis potentiæ supra habitum; vnus tamen existens debet se extendere ad ea obiecta, respectu quorũ militat eadẽ ratio, quę militat, vt potentia vna existens se extendat ad omnia, nam quoties eadem militat ratio, idem quoque debet consequens inferri: sed ratio militans in potentia, vt vna existens se extendat ad omnia, est quia omnia attingit sub eadem ratione formali, vt probatum est: ergo si in Logica respectu obiectorum, quæ attingit militat hæc ratio, attingendi scilicet illa sub eadem ratione formali, vnus existens habitus se extendet ad omnia sua obiecta. *Aliàs* conclusionis probationes, quibus superiores roborantur, reservamus lib. 2. de Anim. q. 3. art. 2. de vnitate scientiarum; revera enim non conciliatur rectè vnitas specifica scientiæ cum plurium habituum compositione integrali.

*****

§. II.

Solvuntur argumenta.

287 Primò contra rationem desumptam ex Angelico Præcept. obijcies. Perfectio, & perfectibile non debēt proportionari quoad simplicitatem: ergo ex quo potentia intellectiva sit simplex qualitas, non sequitur, quod Logica, quæ est perfectio illius, sit simplex qualitas. Prob. anteced. Species intelligibiles; habitus, & actus sunt perfectiones potētiæ intellectivæ: & tamen in vna simplici potentia intellectiva sunt plures species, habitus, & actus: ergo perfectio, & perfectibile non debent proportionari quoad simplicitatem.

288 *Confirm.* Sub vna formali ratione veri specificante vnam potentiam intellectivam continentur plura obiecta, quæ sint formalia comparativè ad species, actus, & habitus, & si sint materialia respectivè ad potentiam. Similiter intrà eandem rationem formalem sciẽtiæ sunt plura obiecta, quæ sint formalia respectivè ad plures, & diversos actus, qui à scientia eliciuntur, & si sint materialiter tantùm diversa respectu scientiæ: ergo sub vna ratione formali modi sciendi possunt contineri plura obiecta, quæ sint formalia respectivè ad plures habitus partiales, & si sint materialia respectu Logicæ.

289 *Respond.* ex dictis disting. an-

anteced. Perfectio, & perfectibile non debent proportionari, quoad simplicitatem, *dum nõ adest ratio proportionis* conced. anteced. *dum adest*, neg. anteced. & consequent. Ratio quare perfectibile (potentia scilicet intellectiva) est vna, est, quia omnia sua obiecta attingit sub eadem ratione formali veri; ex hoc autem non sequitur, quod si perfectibile est vnum, perfectio illius non sit nisi vna, ita, vt pluribus habitibus, speciebus, & actibus, potentia intellectiva non possit perfici, quia quoad hoc non adest ratio proportionis, cum amplior sit ratio formalis potentię, quam ratio formalis cuiuscumque speciei, actus, & habitus. Sequitur tamẽ, quod quæcumque perfectio ex his, vna existens se extendat ad ea obiecta, quæ respectu ipsius cadãt sub eadem ratione formali, ac proinde sequitur, quod Logica atingens omnia sua obiecta sub eadem ratione formali sit simplex qualitas.

290 *Si dicas*: ergo si actus, & species attingerent plura obiecta sub eadem ratione formali, vnica species, & vnicus actus ad omnia illa sufficerent. Cur ergo non sic cõtingit, sed pro singulis obiectis, singulæ species, singulique actus communiter desiderantur?

291 *Resp.* conced. conseq. Ideòque vna species intellectus Angelici sufficiens est ad plurima obiecta. vt conveniunt in aliqua ratione repræsentabilis; & idem de actibus, qui possunt se extendere ad omnia ea, quę respectu ipsorum cadant sub eadem ratione formali. *Cur autem* species, & actus plus regulariter multiplicentur pro obiectorum diversitate, quam habitus, & multò plus quam potentia; ratio sumitur ex dictis; cum enim maior sit amplitudo potentię, amplior quoque est, & vniversalior eius ratio formalis, quam ratio cuiuscumque habitus, & huius ratio formalis amplior, quam ratio formalis actus, & speciei: species enim ab vno obiecto immissa cum ipso commensuratur, & actus adęquatur cum obiecto per modum tendentię actualis determinatæ, ac proindè per modum teendentię magis limitatæ, quam tendentia per modum principij, & actus primi facilitantis, qualis est tendentia habitus.

292 *Ad confirm.* neg. conseq. Quia in eo, quod sub vna ratione formali veri respectu potentiæ cõtineantur plures habitus, non sequitur ex vna parte, quod potentia attingat sua obiecta sub eadem ratione formali, & ex alia, quod non sit vna, & simplex; cum habitus nõ sint partes potentiæ, sed determinationes complentes ipsam. Similiter dicimus de actibus respectu scientiæ, cum huius non sint partes actus, sed exercitia, quæ à scientia eliciuntur. Si autem sub vna ratione formali modi sciendi essent plures habitus, cum hi essent partes, in quarum collectione consisteret Logica, fieret ex vna parte, quod Logica non esset vna, & simplex perfectio, cum tamen ex alia attin-

ge-

geret omnia sua obiecta sub eadem ratione formali.

293 *Obijc. 2.* contra conclusionem. Actus erga diffinitionem attingit modum sciendi, vt determinatum ad talem speciem modi sciēdi: ergo habitus per ipsum productus solum est facilitas ad talem speciem modi sciendi, ac proinde alius habitus desideratur, qui sit facilitas ad alias species modi sciendi. *Disting.* anteced. attingit modum sciendi vt determinatum, ly *vt dicente id, quod attingit* conced. anteced. *dicente motivum, quare attingit* neg. anteced. & conseq. Sicut actus intellectus attingens tale ens, nō attingit illud, quia tale, sed quia ens, in qua entis ratione omnia obiecta ab intellectu attacta conveniunt; ita actus Logicæ attingens diffinitionem, attingit talem modum sciendi, non quia talem, sed quia modum sciendi, in qua communi ratione omnia obiecta à Logica attacta conveniunt.

294 *Dices.* Et si actus erga diffinitionem attingat illam, quia modum sciendi, taliter tamen attingit illam, vt vltra diffinitionem nequeat se extendere: ergo habitus per talem actum productus nō poterit vltra diffinitionem se extendere. Patet conseq. nàm effectus nequit excedere virtutem suæ causę: ergo si actus ille causans habitum nequit se extendere vltra diffinitionem, nec habitus causatus poterit vltra se extendere.

295 *Resp.* instando in primis in exemplo posito; nā actus attingens tale ens, & si illud attingat quia ens nequit tamen vltra illud se extendere, & tamen nequit dari potentia intellectiva ad tale ens determinata, & impotens vltra se extendere. *Deinde* concesso anteced. neg. conseq. Ad eius prob. dinsting. anteced. nequit excedere virtutem suę causę *adequatæ* conced. anteced. *suæ in adæquatæ* neg. anteced. & conconseq. Actus ille non est se solo causa habitus Logici, sed simul cū habitu primorum principiorum, & cum potentia ipsa, quæ ad plura se extendunt; qua ratione & si actus sit transiēs causat habitum permanentem, quia non causat se solo habitum, sed simul cum potentia, quæ habitum in permanentia excedit. Actus ergo circa diffinitionem causat cum potentia habitum, qui sit facilitas non solum erga diffinitionem, sed erga quoscumque actus non addentes novam difficultatem formalem, qualem non addunt quicumque actus convenientes cum actu diffinitionis in eadem ratione formali, sub qua inspiciuntur à scientia.

296 *Sed ex hoc* obijcies 3. facilitas ad actus erga diffinitionem non est facilitas ad actus erga syllogismum: ergo habitus Logicæ circa diffinitionem non est habitus Logicæ circa syllogismum. Patet conseq. nàm habitus nil aliud est quam facilitas. Anteced. verò prob. 1. ab experientia ipsa, qua cōstat, quod postquam intellectus est facilis in diffiniendo, habet sæpè difficultatem in syllogizando: sed

si facilitas circa primum esset facilit as circa secundum, facilis in diffiniendo esset facilis in syllogizando, cum forma eiusdem speciei, semper, vel numquam, facilitet ad eosdem actus: ergo. *Prob.* 2. idem antec. Habitus adquisitus non facilitat intellectum, nisi ad actus simi les eis, per quos generatur; sed actus circa syllogismum non sunt similes, sed dissimiles actibus circa diffinitionem: ergo facilitas generata ex actibus circa diffinitionem non est facilitas ad actus circa syllogismum.

197 *Confirm.* Actus circa diffinitionem procedunt circa distinctam veritatem obiectivam, & ex diversis principijs, ac actus circa syllogismum: ergo facilitas circa diffinitionem non est facilitas circa syllogismum. Anteced. est certum, cum hic actus *diffinitio est clarior suo diffinito* distinctam omnino veritatem attingat, ac iste *syllogismus ex puris negativis nil concludit*, & ex diverso penitùs principio, ex hoc scilicèt, *omnis explicatio est clarior re explicata*, quod principium est quid diversum à quocumque alterius veritatis principio. Conseq. vero prob. *Tùm* quia ideò facilitas ad conclusionem vnius scientiæ non est facilitas ad conclusionem alterius, quia & distincta veritas est, & per distincta principia ab vnaquaque scientia probatur. *Tùm* quia ex quo sis facilis in probando diffinitionem esse clariorem diffinitio, non apparet quomodo sis facilis in probãdo syllogismũ ex puris negativis nil concludere, aut tribus debere terminis constare.

198 *Resp.* neg. anteced. Ad eius 1. prob. disting. mai. facilis in diffiniendo habet sæpè difficultatem *materialem, & extrinsecam* in syllogizando, conced. mai. difficultatem *formalem*, *& intrinsecam* neg. mai. & sub eadẽ distinctione min. neg. conseq. Sicut impotentia est duplex, alia intrinseca, & formalis consistens in improportione cum obiecto, qua ratione visus est impotens attingere sonum, alia extrinseca, & materialis consistens in defectu applicationis obiecti, sicut visus est impotens attingere coloratum, quod non est visui applicatum media specie: Ita difficultas est duplex, alia formalis, & intrinseca, alia materialis, & extrinseca: prima consistit in defectu inclinationis ex parte habitus, qui defectus contingit, quando obiectum, in cuius attingentia est difficultas, non continetur sub ratione formali, ad quam habitus facilitat, sicùt habens habitũ Logicę potest experiri dificultatem formalem ad actum Philosophiæ erga ens mobile, quia hoc non continetur sub ratione formali obiectiva Logicæ. Difficultas materialis, & extrinseca consistit in deffectu applicationis materiæ, quę applicatio fit medijs speciebus, & harum vsum, & coordinatione.

199 *Sicut* ergo stat te habere potentiam quoad intrinseca ad aliquem actum, visionem v.g. obiecti distantis, & illam absolutè elicere non

non posse propter defectum speciei, quam non potes adquirere, & cuius defectus aliundè, approximato obiecto, reparatur; ita stat te posse faciliter quo ad intrinseca (posito habitu circa diffinitionem) elicere actum syllogizandi, quem tamen faciliter absolutè non potes elicere propter defectum specierum, quas non potes de facili adquirere, & coordinare, qui defectus non per novum habitum, sed per extensionem praexistentis ad novam materiam, adquisitis speciebus, reparatur. Sic si parvulo nullas habenti species infunderetur miraculose habitus scientificus, praestaret ipsi intrinsecam, & formalem facilitatem, cum habitus sit essentialiter facilitas; & tamen, vt exiret in actum, restaret difficultas vincenda, non per adquisitionem habitus, sed specierum, quae tantùm deerant ad faciliter operandum. Et in sententia Adversariorum fatentium ad vnam demonstrationem sufficere vnicum habitum, dum in ea demonstratione magis exercetur intellectus, redditur facilior, quin novum adquirat habitum: quaelibet ergo nova facilitas non convincit absolutè novum habitum.

300 Ad 2. eiusdem mai. prob. concessa mai. disting. min. actus circa syllogismum non sunt similes, *materialiter, & quoad rationem particularem attactam* conced. min. *formaliter, & quoad motivum attingendi*, neg. min. & conseq. Sicut actus intellectus attingentes distincta obiecta sunt disimiles inter se, haec tamen disimilitudo est materialis comparativè ad potentiam, respectu cuius sunt similes formaliter, in ratione scilicet formali veri, quae est ratio formalis potentiae intellectivae: Ita actus Logicae erga diffinitionem, & syllogismum inter se sunt suis particularibus rationibus disimiles, sunt tamen similes formaliter comparatiuè ad Logicam, cum eorum obiecta cadant sub eadem ratione formali modi sciendi, ad quam primò, & per se facilitat Logica.

301 *Ad confirm.* disting. antec. procedunt ex diversis principijs *materialiter* conced. antec. ex diversis *formaliter* neg. anteced. nam principia, ex quibus Logica semper procedit, sunt ipsa natura modi sciendi, ad quam de materiali se habet, quod sit natura huius, vel illius modi sciendi. *Ex quo* constat ad primam conseq. prob. cum diversae scientiae ex diversis formaliter principijs procedant. *Ad* 2. eiusdem conseq. prob. inquirimus, & nos, vnde appareat, quod ex quo aliquis sit potens intelligere formicam, sit potens (vt reuerà est) intelligere Angelum? Profectò non aliundè, nisi quia formica intelligitur, quia *ens*, in qua ratione Angelus, cum ipsa convenit, vndè potens intelligere formicam, valet etiam intelligere Angelum: pariter ergo in nostro casu facilis in probando proprietatem diffinitionis, facilis quoque est quoad intrinseca in probanda proprietate syllogismi

mi, quia à Logica probatur proprietas de diffinitione, quia modus sciendi, in qua ratione convenit cum ipsa syllogismus.

301 *Dices.* Logica probat proprietatem diffinitionis, non quia modus sciendi præcisè, sed quia talis est modus sciendi, nam esse convertibilem cum diffinito non convenit diffinitioni, quia modus sciendi est, aliàs omni modo sciendi conveniret, sed quia talis est modus sciendi: sed facilitas in probando proprietatem diffinitionis, quia talis modus sciendi est, nequit esse facilitas in probanda proprietate syllogismi: ergo facilis in prima proprietate probanda non est facilis in probanda secunda.

303 *Resp.* disting. mai. quia talis est modus sciendi, ly *quia dicente rationem, de qua demonstrat proprietatem* conced. mai. *dicente causam, seu motivum vltimatè movens Logicam, vt illam proprietatem demonstret,* neg. mai. & sub eadem distinctione min. neg. conseq. Sicut intellectus attingit hominem, *quia ens*, non quia de homine solùm cognoscat esse ens, sed quia ratio, ob quam cognoscit illam particularē essentiam hominis, est quia homo est ens; ita Logica dicitur probare illam particularem proprietatē diffinitionis, *quia modus sciendi est*, non quia solum modum sciendi cognoscat, aut de solo illo probet eam proprietatem, sed quia ratio, ob quam de tali modo sciendi illam proprietatem probat, est, quia modus sciendi est.

304 *Si instes.* Modus sciendi diversificatur formaliter, & specificè, dum ad talem, vel talem descendit speciem modi sciendi: ergo vt contractus ad diffinitionem dicit diversitatem formalem, & specificam à se ipso vt contracto ad diuisionem, vel syllogismum, ac proinde habitus Logicę terminatus ad talem speciem modi sciendi respicit diversam formaliter, & specificè rationem obiectivam ab habitu circa diffinitionem, & consequenter est diversus habitus.

305 *Resp.* disting. anteced. diversificatur formaliter, *vt est totum genericum, & potentiale ad sua inferiora*, conced. antec. *vt est ratio formalis obiectiva omnium specierum*, neg. anteced. & sub eadem distinctione primi consequentis, neg. secundam conseq. quæ sub infertur. Instantia est manifesta in obiecto formali cuiusvis potentiæ; color enim diversificatur formaliter, & specificè per contractionem ad album, nigrum, aliasque coloris species, quin inde inferatur diversificari formaliter in esse obiecti potentiæ visivę: habet se ergo de materiali ad rationem obiecti diversitas huius in esse rationis genericæ contrahibilis per varias species. Sed quomodo hęc duo cohæreant, exponimus ex professo in lib. 3. de anim. quæst. 10. art. 3. difficultas enim est communis in cuiusvis potentiæ obiecto, & ad citat. locum spectans.

306 *Obijc.* 4. Producto habi-

bitu per primam demonstrationem Logicam, secunda demonstratio producit habitum: non habitum præexistentem, & iam productum: ergo producit habitum distinctum, & consequenter Logica componitur ex pluribus habitibus. Prob. mai. *Tùm* quia secunda demonstratio est eiusdem activitatis cum prima: sed prima producit habitum: ergo secunda. *Tùm* quia demonstratio est ipsa productio habitus: sed non stat productio, sine termino producto: ergo secunda demonstratio producit habitum. *Confirm.* Cum scientia circa obiectum secundæ demonstrationis nō stat error circa ipsum, error enim, & scientia circa idem sunt incompatibilia: sed cum habitu producto per primam demonstrationem stat error circa obiectum secundæ demonstrationis: ergo habitus productus per primam non est scientia circa obiectum secundæ demonstrationis.

307 *Resp.* neg. mai. Ad eius 1. prob. concessis præmissis, neg. conseq. quia licet secunda demonstratio sit ex se productiva habitus, de facto illum non producit per accidens, quia scilicet invenit productum, sed præexistentem extendit ad novam materiam. Sic actio, qua intenditur calor, ipsum posset producere, non tamen producit, sed auget, quia productum invenit. Sic Sacramentum Pœnitentiæ ex se productivum primæ gratiæ, eam sæpè non producit, sed auget, quando scilicet eam invenit iam productam, & denique in sententia contraria actus similis ei, per quem habitus est genitus, habitum poterat ex se producere, quem tamen de facto non producit. *Nec* sequitur frustra esse illam vim secundæ demonstrationis; *quia* ab intrinseco, & essentialiter non est irreducibilis ad actum, cum si à secunda demonstratione inciperet (vt absolutè potest) intellectus, illa produceret habitum.

308 *Ad* 1. prob. neg. mai. quia demonstratio non est primario ipsa habitus productio, sed primariò est actus contemplans scientificè obiectum, & secundariò tantum est productio habitus, vnde potest reperiri sine hoc munere secundario producendi habitum: sicut in sententia opposita actus demonstrativus similis ei, per quem habitus est productus, potest reperiri, & de facto reperitur sine munere producendi habitum, & si sit ex se productio habitus.

309 *Ad confirm.* disting. mai. cum scientia *expedita*, & *extensa* circa obiectum secundæ demonstrationis non stat error circa illud conced. mai. cum scientia *nondùm expedita, & extensa* neg. mai. Sicut enim cum fide circa vnum misterium stat error invincibilis circa aliud nondùm debitè applicatum, quia nondùm sufficientèr promulgatum, ex quo non sequitur, quod pro secundo misterio sit quærenda nova fides, sed quoad ad illud debeat extendi habitus fidei præexistens; ita ex quo cum scientia cir-

ca obiectum primæ demonstrationis stet error circa obiectum secūdæ nondum debitè per alteram demonstrationem applicatum, non sequitur necessitas novi habitus, sed quod præexistens debeat per secundam demonstrationem ad huius obiectum applicari. Videatur D. Thomas vbi supra, qui expressis ferè verbis nostram solutionem tradit.

310 *Denique* obijcies. Logicam esse simplicem qualitatem est esse vnum numero habitum; sed esse vnum numero habitum non rectè probatur ex vnitate formali obiecti: ergo omnia hucusque dicta nullius sunt ponderis ad suadēdam conclusionem Prob. min. Vnitas numerica habitus, sicut & cuiuscumque accidentis, sumitur in via D. Thomæ ab vnitate numerica subiecti, non ab vnitate formali obiecti, à qua solum desumitur vnitas specifica habitus: ergo huius vnitas numerica non rectè probatur ex vnitate formali obiecti.

311 *Si dicas.* Ex vnitate formali obiecti solùm inferri per consequentiam immediatam, quod Logica sit vna scientia specie, mediatè tamen etiam infertur vnitas numerica illius, quia duo habitus, & duo accidentia solo numero distincta nequeunt esse in eodem numero subiecto.

312 *Minus rectè* quidem: nam solutio plane fatetur, quod ratio D. Thomæ ab omnibus eius Discipulis in præsenti proposita inutilis est ad suadendam simplicitatem habitus, quod enim hanc probet mediatè, non provenit ex præsenti ratione, sed ex alia omnino diversa, qua D. Thomas probat duo accidentia solo numero distincta cuiuscumque generis sint, non posse esse in eodem: Vt quid ergo inexpendenda hac ratione ex vnitate obiecti formalis desumpta inutiliter insudamus in quæstione, in qua, non vnitas specifica vertitur in vtrum, sed numerica quæ est idem iuxta solutionem cum simplicitate? Et certè alienum satis est à D. Thoma, quod vbi ex professo propugnabat habitus simplicitatem, vteretur ratione ex se, & ab intrinseco inutili ad simplicitatem suadendam.

313 *Quare.* Vel neg. mai. quia simplicitas nec est vnitas numerica, nàm quantitas est vna numero, & tamen simplex non est, sed composita; nec est vnitas specifica, nam homo vnus est specificè, & non est simplex, sed compositus: est ergo simplicitas prædicatum pertinens ad specificationem, vel essentiam habitus, ac proindè ab obiecto formali desumenda. *Vel* ommissa mai. neg. min. Ad cuius prob. neg. conseq. Nam in accidentibus respectivis, & quæ non afficiunt subiectum præcisè propter sè, sed vt in aliud tendat, probato semel, quod in ordine ad illud aliud multiplex non requiritur, probatur ex hac ipsa ratione ex consequenti eius vnitas numerica. Vnde adhuc permisso, & non concesso, quod duplex nu-

mero accidens, posset esse in eodē subiecto, Logica non esset multiplex numero habitus, quia ad attingenda obiecta Logicalia (ad quod munus datur) vt stant sub eadem ratione formali, vnicus habitus sufficit, ac proinde subiectum alio habitu non indiget.

ART. VII.

An Logica scientia sit simpliciter necessaria ad alias scientias adquirendas?

314 NOtabis 1. dupliciter dici aliquid necessarium ad aliquem finem, nempè simpliciter, & secundam quid; necessarium simpliciter est illud, sine quo finis nequit obtineri, quomodo cibus est necessarius ad conservationem vitæ: Necessarium secundum quid est illud, sine quo finis [illegible] et absolute obtineri, cum illo [illegible]men melius obtinetur, quomodo Equus est necessarius ad iter agendum: Hoc secundo necessitatis genere ostendimus in procemio Logicam esse necessariam ad adquirendas scientias, necessariam, inquàm, id est, valde vtilem: procedit ergo dubium de necessitate simpliciter.

315 *Notabis* 2. duplicem esse scientiæ perfectionem, substantialem scilicet, & extensiuam: scientia substantialiter perfecta est certa, & evidens cognitio rei per causas cognoscendo eas esse causas rei, & rem ex vi illarum aliter se habere non posse: est scientia extensivè perfecta, cum prædicta cognitio habetur non tantùm de vna, vel altera veritate, sed de pluribus, vel de omnibus spectantibus ad scientiā: quando igitur scientia gaudet substantiali perfectione, & tantùm extenditur ad vnam, vel alteram cōclusionem, dicitur scientià in statu imperfecto; quando vero præter substantialem perfectionem, habet etiam extensivam, dicitur scientia in statu perfecto; & de scientia sub vtraque consideratione procedit dubium.

§. I.

Statuitur prima conclusio.

316 L*Ogica artificialis non est simpliciter necessaria ad adquirendas scientias in statu imperfecto.* Ita Masius, Sanchez, Complut. Didácus à Iesu, Ioan. à S. Thom. Linze, Moneta, & frequentius extra Scholam D. Thomæ contra Sot. Araujo, Gallego, Navarro, Lerma, Parra, Amicum, & alios RR. ex nostris in manuscriptis.

317 *Prob.* 1. Qui certo; & evidenter cognoscit præmissas esse veras, & conclusionem ex illis inferri, habet scientiam illius conclusionis saltim in statu imperfecto: sed sine Logica artificiali potest intellectus certò, & euidenter cognoscere præmissas esse veras, & conclusionem ex illis inferri: ergo sine Logica artificiali potest adqui-

ri scientia saltim in statu imperfecto. Mal. est certa, nam certo, & euidenter cognoscens præmissas esse veras, & conclusionem ex illis inferri, cognoscit rē per causam, & quod illius est causa, & quod aliter se habere non potest: hoc, & non amplius, requiritur ad substantialem rationem scientiæ: ergo habet scientiam quoad substantiam illius conclusionis.

318 *Min. autem* quoad 1. partem etiam est certa; nam præmissæ possunt esse prima principia, quorum veritas ad Logicam non pertinet, sed ad habitum primorum principiorum, *& ulterius* etiam si non sint principia, possunt esse propositiones necessariæ in materia Philosophiæ, aut alterius scientiæ, omninò diversæ à Logica, ac proindè quarum veritas non spectet ad Logicam. Quoad 2. verò partem, in qua stat difficultas prob. Qui certò, & evidenter cognoscit sine Logica artificiali præmissas esse veras, certò, & evidenter cognoscit extrema identificari cum medio in præmissis: ergo certò, & evidenter cognoscit indè sine Logica extrema identificari inter se. Antec. est certum, cum in tali idētitate consistat præmissarum veritas, & conseq. prob. Intellectus solo lumine naturæ, ac proindè sine Logica artificiali, cognoscit evidenter, quod extrema identificata cum medio non possunt non identificari inter sè, hoc enim est principium lumine naturæ notum: ergo evidenter cognoscens independenter à Logica artificiali, quod extrema identificantur cum medio, inde evidenter quoquè cognoscit independenter ab illa, quod extrema identificantur inter sè. *Tùm sic*: sed conclusionem inferri expræmissis nil aliud est, quam quod extrema, quia identificata cum medio, identificentur inter sè: ergo certo, & euidenter cognoscit independenter à Logica artificiali intellectus conclusionem inferri expræmissis.

319 *Explicatur*. Quia lumine naturæ est notum, quod omne totum est maius sua parte, vbicumque aliquis viderit totum, cognoscet evidenter illud esse maius sua parte: ergo quia lumine naturæ notum est, quod quę sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, vbicumque viderit intellectus duo aliqua esse identificata cum tertio cognoscet evidenter illa identificari inter se.

320 *Dices* 1. quod ad scientificam cognitionem conclusionis non sufficit, quod cognoscatur cōclusionem inferri ex præmissis, sed requitur, quod cognoscatur *benè* inferri; bonitas autem illationis nequit evidenter cognosci sine Logica, quia cum talis bonitas sit passio consequentiæ, nequit euidenter cognosci nisi media demonstratione, qua statim generatur Logica.

321 *Sed contra est* 1. Sine Logica artificiali potest euidenter iuxta solutionem cognosci, quod conclusio infertur expræmissis: ergo & quod

quod benè infertur. Prob. conseq. Inferri expręmissis est idem formaliter,ac benè inferri, nam quod benè non infertur, non infertur, malè enim inferri non est inferri. *Explicatur*. Inferri expremissis veritatem conclusionis, est veritatem cōclusionis connecti cum veritate pręmissarum:sed si conclusio malè infertur expręmissis, illius veritas non connectitur cum veritate pręmissarum,vt per se patet : ergo si malè infertur,nō infertur;ac proinde si essentia consequentiæ consistens in inferri expræmissis potest euidenter solo lumine naturæ cognosci, potest quoque euidenter cognosci lumine naturæ bonitas illationis; cum inferri, & benè inferri in nullo differant ex parte obiecti.

322. *Nec dicas*,vel quod licèt bonitas consequentię sit de eius essentia,intellectus se solo non potest euidenter cognoscere talem essentiam,quia nequit sine demonstratione, & discursu cognoscere essentias rerum, quæ consistunt in discursu, qualiter in illo constiit essentia consequentiæ: *Vel quod* bonitas consequentiæ,quam dicis illius passionem, consistit in conformitate cum regulis artis, & implicat cognoscere sine arte consequentiam esse formatam conformiter ad regulas artis.

323 *Nàm* contra primam partem solutionis est ipsius æquiuocatio;aliud est enim,quod essentia consistens in discursu nequeat cognosci sine discursu,qui sit obiectum cognitionis;aliud, quod nequeat cognosci sine cognitione, quæ sit discursiva : *Primum* est verum, quia si discursus est qui cognoscitur ; ergo discursus est obiectum cognitionis, sicut si cognoscitur homo, homo est obiectum cognitionis: ergo nequit discursus cognosci,quin discursus sit obiectū illius cognitionis. *Secundum* est falsum,& manifestè prob. illius falsitas,*tùm* ex dictis,nam cum essentiæ rerum non conveniant rebus per aliquod medium, sed immediatè, non habent medium, per quod probentur, aut demonstrentur, licet possint diffinitiuè explicari,aut aliter clarius,vt percipiantur,exponi:ergo nullius rei essentia indiget cognitione discursiva, vt ab intellectu evidenter cognoscatur : *Tum* quia intellectus potest diffinire, & de facto diffinit discursum,vt dum diffinitiuè tradit ex quibus debeat constare demonstratio : sed diffinitio non est discursus : ergo discursus ipse cognoscibilis est sine discursu.

324 *Contrà* secundam partem solutionis est,quod iuxta ipsam solùm nequit cognosci sine arte, quod consequentia sit conformis regulis artis : sed vt cognoscatur conclusionem bene absolutè inferri expræmissis, necessum non est, quod cognoscatur eius conformitas cum regulis artis. *Tùm* quia intellectus solo lumine naturæ cognoscit evidenter extrema identificata cum tertio non posse non identificari inter se, ac proinde cog-

cognoſcens evidenter in præmiſsis extrema identificari cum medio, illicò cognoſcit evidenter identificari inter sè, ſiuè hoc ſit conforme, ſiuè non cum regulis artis, de quo non curat. *Tum* quia conſequentiam, ſiue diſcurſum eſſe conformem regulis artis ſupponit eius intrinſecam rectitudinem, & bonitatem, ad quam ſequitur eius conformitas cum regulis artis: ſed eius intrinſeca bonitas, & rectitudo cõſiſtit in eo, quod concluſio infallibiliter inferatur exprĕmiſsis: ergo ſine hoc quod cognoſcatur talis conformitas, poteſt euidenter cognoſcere intellectus concluſionem infalibiliter inferri expræmiſsis. Ad quid ergo ſimpliciter neceſſaria cognitio conformitatis cum regulis, ſi ſemel quod evidenter cognoſcatur præmiſſas eſſe veras, & concluſionem inferri infalibiliter ex illis, habetur quoad ſubſtantiam ſcientia talis concluſionis?

315 *Dices* 2. Intellectum euidenter cognoſcere concluſionem infalibiliter ſequi expræmiſsis, ex ſuppoſitione, quod cognoſcat præmiſſas eſſe rectè diſpoſitas in modo, & figura ad inferendam concluſionem; huius autem rectæ diſpoſitionis cognitio nequit haberi ſine Logica artificiali, quæ ſola docet quomodo præmiſſæ diſponendæ ſint, vt inferant concluſionem: ex quo ſequitur etiam, quod licèt ſine Logica poſsit evidenter cognoſci veritas præmiſſarum abſolutè, non tamen, vt præmiſſæ ſunt, vt debitè ſcilicet diſpoſitæ ad inferendam concluſionem.

316 *Sed contra* eſt 1. vt Intellectus euidenter cognoſcat concluſionem eſſe infalibiliter connexam cum præmiſsis, ſufficit, quod euidenter cognoſcat hic, & nunc præmiſſas non poſſe eſſe veras, niſi ſit etiam concluſio vera, in hoc enim ſtat connexio veritatis vnius cum alio: ſed ad hoc non eſt neceſſaria illa ſignata cognitio rectæ diſpoſitionis præmiſſarum: ergo ſi ſola hæc cognitio dependet ſimpliciter à Logica artificiali, ſine Logica artificiali poteſt euidenter cognoſcere intellectus concluſionem eſſe connexam cum prĕmiſsis. Cætera patent, & min. prob. In hoc ſyllogiſmo *Omne, quod currit, mouetur, homo currit, ergo mouetur*, intellectus ſine eo, quod cognoſcat an præmiſſæ ſint in modo, & figura, imò nec quid ſit modus, aut figura, cognoſcit euidenter, quod *ſi homo currit, movetur*, ad eiuſmodi quippè euidentem adeò veritatem nullius artis beneficio indiget lumen naturale; ſed præmiſſas illas hic, & nunc non poſſe eſſe veras niſi concluſio ſit vera, nil aliud eſt, quam quod ſi homo currat, moveatur, id eſt, quod non currat, niſi moueatur: ergo ſine illa cognitione, quam neceſſariam intendit ſolutio poteſt intellectus euidenter cognoſcere hic, & nunc præmiſſas non poſſe eſſe veras, niſi ſit etiam concluſio vera.

327 *Contra* 2. Sine eo quod intellectus cognoſcat, quid ſit ſubiectum, quid copula, quid prĕdicatũ, & conſequenter ſine eo quod

cog-

cognoscat propositionem debere constare subiecto, copula, & prædicato, potest cognoscere evidenter, & de facto sic cognoscit veritatem huius propositionis *Omne totum est maius sua parte*; vt est innegabile: ergo adiuncta alia præmissa, qua ad oculum, vt aiunt, possit constare, aliquod compositum esse totum ex his, vel illis partibus, cognoscet evidenter solo lumine naturæ illud esse maius sua parte: ergo evidenter solo lumine naturæ cognoscet veritatem præmissarum esse hic, & nunc connexam cum veritate conclusionis. Prob. conseq. *Tum* quia sicut bonitas dicitur passio consequentiæ, & per regulas Logicæ examinatur recta dispositio præmissarum ad inferendum, ita veritas est passio principij enunciatiui, & per regulas Logicæ examinatur recta dispositio illius, vt scilicet constet subiecto, copula, & prædicato: sed hoc non obstante, cognitio rectæ dispositionis principij enunciativi, necessaria non est ad evidens iudicium veritatis enunciationis: ergo non obstante primiò, cognitio rectæ dispositionis præmissarum necessaria non est ad evidens iudicium bonitatis consequentię.

328 *Tum* quia conclusionem illam esse hic, & nunc connexam cum veritate præmissarum in nullo alio consistit nisi in eo, quod non stet compositum illud esse totum, quin sit maius sua parte: sed hoc evidenter cognoscit hic, & nunc intellectus independẽter ab eo, quod cognoscat præmissas esse rectè dispositas, si semel cognoscit evidenter hic, & nunc, independenter à cognitione rectæ constructionis propositionis, quod *omne totum est maius sua parte*, evidens enim iudicium huius veritatis non compatitur secum falsitatem de eo, quod aliquod totum sit maius sua parte: ergo vel sine Logica artificiali nequit evidenter cognosci veritas illius enunciationis, quod est apertè falsum, vel sinè ea potest evidenter cognosci connexio premissarum cum illa conclusione.

329 *Confirm.* & simul omnia dicta roborantur. Facta clarissima demonstratione in *Darij*, & concessis præmissis, quilibet etiam ignarus Logicæ concedit sine formidine, imò convincitur, & cogitur concedere consequentiam, vt experientia patet: ergo evidenter cognoscit connexionem conclusionis cum præmissis. Prob. conseq. *Tum* quia non est solum probabile, sed evidens, quod omnibus per se, nulla expectata ratione, apparet verum iuxta D. Thomam 1.2.q.1.art.4. *Tum* quia intellectus noster sola veritatis evidentia potest necessitari, & cogi, vt affirmet rem ita esse: ergo si cõcessis premissis, omnes statim cõvicti concedunt consequentiam, eius vim percipiunt evidenter.

330 *Si dicas* ex his tantùm haberi, quod intellectus habeat scientiam solùm materialiter talem illius conclusionis, secùs for-

ma-

malem, quia ad hanc necessum est, quod sciens sciat se scire, sciendo rationem sui sciti. *In contra est*, quia vel solutio loquitur de scientia reflexa signata, qua signatè sciat quis se scire; vel de exercita, qua exercitè sciat rationem sui sciti, & se in exercitio scire. Si primum, sine vllo veritatis fundamento desideratur illa scientia reflexa, vt directa cognitio sit quoad substantiam scientifica; ideo enim scientia illa reflexa verè affirmat cognitionem directam esse scientificā, quia verè ità est, quod cognitio directa est scientifica, & non è converso, ideo hæc est scientifica, quia per scientiam reflexam ità esse affirmatur: ergo cognitio directa est scientifica independenter à reflexa. *Si secundum*, hoc est, quod convincunt discursus facti; si enim sine Logica artificiali cognoscit evidenter intellectus præmissas esse veras, & cum veritate conclusionis connexas, ideòque assentitur conclusioni; ergo cognoscit evidenter exercitè rationem illius conclusionis, & consequenter exercitè percipit se scire illam.

331 *Denique* prob. conclusio ex D. Thoma 9. Metaphis. lect. 7. dicente: *Potest homo aliqualiter exire in scientiæ, & virtutis actum, antequam habeat habitum scientiæ, & virtutis, quo adepto, perfectè operatur*: ex quibus sic formatur argumentum. In demonstratione, qua Logica generatur, datur sine Logica assensus scientificus, & cognitio evidens exercita bonitatis consequentiæ, cum totum hoc ipsam Logicam præcedat: ergo nec ad assensum scientificum, nec ad cognoscendam evidenter bonitatem consequentiç est simpliciter necessaria Logica. *Confirm.* Non minus dependet actus scientificus Philosophicus ab habitu Philosophiæ, qui illum elicit principaliter, quam Logica, quæ directiuè tantùm, & ministerialiter illi deservit: sed actus scientificus Philosophicus potest elici sine habitu Philosophiæ: ergo & sine habitu Logicæ.

332 *Si dicas*, quod in prima demonstratione, qua Logica generatur, cognoscitur evidenter bonitas consequentiç sine Logica formali, non tamen sine Logica virtuali; quia prima demonstratio est ea, qua ipsa bonitas consequentiæ demonstratur; cumque conclusio virtualiter se ipsam præcedat in præmissis, fit consequens, quod ad conclusionem primæ demonstrationis non devenitur sine aliquali notitia prævia bonitatis consequentiæ.

333 *Contra est* 1. Nam vnde probas, nisi petendo principium, esse indispensabiliter requisitum, quod prima demonstratio Logicalis sit ea, in qua signatè inferatur pro conclusione ipsa bonitas consequentiç, & non posse absolutè intellectum (& regulariter sic accidit) incipere à demonstratione alicuius proprietatis modi sciēdi in communi, vel ab ostensione

ne maioris claritatis diffinitionis supra diffinitum? præsertim, cum diffinitio sit prima species modi sciendi, quæ explicanda occurrit, & de qua statim traditur, quod sit clarior suo definitio, quia *omnis oratio explicans essentiam rei est clarior illa, & diffinitio est oratio explicans essentiam rei*, quæ præmissæ clarissimè evidentes nescimus cur non convincent intellectum ad assensum illius conclusionis, *diffinitio est clarior diffinito*: Vndè ergo probatur, cum res sic regulariter contingat, quod intellectus spectet notitiam illam signatam bonitatis consequentiæ, vt prædictæ veritati firmiter assentiatur?

334 *Contra* 2. Nam Logica iudicatur ab AA. oppositis necessaria simpliciter ad quamlibet demonstrationem, quatenus debet præcedere dirigendo, quomodo præmissæ sint disponendæ, seu quomodo, & ex quibus sit facienda demonstratio: sed ad hoc nequit deservire cognitio illa bonitatis consequentiæ vt virtualiter præcedens in præmissis. *Tum* quia cognitio dirigens debet esse expressior cognitione directa: sed cognitio illa vt virtualiter præcedens in præmissis non est huiusmodi, cum sit cognitio implicita, quæ necessariò est confusior cognitione ipsa expressa præmissarum. *Tum* quia nulla cognitio potest se ipsam dirigere, vndè hic actus: *Omnis propositio debet constare subiecto, copula, & prædicato* nequit dirigere ad faciendam hanc eandem propositionem, sed aliam distinctam: nec per lineam, quam quis efficit rectam, potest dirigi vt ipsammet efficiat; sed cognitio conclusionis in præmissis est ipsamet cognitio præmissarum: ergo per illam nequit intellectus dirigi ad rectam dispositionem ipsarum præmissarum.

§. II.

Solvuntur argumenta.

335 Obiicies 1. D. Augustinum lib. 2. de ordine, cap. 13. dicentem: *Sola Logica docet docere, & sola scientes facere potest*: ergo sine Logica nemo potest fieri sciens. *Confirm.* ex D. Thoma pluries docente, quod aliæ scientiæ dependent à Logica: & præsertim lib. 1. poster. cap. 1. vbi ait: *Ars quædam necessaria est, scilicet Logica, quæ sit directiva operum rationis, per quam homo in ipso actu rationis ordinatè, promptè, & sine errore procedat*: sed procedere sine errore est necessariũ simpliciter ad quamlibet scientiam quomodolibet adquirendam: ergo. *Item* iuxta S. Doct. ibidem, nequit haberi iudicium certum de effectibus, nisi per eorum resolutionẽ in prima principia: sed sine Logica non stat hæc resolutio in prima principia: ergo nec aliquod iudicium certum de effectibus, seu conclusionibus.

336 *Resp.* quod sola Logica inter scientias est quæ doctrinaliter, & directivè potest face-

re scientes, quia sola ipsa docet modum sciendi; ex quo solum sequitur, quod vt quis media doctrina, & disciplina adquirat scientias, necessaria sit Logica; non tamen sequitur, quòd ad adquirendas scientias absolutè, & per inventionem sit omnino necessaria Logica, quia sine notitia eius regularum, possunt fieri quam plures discursus plene demonstrativi, & convincentes. *Ad confirm.* resp. D. Thomam intelligendum esse de dependentia secundum quid, & quoad melius esse, quam non negamus: & ad testimonium adductum, eo concesso, vt iacet, disting. min. procedere *absolutè* sine errore est necessarium simpliciter, conc. min. procedere *faciliter* sine errore, neg. min. Logica solum est simpliciter necessaria ad procedendum faciliter sine errore, ad procedendum autem absolutè sine errore tantùm est necessaria secundum quid, idest valde vtilis. *Ad vltimam* neg. min. quia sine Logica potest, & si non ità faciliter, reddi ratio à priori conclusionis; imò quę sit ratio à priori conclusionis in materia Philosophiæ, non docet Logica, sed Philosophia ostendens, quod homo v.g. sit risibilis, quia rationalis: Logica enim solum docet assumendum esse pro medio conclusionis, quod Philosophia invenerit esse rationem à apriori, siuè causam conclusionis.

337. *Obijcies* 2. Nulla scientia etiam in statu imperfecto potest adquiri sine demonstratione, cum scientia sit habitus per demonstrationem adquisitus: sed demonstratio nequit fieri sine Logica: ergo nulla scientia in statu etiam imperfecto potest adquiri sine Logica. Prob. min. Nequit facere demonstrationem, qui non scit quomodo, & ex quibus sit facienda demonstratio: sed hoc sine Logica nequit sciri: ergo sine Logica nequit fieri demonstratio.

338. *Resp.* concessa mai. neg. min. Ad eius prob. disting. mai. qui non scit *saltim in actu exercito* quomodo, & ex quibus sit facienda demonstratio conced. mai, qui nō scit *signatè, & artificiosè* neg. mai. Sicut ignarus Grammaticæ loquitur sæpè congruo sermone; & si signatè non sciat quomodo, & ex quibus sermo congruus coalescat; & sicut ignarus Rethoricę ornatè dicit, quin regulas benedicendi degustaverit; ita nesciens signatè quomodo, & ex quibus sit facienda demōstratio, potest naturali intellectus facultate disponere plures discursus evidentes, quibus planè convincatur ad assensum vnius, vel alterius veritatis, quin ad hoc indigeat cōsulere regulas Logicæ, quæ ad solam illam signatam cognitionem artificij est necessaria.

339. *Replicabis* 1. Compositum artificiale sola arte potest fieri: sed demonstratio est compositum artificiale: ergo sola arte (ac proinde sola Logica) potest fieri. *Replicabis* 2. Demonstratio non generat scientiam in eo, qui materialiter tantùm demonstrat, ideò quippè

pè plores Philosophi, & D. Thomæ demonstrationes non generant scientiam in aliquibus, quia non percipiunt illas esse demonstrationes: sed qui nescit signatè, & artificiosè naturam demonstrationis, materialiter tantùm demonstrat: ergo scientiæ non adquiruntur demonstratione ab eo, qui signatè, & artificiosè nescit naturam demonstrationis. Prob. min. Qui dicit verum, nesciens se dicere verum, materialiter tantùm dicit verùm: similiter qui operatur propter finem, nesciens rationem, ob quam tendit in finem, materialiter tantùm agit propter finem: ergo qui demonstrat nesciens se demonstrare, materialiter tantùm demonstrat.

340 *Resp.* disting. mai. Compositum artificiale, *si sit artificiale in actu secundo* sola arte potest fieri conced. mai. *si sit artificiale in actu primo* neg. mai. Artificiale in actu secundo est quod de facto fit per artem, & ab hac extrinsece denominatur, & istud implicat ex terminis non fieri per artem: Artificiale in actu primo dicitur, quod est capax, vt per artis directionem fiat, & istud potest fieri sine arte; quia potest natura, licèt non ita faciliter, se sola patrare effectum artis. Sic non semel sermo evadit congruus sine subsidio Grammaticæ: Sic natura Medicinæ ope destituta in pristinã se sæpè salutẽ restituit: Est ergo demonstratio ex se compositum artificiale in actu primo, ac proindè potens sola naturæ intellectualis facultate componi.

341 *Nec valet.* Si dicas: Demonstratio ex se includit dispositionem in modo, & figura: sed talis dispositio est artificiosa in actu secundo: ergo demonstratio ex se est compositum artificiale in actu secũdo. *Nam* concessà mai. disting. min. talis dispositio, *ex se, & essentialiter* est artificiosa in actu secundo *neg.* min. *accidentaliter*, conced. min. & neg. conseq. Est talis dispositio artificiosa in actu secundo, quando fit cum attentione ad regulas artis; cæterum hæc attentio non est simpliciter necessaria, quia sine illa resultat naturaliter eiusmodi dispositio in ipsomet exercitio discurrendi.

343 *Ad 2 replicam* concessa mai. neg. min. Ad eius prob. disting. anteced. Qui dicit verum nesciens *exercite* se dicere verum, dicit verùm materialiter conced. anteced. nesciens *signatè, & reflexè* neg. antec. & applicata similiter distinctione alteri parti, seu exemplo antecedentis, disting. conseq. ergo qui demonstrat, nesciens *saltim in actu exercito* se demonstrare, materialiter demonstrat, conced. conseq. nesciens *in actu signato, & reflexè*, neg. conseq. Sicut potest quis dicere verum formaliter per hoc præcisè, quod in exercitio advertat identitatem extremorum, quam affirmat, ita potest quis formaliter demonstrare per hoc quod in actu exercito advertat connexionem vnius cum alio, quæ per ly *ergo* significatur

nificatur, quin necessum simpliciter sit, quod signatè præcognoscat naturam demonstrationis, sicut nec ad primum desideratur necessario, quod præcognoscat quid sit dicere verum, & ex quibus debeat constare oratio, vt dicat verum: quæ solutio satis patet ex dictis inter probandam conclusionem. *Nec* ideò demonstrationes Philosophiæ Arist. & D. Thomæ non sunt apud aliquos demonstrationes, quia ignorent Logicam, sed quia non penetrant connexionem obiectivam medij cum proprietate, quod non spectat ad Logicam, sed ad Philosophiam, aut ad illam scientiam, à qua fit demonstratio.

343 *Obijcies* 3. Non potest quis certò, & evidenter assentiri alicui conclusioni, quin certò, & evidenter cognoscat bonitatem consequentiæ: sed bonitas consequentiæ nequit certò, & euidenter cognosci sine Logica: ergo, sine Logica nequit quis certò, & euidenter assentiri alicui conclusioni. Prob. min. Nequit certò, & euidenter cognosci passio alicuius essentiæ nisi cognoscatur demonstrativè, nam cum propositio enuncians passionem de subiecto non sit immediata, nequit per lumen principiorum attingi, & ideò indiget ad sui euidentem cognitionē, quod cognoscatur medio discursu demonstratiuè probante, media saltim diffinitione subiecti, eam subiecto cōvenire; sed bonitas est passio consequentiæ: ergo nequit evidenter cognosci, nisi cognoscatur demonstrativè; ergo quin præcedat Logica: Hæc vltima consequentia patet, quia per cognitionem demonstrativā bonitatis consequentiæ adquiritur statim Logica: ergo si præcedit necessario cognitio demonstrativa bonitatis consequentiæ, necessariò Logica præcedit.

344 *Resp.* prætermissa mai. neg. min. Ad eius prob. permissa mai. disting. min. Bonitas *consistens in conformitate cum regulis demonstrandi* est passio consequentiæ conced. min. *consistens in proportione cū fine intrinseco demonstrationis*, neg. min. & disting. conseq. nequit evidenter cognosci bonitas *in illa conformitate cum regulis consistens*, nisi cognoscatur demonstrativè ommitt. conseq. *consistens in proportione cum fine intrinseco*, neg. conseq. Sicut in domo, & est bonitas consistens in conformitate cum regulis domificandi, & est bonitas consistens in conformitate cum proprio fine, hoc est, in proportione ad defendendum nos ab incommodis externis, & quidquid sit de prima conformitate, secunda non est passio, sed essentia domus; ita in discursu demonstrativo, & est bonitas consistens in conformitate cum regulis demonstrandi, & est bonitas consistens in proportione cum proprio fine, hoc est in connexione medij cum extremitatibus apta ad convincendum intellectum circa connexionem extremitatū inter sè; & quidquid sit an prima sit passio, quod parùm refert ad præsens, cum pro-

ba-

baverimus eius cognitionem necessariam non esse ad evidentem assensum conclusionis; secũda bonitas non est passio, sed essentia cõsequentiæ, ac proindè cognoscibilis in exercitio evidenter absque demonstratione solo lumine principiorum.

345 *Permisimus* autem, seu prætermisimus tàm primam propositionem, quàm secundam maiorem argumenti, & ommisimus quo ad primam partem distinctionis consequens. *Tùm* quia dum dicimus bonitatem adhuc primariã, & essentialem consequentiæ debere evidenter cognosci, non hoc cõcedimus de cognitione signata quidditatis consequentiæ, seu talis bonitatis, non enim est necessum quod quis signatè cognoscat adhuc diffinitivè, seu doctrinaliter in quo consistat talis consequentiæ bonitas, vt assensum præstet evidentem cuilibet conclusioni, sicut non requiritur signata cognitio essentiæ veritatis, imò nec propositionis, vt formet iudicium evidens de eo, quod propositiones per sè notæ sint veræ; ideoque pretermisimus primam maiorem, ne multiplici adeo argumenti distinctione, solutio principalis minus clara redderetur. *Tum* quia, & si passio re queat signatè euidenter cognosci, nisi demonstrativè, potest exercite evidenter cognosci sine demonstratione; qua ratione vt intellectus evidenter hîc, & nunc cognoscat primum aliquod principium enunciativum esse verum, demonstratione non indiget, & si veritas sit passio principij enunciativi: sed quia hæc ex professo discutere non est præsentis instituti, ideò permisimus secundam propositionem maiorem, & conseq. quoad primam partem distinctionis.

346 *Instabis* adhuc 1. Bonitas illa primaria consequentiæ est demonstrabilis per illa principia *dici de omni, & quæ sunt eadem vni tertio*: ergo est passio. *Instabis* 2. Bonitas consequentiæ cognoscitur in exercitio ea cognitione, qua cognoscuntur conclusio, & præmissæ vt illativæ: sed conclusio, & præmissæ vt illativæ non cognoscuntur lumine principiorum: ergo nec bonitas consequentiæ.

347 *Neg. antec.* non enim rigorosè demonstratur, sed explicatur per illa principia bonitas primaria consequentiæ: sicut per illa posses explicare ipsam essentiam (in quocumque illam ponas) consequentiæ, si argueres sic; vbi salvatur principium *dici omni*, est vere consequentia, salvatur in *Darij*: ergo modus *Darij* est vere consequentia. *Ad* 2. instantiam concessis præmissis, neg. conseq. sicut non valet: effectus provt penetrari in causa præsente cognoscuntur eadem cognitione, qua causa præsens cognoscitur; sed causa præsens cognoscitur intuitiuè; ergo & effectus provt in ipsa penetrari cognoscuntur intuitivè: Est enim ea cognitio æquivalenter duplex, quæ provt terminatur ad conclusionem est me-

mediata,& scientifica, vt vero terminatur ad bonitatem primariam consequentiæ est immediata, & luminis principiorum, sicut in exẽplo posito, cognitio, quæ est intuitiva causæ præsentis, est abstractiva respectu effectus possibilis, quem in ipsa penetrat.

348 *Obijcies* 4. Assensus firmus alicuius veritatis nequit haberi sine Logica, ac proinde nec assensus evidens: ergo Logica est simpliciter necessaria ad quemcumque assensum scientificum. Prob. antec. Ignarus Logicæ quolibet parallogysmo dimovetur facilè ab assensu veritatis, cum nesciat in quo opositi sophismatis defectus consistat: ergo assensus non est firmus. *Confirm.* Nequit intellectus certo, & euidenter assentiri conclusioni, nisi evidenter cognoscat sibi proponi veram demostrationem vt distinctam ab argumento sophistico: sed intellectus nequit discernere demonstrationem ab argumento sophistico sine Logica, quia sine illa nequit cognoscere defectus, qui possunt accidere argumentis, quæ cognitio necessaria est ad illam discretionem: ergo.

349 *Resp.* disting. anteced. nequit haberi sine Logica assensus firmus *per se*, *&* *ex natura sua* neg. anteced. *per accidens*, *&* *ratione subiecti* permittit, antec. & neg. conseq. Sicut contra prima principia possunt opponi plura sophismata, quæ ignarus Logicæ nesciet solvere, & tamen sine Logica assensus talium principiorum est certus, & evidens; ita contra quamcumque veritatem scitam possunt opponi plura, quæ ignarus Logicæ non poterit solvere, quin indè inferatur talem assensum non esse certum, & evidentem; nam huic evidentię, & certitudini non obstat, quod sit facilè mobilis a subiecto per accidens, & ratione non perfectæ dispositionis subiecti, dum sit firmus, & petens difficilè, aut nullatenus amoveri talis assensus ex natura sua, ex vi scilicet medij, cui innititur, & quod convincit intellectum ad assensum. *Præterquàm* quod, sicut Logica non est simpliciter necessaria ad vllam veritatem cognoscendã, ita nec ad vllum errorem vitandum, nàm inventa veritate, fugatur error; vnde licèt sine Logica nesciat signatè, in quo consistat, aut quis sit defectus, poterit absolute (& si non faciliter) sine illa quemvis defectum, & errorem cavere, & in suo assensu perseverare; qua ratione permisimus, & non concessimus, quoad secundam partem distinctionis, anteced.

350 *Ad confirm.* disting. mai. nisi evidenter cognoscat *exercitè*, *&* *in particulari* sibi proponi veram demonstrationem, vt distinctam ab argumento sophistico, conced. mai. nisi evidenter hoc cognoscat *signatè*, *&* *in vniversali* neg. mai. Non cognoscet sine Logica quid sit demonstratio, quid parallogysmus; at cognoscet hunc discursum in particulari, non fallaciter, sed verè, manifesteque concludere, & hoc sufficit, vt assensus ille sit certus; sicut

cut assensus principiorum est certus in eo, qui nescit signatè, & in vniversali, quid sit principium, & in quo differat ab errore.

351 *Denique obijcies.* Logica respectu scientiarum est causa vniversalis: sed sine influxu causæ vniversalis nullus potest effectus produci: ergo sine Logica nulla scientia adquiri valet. *Disting.* mai. est causa vniversalis *principalis* neg. maior. & sine huius influxu verum est effectū nō posse produci, qua ratione nullus in his sublunaribus potest effectus produci sine influxu corporum cælestium: Est causa vniversalis *per modum instrumenti directiui contenti eminenter in causa principali, scilicèt intellectu*, conced. mai. cæterum sine huius generis causa vniversali valent absolutè effectus produci à causa principali eminenter continente illam instrumenti virtutem.

352 *Dices.* Et si prudentia concurrat ad actus virtutum per modum instrumenti eminenter contenti in intellectu, ita tamen est necessaria, vt nullus actus sit substantialiter virtuosus, nisi sit regulatus dictamine Prudenti: ergo pariter dicendum de Logica.

353 *Resp.* Logicam, & Prudentiam in aliquo quoad necessitatem convenire, & in aliquo differre: conveniunt in eo, quod sicut ad primam demonstrationem, qua generatur Logica, non concurrit directio Logicæ, cum nullus actus dirigat se ipsum iuxtà supradicta, ita ad primos actus, quibus generatur prudentia, non concurrit propter eandem rationem directio ipsius, cum tamen illi actus sint substātialiter virtuosi, sicut est substantialiter scientifica prima demonstratio, qua generatur Logica. Differunt autem in eo, quod cum voluntas sit potentia cæca indigens simpliciter directione rationis, nullus illius actus potest esse virtuosus, nisi reguletur recto, & prudenti rationis dictamine, ac proinde nisi prudentia saltim actualis ad ipsum concurrat, quia scilicèt prudens dictamen non cōtinetur in virtute potentiæ elicientis principaliter actum virtuosum; cuius cōtrarium contraria de causa accidit in Logica, cum huius influxus eminenter contineatur in virtute potentiæ intellectivæ, quæ est ipsa potentia eliciens quemcunque actum scientificum.

§. III.
Alijs duabus conclusionibus resolvitur dubium.

354 **S**Ecunda conclusio. *Etiam ad scientias in statu perfecto, idest, quoad extensionem ad omnes suas conclusiones demonstrandas, non est simpliciter necessaria Logica artificialis.* Prob. quælibet veritas cuiuscumque scientiæ est demonstrabilis in quatuor modis primæ figuræ: sed ad demostrandum in his modis Logica artificialis non est simpliciter necessaria, cum in his modis bonitas consequētiæ statim appareat, vt ex di-

dictis constat: ergo potest quælibet veritas cuiuscumque scientiæ demonstrari sine Logica artificiali. *Confirm.* Sine Logica artificiali potest scientia quælibet extendi ad vnam conclusionem demonstrandam: ergo ad omnes. Prob. conseq. quia non est maior ratio vnius, quàm omnium.

355 *Si dicas:* non est maior ratio de vna, quã omnibus divisivè, est tamen maior ratio, vt se extendat ad vnam, quam ad omnes collectivè. *Contra est.* Tunc potentia, quæ valet ad omnes actus sumptos divisivè, non valet ad omnes sumptos collectivè, quando ex eliciẽtia vnius redditur debilior ad alterum, vt patet in potentia de ambulativa, qua aliquis potest ad quinque passus, & non potest ad septem, quia quamvis ità distet septimus à quinto, sicut quintus à tertio, cõtinuatione ipsa fatigatur: at intellectus vna demonstratione non torpescit, sed redditur habilior ad alteram: ergo si valet sine Logica ad omnes divisivè demonstrationes vnius scientiæ, valet sine illa ad omnes collectivè.

356 *Obijc.* Et si intellectus reddatur habilior cognitione vnius veritatis ad cognitionem alterius, stat, quod non possit omnes veritates naturales collectivè sumptas cognoscere sine speciali gratia, quas tamen divisivè sumptas potest sine speciali gratia cognoscere. Similiter licet voluntas possit sine speciali gratia vnum, vel alterum præceptum servare, secus tamen omnia præcepta collectivè: ergo licet sine Logica possit fieri vna, vel altera demonstratio, aut omnes divisive, nequeunt tamen sine illa fieri omnes collectivè. *Confirm.* 1. Aliquis actus est adeò difficilis, vt sine gratia speciali illum non possit efficere voluntas, licèt se sola possit alios actus faciliores elicere: Similiter: aliqua infirmitas est ita gravis, & difficilis curationis, vt sine ope Medicinæ nequeat curari, & si quam plures aliæ non ita graves solius naturæ facultate possint curari: ergo licet sine Logica possint efformari plures demõstrationes philosophicæ, v. g. aliqua tamen erit adeò difficilis, vt nequeat sine Logica fieri.

357 *Confirm.* 2. Demonstrationes scientificæ possunt formari in modis imperfectis sillogismorum secundæ, & tertiæ figuræ, in quibus non statim apparet bonitas consequentiæ, sed opus est explicatione, & reductione ad modos perfectos: at hæc reductio, & explicatio fieri nequit sine Logica: ergo ad plures demonstrationes scientificas est simpliciter necessaria Logica.

358 *Vrgetur.* Si absque Logica posset extendi alia quævis scientia ad omnes suas demonstrationes, posset sine Logica intellectus esse facilis circa dispositionem syllogisticam tot demonstrationes efficiendo, & repetendo rectè syllogisticè dispositas: consequens est omnino falsum. *Tum* quia facilitas circa formam syllogisticã nequit provenire nisi vnicè ab habitu erga

ga illam facilitante, qualis solus est habitus Logicæ. *Tum*, quia Logicam esse simpliciter necessariam, ad minus ad faciliter procededũm scientificè, nos ipsi fatemur, quod falsũ esset, si esset sine illa facilis erga tot demõstrationũ formam syllogisticam: ergo falsum est, quod sine Logica possit extendi aliqua scientia ad omnes suas conclusiones demonstrandas.

359 *Resp.* disting. anteced. stat quod non possit *phisicè* omnes veritates collectivè sumptas cognoscere neg. anteced. stat; quod non possit *moraliter* conced. anteced. & similiter applicata eadem distinctione alteri antecedentis exemplo neg. conseq. quia in præsenti non loquimur nisi de potentia phisica, in qua phisicè præcontineatur actus scientifici idependenter à Logica, cui non obstet impotẽtia moralis orta ex debilitate naturæ, & quam sanat specialis gratia, non Logica. *Hinc* ad primam confirm. quoad primam paritatem anteced. resp. nullum esse actum naturalem adeò difficilem, quem non possit phisicè elicere voluntas, & si non possit moraliter nisi speciali gracia iuvetur, sed hęc impotentia moralis est, vt diximus, de qua præsens litigium non curat. *Ad alteram* verò paritatem neg. quod sit aliqua infirmitas arte Medica curabilis, cuius curationem non possit etiam efficere, & ad invenire natura intellectualis, quidquid enim potest intellectus cum arte, potest se solo absolutè; & si nõ faciliter.

360 *Ad 2. confirm.* potest concedi totum, quin indè inferatur aliquid contra conclusionem, in qua non asserimus, quod Logica non sit simpliciter necessaria ad omnibus modis demonstrandas veritates, sed quod non est simpliciter necessaria ad omnes veritates demonstrandas; ex quo autem sit necessaria ad tali modo demonstrandum, in modis scilicèt imperfectis, non sequitur eius nececessitas ad absolutè demonstrandum, cum omnes veritates cuiusvis sciẽtię possint demonstari in modis perfectis, & sic non demonstrari illo modo. *Vel aliter* potest dici, quod cum adhuc in illis modis salvetur essentia consequentiæ, nam legitimè concludunt, potest absolutè intellectus illam sinè reductione ad modos perfectos cognoscere evidenter, licèt maiori cum difficultate, quam in modis perfectis, vbi statim apparet vis consequenriæ.

361 *Ad id*, quo argumentum vrgetur, disting. mai. posset sine Logica intellectus esse facilis circa dispositionem syllogisticam *facilis* (inquã.) *in ea exercenda*, cõced. mai. *in ea docenda*, *&* *signatè speculanda*, neg. mai. à solo habitu Logicę potest provenire facilitas in edocenda forma syllogistica, & in eius proprietatibus demonstrandis, aut artificiose signarè, & in actu secundo dignoscendis, quia solus ille est facilitas ad hoc, imò, sine illo, non est potentia ad formam rationis, vt artificiosè signatè concipiendam, quia

quia ars est simpliciter necessaria ad operandum cum arte: cæterum potest sine Logica dari facilitas ad formam syllogisticam exercēdam absolutè, quia hæc facilitas non distinguitur ab habitus illius scientiæ, cuius demonstrationes reperiuntur, & qui facilitans primariò ad elicientiam suarum demonstrationum, facilitat secundario, & ex consequēti ad dispositionem syllogisticam, quæ ibi exercetur, per quod constat ad 1. min. prob.

362 *Ad 2. min.* prob. resp. quod Logica est simpliciter necesaria ad facilite r scientificè procedendum, nulla facta suppositione, supposito tamen, quod intellectus plures sine illa demonstrationes in materia v.g. Philosophiæ elicuerit, quas cum illa faciliùs eliceret, & difficiliter sine illa elicuit, potest iam esse facilis sine illa in philosophando: sicut postquam quis assuefactus est magno labore sine ope Magistri ad formandos caracteres, invenietur facilis in eis efformandis, quin indè inferatur subsidium doctrinæ, & directionis Magistri non esse necessarium ad absolutè faciliùs scribendum.

365 Vltima conclusio: *Logica est simpliciter necessaria ad perfectionem accidentalem scientiarum.* Prob. nàm cum cuilibet scientiæ ex proprio munere incumbat demonstrare, & excludere errorem, ipsius est perfectio acidentalis, quod sciantur in vniversali regulæ faciendi demonstrationes, & quosvis defectus vitandi: ad hoc est Logica simpliciter necessaria: ergo est simpliciter necessaria ad perfectionem scientiarum accidentalem.

QVESTIO II.

De ente rationis.

1 Disputatio de ente rationis in communi propria est Metaphisicæ, cuius est agere de communi ratione entis: quia tamē artificium obiectivum modi sciendi continetur pro formali sub ente rationis, consuevere Logici ad pleniorem notitiam secundarum intentionum, quas in suis artefactis per se considerat Logica, entis rationis quidditatem investigare; quibus & nos morem gerentes sequentes disputationes subijcimus.

ART. I.

An dentur entia rationis?

2 Ens rationis idem sonat, ac ens in ratione, seu ens dependens à ratione; cæterum tripliciter potest aliquid dependere à ratione, *effectivè*, scilicèt, *subiectivè*, & *obiectivè*: *effectivè* pendet quid quid ab intellectu producitur, vt actus intelligendi; *subiectivè* dependet quidquid in eo recipitur, & subiectatur, vt species intellegibiles, & habitus scientifici; *obiectivè* verò pendet quidquid ei obijcitur, vel ab ipso cognoscitur. Verum inter ob-

obiecta ab ipso cognita alia sunt, quæ habent, vel possunt habere esse verè, & realiter in rerum natura alia, quæ nullum aliud esse possunt habere præter illud esse cognitum, seu obiectivum. Inquirimus ergo de ente rationis in vltima acceptione, quia in alijs acceptionibus ens rationis est quid reale, & modò tantùm agimus de ente rationis, vt opponitur enti reali, in qua consideratione docuit D. Thomas 1. p. q. 16. art. 3. ad 2. ens rationis esse illud, quod cum in se non sit ens, apprehenditur ab intellectu, ac si esset ens: vnde communiter diffinitur *quod tantum habet esse obiectivè in intellectu*, idest, in se nihil est, & concipitur ac si esset, vt Hircocervus, qui nequit in re existere, & concipitur ac si esset.

§. Vnic.

Dantur entia rationis.

3 NEgant entia rationis Picus Mirandul. Valles. Marien. & Spinula, à quibus latum vnguem non distat, qui illud putant consistere, vel in denominatione extrinseca, vel in aggregato ex extremis realibus. Sententia tamen communis Philosophorum cum Arist. & D. Thoma, à quibus nobis recedere non licet, prob. Nomine entis rationis intelligitur quod tantùm habet esse obiectivè in intellectu: sed dantur plura, quæ tantùm habent esse obiectivè in intellectu: ergo dantur entia rationis. Prob. min. Ea, quibus repugnat existere, & concipiuntur ab intellectu, tantùm habent esse obiectivè in intellectu: sed plura dantur huiusmodi: ergo dantur plura, quæ tantum habent esse obiectivè in intellectu. Prob. min. repugnat existere Hircocervum, alterū Deum, & alia huiusmodi penitus chimerica, & repugnantia: sed hæc, & similia concipiuntur ab intellectu: ergo: *Hæc ratio* sufficiat pro nunc, præscindendo ab alijs, in quibus miscetur litigium circa quidditatem, & modum efficientiæ entis rationis, de quibus infra.

4. *Obijc.* 1. Repugnat, quod aliquid in re esse non posit, & possit concipi ab intellectu: ergo repugnant entia rationis. Prob. antec. 1. repugnat aliquid concipi ab intellectu, quod priùs non fuerit in sensu: sed quod in re non potest esse, non fuit prius in sensu, cum sensus solùm sit sensibilium in re existentium: ergo repugnat concipi ab intellectu; quod in re esse non potest. *Prob.* 2. antèced. repugnat concipi ab intellectu quod cum ente reali non habet similitudinē, cum nihil possit ab intellectu cognosci nisi per speciem entis realis: sed quod in re nequit existere, non habet similitudinem cum ente reali: ergo quod in re nequit existere, nequit concipi ab intellectu.

5 *Resp.* neg. antec. Ad eius 1. prob. disting. mai. quod prius non fuerit in sensu *per speciem propria m, vel alienam* conc. mai. *præcisè per speciem propriam* neg. mai. & dist. min.

non

non fuit priùs in sensu per *speciem, propriam* conced. min, *alienam* neg. min. & conseq, non præcessit species propria entis rationis in sensu, quia hæc non datur, præcessit tamen species entis realis, ad cuius instar cognoscitur: sicut cōcipimus Angelos, quos sensus prius non percepit, quia percepit alia obiecta, per quorū species concipimus Angelos. *Ad 2. prob.* disting. mai. quod cum ente reali non habet similitudinem, vel *vniuocam, vel analogam* conced. mai. *vniuocam præcisè* neg. mai. Sicut Deum concipimus per speciem creaturarum, cum quibus analogicè tantum convenit, ità per speciem entis realis concipere possumus ens rationis, quod cum ipso habet similitudinē analogam, cum sit eius apparatus, seu vmbra entis. [illegible]

6 *Obijc. 2.* Omne ens præter Deum habet causam: sed ens rationis causam non habet: ergo non datur. Prob. min. Si aliquam causam haberet, maximè intellectum: sed intellectus nequit esse causa illius: ergo non habet causam. Prob. min. Intellectus est causa realis, ac proinde causans media causalitate reali: sed causalitas realis nequit terminari ad ens rationis, cum solum quid reale possit esse terminus causalitatis realis: ergo intellectus nequit esse causa entis rationis.

7 *Resp.* neg. min. Ad prob. disting. mai. Intellectus causat media causalitate reali, *quæ sit realis entitativè* conced. mai. *quæ sit realis influxivè* neg. mai. & applicata distinctione mi, vel neg. absolutè cōseq. vel dist. cōseq. Intellectus nequit esse causa entis rationis *realiter influēs in illud* cōc. coseq, *influēs metaphoricè & intentionaliter* neg. conseq. Non habet ens rationis causam, quæ realiter communicet illi esse; habet tamen causam, quæ cognoscendo id, quod non est, ac si esset, dat illi esse obiectivum, quod antea non habebat: vndè causalitas illius non est realis realitate influxus, sed realitate entitatis; quod est, eam esse realem cognitionem, sed intentionalem tantùm, & metaphoricam causalitatem.

8 *Si dicas:* ergo intellectus non verè, & realiter fingit ens rationis, sed tantū metaphoricè. *Neg. conseq.* quia ipsum metaphoricè causare est verè fingere, imò quia verè est fictio nō est realis sed metaphorica causalitas; & ens rationis est verè quid fictū, imò ideò ens rationis est & non reale, quia verè quid fictū est: sicut Cæsar pictus non est verè, sed metaphoricè Cæsar, verè tamē est Cæsar pictus, & ideò non verè, sed metaphoricè Cæsar, quia verè est quid pictum. Sed de his, & alijs, quæ possunt opponi, commodiùs infra, cum statuamus, in quo consistat ens rationis.

9 *Denique* obijc. Ex possibilitate entis rationis sequntur hæ duæ contradictoriæ simul veræ: *Negatio entis rationis non est ens rationis, Negatio entis rationis est ens rationis:* ergo ens rationis non datur. Prob. antecedens. In primis negativa est vera, nam de

de negatione formæ verè negatur forma, quid enim magis verum, quam quod negatio formę non est forma? ergo negatio entis rationis non est ens rationis. Quo ad 2. verò prob. Omnis negatio est ens rationis, quia ens rationis dividitur in negationem, privationem, & relationem, vt suo loco constabit, ergo negatio entis rationis est ens rationis.

10. *Resp.* neg. antec. Ad prob. resp. quod negatio potest sumi remotivè, & positivè: sumitur remotivè, cum sumitur vt removens ab existẽdo formam, quam negat; sumitur positivè, cum ipsum removere concipitur, admodum formæ, vel ac si esset aliquid; sicut si cęcitas sumatur remotivè nil aliud est quam non videre, sumpta verò positivè concipitur ac si esset aliquid adiacens visui, qua ratione significatur per hoc nomen positivum *cæcitas*. Negatio igitur entis sumpta remotivè non est ens rationis, quia ipsum negat, & removet; vt tamen concepta admodum formæ positivè est ens rationis, quia ipsam sic concipiendo, ac si esset aliquid, fit ens rationis; vndè contradictoriæ illæ non sunt verę respectu eiusdem, cum propositio negativa sit vera de negatione entis rationis remotivè sũpta, non vt concepta per modum formæ positivæ; affirmativa autem è converso est vera de negatione entis rationis concepta admodum formæ positivę, & non remotivè sumpta.

11 *Si dicas.* Negatio visus etiã concepta admodum formæ positivę non est visus, cæcitas enim non est visus: ergo negatio entis rationis adhuc concepta per modum formæ positivę non est ens rationis. *Disting.* conseq. non est ens rationis, *illud scilicet, quod signatè negat* conced conseq. *aliud, quod exercitè ibi fit, ipsam concipiendo* neg. conseq. Sicut inintelligibile signate est intelligibile exercite, quia dum affirmo signate aliquid esse inintelligibile, ipsum exercitè intelligo, aliàs non conciperem idipsum, quod affirmo; ita negatio entis rationis, quæ signate non est ens rationis, est exercitè ens rationis; quia dum concipio illam negationem signatam, ac si esset aliquid, formo exercite ens rationis: vnde etiam si negatio negaret signate omnem entitatem rationis hac expressione *negatio omnis entis rationis*, adhuc esset exercitè ens rationis propter infinitam, sincathegorematicè vim reflexivam intellectus, sicut propter ipsam negatio signate omnis intelligibilitatis est intelligibilis exercitè; Sed de his plura diximus in disput. Dialecticis propugnantes nomina transcendentia in tota etiam latitudine sumpta posse infinitari.

******

ART.

ART. II.

Quid sit, seu in quo consistat ens rationis?

§. I.

Statuitur prima conclusio.

12 ENs rationis non consistit in denominatione extrinseca. Denominatio extrinseca dicitur illa, quæ prouenit à forma extrinseca, vt denominationes visi, cogniti, dilecti, & aliæ huiusmodi, quæ proueniunt à visione, cognitione, & dilectione omnino extrinsecis obiectis, quæ ab ipsis denominantur. Asserimus huiusmodi denominationes non esse entia rationis, ac proinde in ipsis non consistere ens rationis, quæ sententia communis est apud Logicos, & Metaphisicos, si paucos excipias.

13 *Prob.* Ens rationis nequit consistere in aliquo reali: sed denominatio extrinseca est realis: ergo nequit consistere in denominatione extrinseca. Probo min. Petrum esse visum, vel cognitum, quæ sunt denominationes extrinsecæ, nihil aliud est, quam videre, vel cognoscere Petrum: sed videre, vel cognoscere Petrum est aliquid reale: ergo denominatio extrinseca est realis. *Confirm.* Effectus formalis formæ realis est realis: sed esse visum, vel cognitum est effectus formalis formæ realis: ergo est realis.

14 *Si dicas*: Effectus formalis formæ realis ponentis aliquid reale in subiecto est realis; at visus nihil reale ponit in re visa.

15 *Contra est.* Effectus formalis formæ ponentis aliquid reale in subiecto est realis, quia forma est realis, & realiter ponitur in subiecto: sed forma, quæ nihil ponit, est realis, & realiter terminatur ad subiectum: ergo etiam effectus formalis formæ nil ponentis in subiecto est realis. Prob. conseq. nam sicut effectus formalis prioris formæ est ipsamet forma communicata subiecto, ità effectus formalis posterioris formæ est ipsamet terminata ad subiectum: ergo si effectus prioris formæ est realis, quia forma est realis, & realiter communicatur subiecto, effectus posterioris formæ erit realis, quia forma est realis, & realiter terminatur ad subiectum.

16 *Confirm.* Sicut visio denominat videntem eum, à quo egreditur, ita denominat visum id, ad quod terminatur: sed quia realiter egreditur, denominat realiter videntem: ergo quia realiter terminatur, denominabit realiter visum. *Denique.* Ens rationis non datur independenter ab aliqua fictione: sed obiectum esse visum, vel cognitum datur independenter ab omni fictione: ergo obiectum esse visum vel cognitum non est ens rationis. Prob. min. Per hoc præcisè, quod videas, vel cognoscas obiectum, obiectum est visum, vel cognitũ: sed vt videas, vel cognoscas obiectum, nulla desideratur fictio: ergo nu-

nulla desideratur fictio: vt obiectum sit visum, vel cognitum.

17 *Obijc.* 1. Denominatio cogniti tantum existit obiectivè in intellectu: ergo est ens rationis. Prob. anteced. Denominatio cogniti non existit realiter in rebus: ergo existit tantum obiectivè in intellectu. *Confirm.* 1. Quod nequit existere, nisi dependenter ab operatione intellectus, est ens rationis: sed denominatio cogniti nequit existere independenter ab operatione intellectus, scilicèt cognitione, ergo est ens rationis. *Confirm.* 2. Omne ens reale vel est substantia, vel accidens: denominatio cogniti non est substantia, vel accidens: ergo non est aliquid reale, ac proindè est ens rationis.

18 *Resp.* neg. antec. Ad eius prob. neg. antec. quia denominatio cogniti de materiali importat rem cognitam, & de formali cognitionem ipsam; & licet cognitio non existat in rebus cognitis, existit tamen realiter in rebus, hoc est, in rerum natura, cum sit ens reale realiter subiectivè existens in intellectu. *Ad* 1. *confirm.* disting. mai. quod nequit existere nisi dependenter ab intellectus operatione *fingente* est ens rationis conced. mai. ab intellectus operatione *absolutè* neg. mai. verbum enim mentis nequit existere nisi dependenter ab operatione intellectus, & tamen est ens reale: dependet ergo denominatio cogniti à cognitione, imò est ipsa cognitio pro formali, non tamen pendet à cognitione, quæ sit fictio, quia vt obiectum denominetur cognitum, nulla fictio est necessaria. *Ad confirm.* neg. min. nam denominatio cogniti pro formali est accidens, scilicèt ipsa cognitio, pro materiali verò est substantia, si res cognita sit substantia; vel est accidens, si res cognita sit accidens.

19 *Obijc.* 2. Denominatio realis provenit à forma reali: sed denominatio cogniti non provenit à forma reali: ergo non est realis. Prob. min. Cognitio non est forma realis rei cognitæ: ergo denominatio cogniti non provenit à forma reali. Prob. antec. Res cognita non est subiectum reale cognitionis: ergo cognitio non est forma realis rei cognitæ.

20 *Neg. min.* Ad prob. disting. anteced. cognitio non est forma realis *realiter informans rem cognitam* conced. anteced. *realiter denominans* neg. anteced. ad denominationem purè extrinsecam sicut non requiritur forma intrinseca, ita nec forma, quæ informet rem denominatam, vndè hæc non debet esse subiectum inhæsionis, in quo scilicèt inhæreat forma, sed denominationis, quod scilicèt realiter denominet forma ad ipsum realiter terminata.

21 *Dices*: ergo si denominationem cogniti, aut visi concipiat intellectus, ac si esset aliquid inhærens obiecto, faceret ens rationis. *Conced.* conseq. sed tunc nō concipitur, vt denominatio extrinseca, sed vt quid intrinsecum; ac proindè vt de-

sa extrema realia, & cognitio, quæ etiã est quid reale: ergo tale aggregatum est potens realiter existere.

25 *Confirm.* & explicatur. Quoties partes alicuius totius possunt realiter existere, & etiam vnio illarum in ratione vnientis illas, totum potest realiter existere, cum totum nil aliud sit præter suas partes vnitas: sed partes huius aggregati v. g. *mons aureus*, mons scilicèt, & aurum, possunt realiter existere; aliàs etiam potest realiter existere vnio illarum in ratione vnientis illas: ergo aggregatum illud potest realiter existere. Prob. min. quoad 2. partem, quæ sola est difficilis. Vnio illarum partium in ratione vnientis ipsas est iuxta AA. contrarios cognitio falsa, vt falsò adunans illas: sed potest realiter existere, & defacto (cum fingitur mons aureus) existit realiter cognitio falsa, vt falsò adunans illas, existit quippè illa cognitio ideò falsa, quia falsò adunat tales partes: ergo potest realiter existere vnio earum partium in ratione vnientis illas.

26 *Vnde nulla* dignoscitur solutio, qua AA. solent occurrere asserentes, ideò aggregatum illud non posse realiter existere, quia vnio partium illius est falsa, cognitio scilicèt falsò adunans, & si partes singulæ posșint realiter existere, *Nulla est* (inquam) huiusmodi solutio: nam ex dictis supra quæst. 1. art. 2. §. 4. sententia contraria non concedit cognitioni fingenti, vel falsò adunanti correspondere ex parte obiecti vnionem fictam, qua obiectivè vniantur illa extrema: ergo vnio eorum extremorum est indistincta ab ipsa cognitione, imò est ipsa cognitio falsò adunans: sed hæc cognitio realiter existit: ergo aggregatum illud tale est, vt eius partes, & earum vnio realiter existant, ac proindè aggregatum illud realiter existet.

27 *Confirm.* ampliùs. Cognitionem illam falsò adunare talia extrema, vel est representare vnionẽ falsam, & fictam, vel est se ipsa esse vnionem extrinsecam talium extremorum, omni vnione obiectiva seclusa: Si hoc secundum; cognitio ipsa falsò adunans, & extrinsecè denominans falsò vnita talia extrema potest, & de facto existit sæpè realiter, seu in rerum natura: ergo si hæc est eorum vnio, vnio talium extremorum sæpe existit in rerum natura, ac proindè aggregatum existit sępè in rerum natura, quod potius est negare entia rationis, quàm eorum existentia admissa, quidditatem investigare.

Si dicatur primum: ergo ideò dicitur cognitionem illam falsò adunantem esse vnionem, quia repræsentat vnionem falsam, & fictam, qua ipsa extrema obiectivè falsò vniuntur: ergo aggregatum illud non consistit præcisè in ipsis extremis realibus, & cognitione reali falsò adunante. Probo hęc consequent. *Tùm* quia iam præ-

existit realiter, ac proinde non est vndè aggregatum sit impotens in re existere, seu sit formaliter impossibile.

31 *Ad confirmat.* neg. conseq. Quia denominatio compositi est propria denominatio totius in eo, in quo differt à partibus, vndè non mirum, quod toti, & non partibus competat, cum ex plurium simplicium compositione resultet totum; & est idem ac si argueres, *omnes partes totius sunt partes; ergo compositū ex eis non est totum, sed pars,* quæ consequentia ex ipsis terminis, ex quibus constat, apparet nulla: At denominatio potentis existere in re est denominatio competens indifferenter partibus, & toti, imò toti provenit talis denominatio à partibus vt vnitis, nàm ideò totum potest existere in re, quia partes vt vnitæ possunt, vel non, existere in re; vndè implicat totum esse impotens realiter existere, si posit realiter existere quæcumque involuit totum.

32 *Ad id,* quo argumentum vrgetur, disting. antec. Stat quod existant omnia, quæ involuit totū, *vt sub exercitio componendi totum,* & tamen totum non existat, neg. antec. stat, quod existant *aliter*, quin totùm existat, conc. antec. In ea sententia, & si realitas vnionis non differat ab entitatibus materię, & formæ, requiritur tamen de connotato, vt ratio vnionis exerceatur, quod detur actio vnitiva, desfectu cuius deficit exercitium vnionis, & si hæc quoad entitatem existat, de q 10 in lib. 1. Phisic. At in sententia, quam impugnamus, cum præter partes potentes realiter existere, existat vnio earum sub exercitio vniendi, cum hoc consistat in exercitio falso adunandi, quod exercitium sæpè existit, inde est, quod sint possibilia quæcumque involuit totum, vt exercitè componentia totum, ac proindè nequit totum esse impotens in re existere.

33 *Obijc.* 2. Si quia ens rationis est aliquid impotens in re existere, non posset adæquatè consistere in aliquo reali, cuius generis sunt extrema realia, & cognitio falsò adunans, nec inadequatè sumptum posset in re existere ens rationis: sed potest ens rationis consistere saltim in adæquatè in aliquo reali: ergo etiam adæquatè, vel ratio est nulla. Probo min. in ipsis aggregatis, de quibus est litigium, vt *hircocervus, mons aureus,* & alia huiusmodi; hoc quippè aggregatum *mons aureus,* quod supponitur esse ens rationis, consistit inadæquatè saltim in ipsis extremis, seu partibus, monte scilicèt, & auro, cum non sola vnio sit aggregatum: sed partes, ex quibus componitur, sunt verus, & realis mons, realeque, & verum aurum: ergo consistit in adæquatè saltim tale ens rationis in aliquo vero, & reali.

Prob. min. Tum quia illum montem concipit tale aggregatum apprehendens, quem falsò concipit vnitum, seu identificatum cum a-

auro: sed solum verum montem concipit falsò identificatum cum auro, mons quippè fictus potest esse identificatus cum auro, & solùm repugnat, quod verus mons identificetur cum auro: ergo cõcipit verum montem tale aggregatum formans, ac proinde mons, ex quo aggregatum formatum componitur, est verus mons, & idem de auro. *Tùm* quia idem mons concipitur per illam apprehensionem, ac per hoc iudicium, seu propositionem *mons est aureus*: sed qui format hoc iudicium concipit verum montem: ergo & qui format, seu apprehendit illud aggregatum. Prob. min. formans tale iudicium, propositionem format omnino impossibilem, quia scilicèt affirmat inter montem, & aurum dari idẽtitatem, quam dari est impossibile: sed sola identitas inter verum montem, & aurum est impossibilis: ergo affirmat identitatem inter verum montem, & aurum, ac proinde concipit verum montem, & aurum *Denique*, qui cõtradicit tali propositioni dicens *mons non est aureus* concipit verum montem, quia ideò talis propositio est vera, quia verus mons non est aureus: ergo & qui affirmat dicens *mons est aureus*, cum contradictoriæ sint eiusdem de eodem.

34 *Si dicas* ex his tantum conuinci, quod partes illius aggregati sint verus mons, & verũ aurum materialiter, & ex parte rationis *quæ*, secus verò formaliter, & vt componentes illud aggregatũ, quia mons componit illud, vt identificatus cum auro, & verus mons nequit esse identificatus cum auro.

35 *Rectè* quidem: sed ex quo habetur, quod iniunctæ probationes minoris intendunt, nisi de voce sit litigium: nam cum in solutione dicitur, quod extrema, quæ componunt, aggregatum, sunt verus mons, & verum aurum, licèt non *vt componunt*, hæc reduplicatio nil addit supra ipsa extrema, quæ componunt, nisi solam compositionem quam reduplicat: ergo si præcisè *vt componunt* (& non aliter) sunt aliquid fictum, compositio sola, seu vnio extremorum est ficta, extrema verò ipsa non sunt ficta: sed hoc idem intendunt expresè probationes minoris, scilicèt, quod cõpositio sola, seu vnio extremorum sit ficta, extrema verò ipsa non sint ficta: ergo per illam solutionis reduplicationem nil aliud habetur, nisi id ipsum, quod minoris probationis intendunt. *Explicatur*, quod misericordia Divina concipiatur vt distincta à iustitia, non est, quod misericordia ficta concipiatur, sed quod vera misericordia fictè concipiatur distincta, tota fictione cõsistẽte in distinctione sola rationis, quam inter illas perfectiones formamus: ergo quod mons concipiantur, vt identificatus cum auro non est, quod fictus mons concipiatur, sed quod verus mons fictè concipiatur identificatus cum auro, tota fictione consistente in sola identitate.

36 *Si dicas*: quod etiam dum per

per rationem distinguimus prædicata indentificata, prædicatum *pro vt sic distinctum* ab alio conceptum est quid fictum, & idem de quavis re, quam cum aliqua secunda intentione concipimus.

37 *In contra est*, nàm prædicatum reduplicativè *prout distinctum* esse aliquid fictum, non est prædicatum esse fictum, sed solam distinctionem; aliter cum perfectiones divinas inadæquatè concipimus, non solam fingeremus distinctionem, sed in aliquo verò sensu fictas perfectiones conciperemus, & veneraremur, quo nil absurdius. *Nam* si rursus dicas non esse fictas absolutè, & ex parte rationis *quæ*, benè verò vt distinctas reduplicativè. *Rursus* inquiritur, quid sub his reduplicationibus velit ex parte obiecti exprimere solutio, si solam distinctionem non asserit fictam, vt intendunt probationes factæ? Qui enim asserit, quod album vt album reduplicativè (& nō aliter) est accidens, nil aliud verè dicit, quā quod albedo est accidēs, subiectum autē illius non est accidens: ergo si misericordia Divina v.g. vt distincta reduplicativè (& non aliter) à iustitia est aliquid fictum, qui vt sic distinctam illam concipit, solam distinctionem fictam concipit, nullatenùs verò misericordiam fictam.

38 *Quare* ad argumentum concesso, quod verus mons, & verum aurum sint partes illius aggregati, neg. tamen, quod ens rationis consistat adhùc inadæquatè in aliquo reali; nam aggregatum illud præcisè pro formali est aliquid rationis, pro identitate scilicèt, sivè vnione extremorū, & cū hæc identitas, sivè vnio, nullo modo sit vera, & realis, indè fit, quod ens rationis in nullo reali consistat, & si pro substracto dicat aliquid reale: sicut album est concretum accidentale, quia forma est accidens, & si substractum sit substantia.

39 *Si instes*, Mons conceptus, vt identificatus cum auro, nequit esse verus mons, siquidem monti concepto vt identificato cum auro essentialiter repugnat existere, ac proinde nequit esse verus mons: sed qui format illud aggregatum, concipit mōtem vt identificatum cum auro: ergo non concipit verum montem, & consequenter licèt materialiter sit verus mons, vt componens tamen illud aggregatum, & vt sic conceptus, non est verus mons. *Confirm.* Gratia concepta, vt existens in eodem subiecto cum peccato, est gratia ficta, nā est gratia concepta, sine prædicato sibi essentiali expellendi peccatum, & consequenter est gratia repugnans: ergo mons conceptus, vt identificatus cum auro, est mons fictus, & repugnans, cum sit prædicatum essentiale veri montis exclusio identitatis cum auro. *Vrgetur* ex D. Augustino tract. 26. in Ioann. vbi contra Arrium hæreticè asserentem filium esse in inæqualem Patri, sic ait: *Alium cogitas, non est ipse filius*: Et post pauca: *Aliud est eius filius, aliud, quod tu dicis*: ergo concipiens filium cum inæqualitate ipsi repugnante,

non concipit verum filium :- ergo concipiens montem cum identitate ipsi repugnante verum montem non concipit.

40 *Resp.* disting. mai. mons conceptus vt identificatus cum auro *identitate verè subiectivè, & in re tali* nequit esse verus mons conc. mai. *identitatè solùm obiectivè, & apparenter tali* neg. mai. Imò illa identitas ideo solùm fictè, & apparenter est identitas, quia inter verum montem, & verum aurum apprehenditur ; sicut è converso ideò distinctio inter animal, & rationale est distinctio ficta, & rationis, quia vera animalitas, & vera rationalitas solum per rationem possunt distingui. *Ex quo* constat ad insertam probationem ; nam illam disting. monti concepto vt identificato cum auro repugnat existere, *existentia qua reddatur existens identitas, cum qua fictè concipitur*, conced. *existentia, qua reddatur existens mons, qui cum identitate ficta concipitur* neg: ex quo solum sequitur, quod identitas sit ficta, non verò mons, qui cum illa concipitur : sicut misericordiæ Divinæ conceptæ vt distinctæ à iustitia repugnat existere existentia, qua reddatur existens distinctio illa rationis, cum qua concipitur, non tamen qua reddatur existens misericordia, quę cum illa distinctione concipitur; ex quo solùm sequitur, quod distinctio sit ficta, non tamen, quod concipiatur misericordia ficta. *Quod si dicas*: ergo mons reduplicativè vt identificatus cum auro, est quid fictum, siquidem prout sic identificato repugnat existere. *Conced.* conseq. nam hoc solum est identitatem esse fictam, de cuius fictione non est litigium ; sicut misericordiam Divinam reduplicatiuè vt distinctam à iustitia esse aliquid fictum, est solam distinctionē esse fictam; de quo non est dubium.

41 *Ad confirm.* eodem modo *resp.* quod Gratia cōcepta coexistēs cū peccato est gratia fictè concepta coexistens, non tamen est gratia ficta, nam gratiæ fictæ non repugnat coexistere cum peccato. *Nec* repugnantia talis cōplexi consistit in eo, quod gratia cōcipiatur sine aliquo prædicato sibi esser tiali, cum possit res inadæquatè concipi sub vno prædicato, & non sub alio, quin per hoc repugnanter, sed præcisivè cōcipiatur: repugnātia ergo stat in prædicato illo superaddito coexistentiæ cū peccato ; quæ coexistentia repugnat gratiæ, quam concipio vere talem; nam sola coexistentia seu compositio peccati, & gratiæ verè taliū est repugnans.

42 *Hinc constat* ad testimonium D. August. Arrius enim aliquid cogitabat, quod non erat filius, & si filium cogitaret; nam cogitabat filium inæqualem, & filius non est in re inæqualis, quod est inæqualitatem esse fictam, non tamen filium nisi reduplicativè vt inæqualem iuxta iam dicta; soli enim verò filio attribuitur falsò inæqualitas, & contra fidem, quæ æqualitatem de verò filio prædicat.

§. III.

§. III.

Vltima conclusio.

43 **E**Ns rationis consistit in esse purè ficto, adæquatè distincto ab omni reali, & verè possibili. Prob. 1. & à priori ex dictis cõclusio. Ens rationis est quod tantùm habet esse obiectivè in intellectu, idest, nullum aliud potest habere esse, præter illud esse obiectivum in intellectu, vt ex eius diffinitione constat: sed omne ens reale, vereque possibile aliud potest habere esse, præter esse obiectivum in intellectu: ergo vel entia rationis negantur, vel illa consistunt in esse purè ficto, ac proindè adæquatè distincto ab omni ente reali, & verè possibili.

44 *Prob.* insuper conclusio. Ens rationis consistit in aliquo esse ficto, impossibili, & adæquatè distincto ab omni possibili, si tale esse fictum posit ab intellectu cognosci: cum ideò negetur à contrarijs in illo esse purè ficto consistere, quia non posset ab intellectu cognosci: sed potest ab intellectu cognosci: ergo in illo consistit ens rationis. Prob. min. in quavis propositione essentialiter falsa, in hac v. g. *Homo est Equus*, seu *Homo est, idem cum Equo*: per hanc enim propositionem repræsentatur intellectui identitas inter hominem, & Equum: ergo cognoscit intellectus talem identitatem, cum intellectus cognoscat quidquid ipsi per propositionem, seu cognitionem repræsentatur: sed talis identitas est purè ficta, impossibilis, distincta adæquatè ab omni verè, & realiter possibili: ergo cognoscitur ab intellectu esse purè fictum, impossibile, distinctum adæquatè ab omni verè, & realiter possibili.

45 *Dices* quod prædicta propositio, seu cognitio repræsentat ex parte obiecti subiectum, de quo prædicatum affirmat, & ipsum prędicatum, quod de illo affirmat, identitatem verò non repræsentat ex parte obiecti, quia ipsa cognitio est se ipsa identitas intẽtionalis eorum extremorum, ex quo tendit modo vnitivo in illa extrema.

46 *Sed contra est* 1. illa propositio, seu cognitio est essentialiter falsa: ergo repræsentat aliquid ex parte obiecti, quod revera nequit ita esse in re. Patet cõseq. nàm propositio est vera, vel falsa, à conformitate, vel dissonantia, repræsentationis ipsius cum re, ac proindè si est essentialiter falsa, aliquid repræsentat, quod nequit ita esse in re: sed sola identitas inter hominem, & Equum nequit esse in re; homo quippè, & Equus à parte rei sunt: ergo illa cognitio præter hominẽ, & Equum repræsentat ex parte obiecti eorum identitatem. *Explicatur.* Per illam cognitionem, seu propositionem aliquid affirmatur revera impossibile, cum talis propositio sit revera impossibilis: sed sola identitas inter illa extrema est revera impossibilis: ergo affirmat, ac proindè repræsentat ex parte obiecti

iecti illorum extremorum identitatem.

47 *Contra* 2. Cognitio illa entitativè sumpta non est identitas extremorum: ergo solum potest esse eorum identitas cognitio illa repræsentativè sumpta: sed cognitionem repræsentativè sumptam esse Identitatem est identitatem repræsentare ex parte obiecti, sicut imaginem Cæsaris esse Cæsarem repræsentativè est ræpresentare Cæsarem: ergo illa cognitio repræsentat ex parte obiecti identitatem illorum extremorum, ac proindè cum talis identitas sit revera impoßibilis; repræsentatur, & cognoscitur aliquid revera impoßibile. Omnia constant, & primum anteced. prob. *Tùm* quia cognitio entitative sumpta est vera, & realis entitas, quæ prout sic in nullo vero sensu potest dici impoßibilis: at illa cognitio, seu propositio, qua ratione est identitas extremorum, dicitur vere, & absolute impoßibilis: ergo vel se ipsa non est identitas illorum extremorum, vel non est idẽtitas cognitio entitativè sumpta. *Tùm* quia formans illam propositionem affirmat hominem esse idem cum Equo: sed non affirmat suam cognitionẽ entitativè sumptam, alias cognitio illa esset reflexa, cognitio scilicèt cognitionis, & vlterius esset cognitio vera, nam cognitio affirmans dari cognitionem (dum datur) identificantem intentionaliter illa extrema, est cognitio omninò vera: ergo cognitio entitativè sumpta non est se ipsa extremorum identitas.

48 *Ex his dignoscitur*, quod dum solutio asserit cognitionem esse se ipsa intentionalẽ identitate n extremorum, quia modo vnitivo tendit in extrema, si per ly *modo vnitiuo* intelligit modum, qui se teneat entitativè ex parte cognitionis, falsum asserit; nam quidquid est in cognitione, entitative consideratum, est ens verum, & reale, à quo in nullo vero sensu potest denominari (vt revera denominatur) propositio illa, seu cognitio impoßibilis; nec ab obiecto accipit vllam denominationẽ cognitio pure entitativè sumpta. Si autem talis modus vnitivus se teneat repræsentativè ex parte cognitionis: ergo cognitio repræsentat ex parte obiecti vnionem extremorũ, nam cognitionem repræsentatiue esse vnionem, nil aliud est, quam repræsentare ex parte obiecti vnionem; sed vnio inter illa extrema est revera impoßibilis: ergo per cognitionem illam repræsentatur ex parte obiecti aliquid revera impoßibile.

49 *Quod si dicas* repræsentari quidem per illam cognitionem identitatem veram aliorum extremorum falsò tamen applicatam extremis illius propositionis, homini scilicèt, & Equo, in quo nil involuitur impoßibile. *In contra est* ex dictis, quia falsò applicari identitatem per illam cognitionẽ est talem cognitionem esse falsam in illa applicatione: ergo cognitio entitativè sumpta non est applicatio, sed repræsentativè sumpta, cùm cog-

cognitio non dicatur vera, vel falsa nisi per conformitatem, vel dissonantiã suæ repræsentationis, cum re, quàm repræsentat: ergo repræsentat vnionẽ ex parte obiecti falsò, & chimericè applicatam illis extremis: sed prout sic illa vnio est revera impossibilis: ergo ex parte obiecti repræsentat aliquid revera impossibile. *Alia* plura possent pro roboranda conclusione subijci, sed quia ex dictis possunt facilè deduci, à prolixiore rationum extensione supersedemus.

50. *Obijc.* 1. Ens purè fictum, & adæquatè distinctum ab omni realiter possibili non est verè cognoscibile: sed ens rationis est verè cognoscibile: ergo ens rationis non est ens purè fictum, & adæquatè distinctum ab omni realiter possibili. Prob. mai. 1. Quod est purè fictum nõ est nisi fictè cognoscibile, cum vnumquodque eo modo sit cognoscibile, quo est ens: sed quod non est nisi fictè cognoscibile, non est verè cognoscibile: ergo quod est purè fictum, non est verè cognoscibile. *Prob.* 2. eadem mai. Ens purè fictum non est realiter cognoscibile, vt ex se patet: ergo nõ est absolutè cognoscibile. Prob. conseq. Non est absolutè cognoscibile, quod intellectus nequit cognoscere: sed intellectus nequit cognoscere, quod non est realiter cognoscibile: ergo si ens purè fictum non est realiter cognoscibile, nec est absolutè cognoscibile. Prob. min. Intellectus nequit cognoscere nisi realiter: sed quod non est realiter cognoscibile nequit intellectus cognoscere realiter: ergo nequit intellectus cognoscere quod non est realiter cognoscibile.

51 *Confirm.* Quidquid est verè cognoscibile præcedit cognitionem sui, cum sit illius obiectũ, & omne obiectũ cognitionis cognitionem præcedat: sed ens purè fictum nequit sui cognitionem præcedere: ergo non est verè cognoscibile. Prob. min. Effectus nequit præcedere suam causam: sed cognitio entis purè ficti est causa illius, cum cognitio ipsum attingens sit quæ ipsum fingit, & dat ei illud esse fictum: ergo nequit sui cognitionẽ præcedere.

52. *Vrgetur.* Quidquid est verè cognoscibile non ideò est cognoscibile, quia cognoscitur, sed ideò cognoscitur, quia est cognoscibile: sed ens purè fictum nõ cognoscitur, quia est cognoscibile, sed potius est cognoscibile, quia cognoscitur: ergo non est verè cognoscibile. Cætera patent; & min. prob. Vnumquodque in tantum est cognoscibile in quãtum est ens, cum cognoscibilitas sequatur ad entitatem: sed ens purè fictum ideò est ens, quia cognoscitur, cum per cognitionem ipsam, qua cognoscitur, fingatur; & habeat esse: ergo ideò est cognoscibile, quia cognoscitur.

53. *Sed dùm* hæc, & alia similia vrgent Adversarij, ipsis argumentis, quibus signatè intendunt suadere suam sententiam, illam exercitè cõvincunt falsam: si enim

ens purè fictum non est cognoscibile, quomodo ipsi illud cognoscunt, dum de illo disputant? nec enim concedent, quod non cognoscunt id, de quo disputant; & pariter nequeunt rationabiliter negare ens purè fictum esse intelligibile, si illud non intelligant; de eo enim, quod nullo modo apprehendimus, vel intelligimus, non possumus rationabiliter aliquid affirmare, vel negare: ipsi ergo videntur teneri sua argumenta solvere. *Quare* ad argumentũ *resp.* disting. mai. Ens purè fictum non est verè cognoscibile, *cognoscibilitate, quæ subiectiuè sit verè talis*, conced. mai. *quæ obiectiuè sit verè talis*, neg. mai. & dist. min. *Ens rationis* est verè cognoscibile, *cognoscibilitate, quæ obiectiuè sit verè talis*, conc. min. *quæ subiectiuè sit verè talis*, neg. min. & conseq.

Constat traditæ distinctionis ratio ex dictis supra quæst. 1. procem. art. 4. in quo nos docuit D. Thomas, quod sicut ens dupliciter vsurpatur, & provt dicit ordinem ad esse, qua ratione ens rationis, seu ens fictum, non est verè ens, & provt verificat propositionem, in quo sensu etiam entia ficta possunt dici verè entia, cum non minus, quam entia realia, verificent propositionem affirmantem de ipsis esse quid fictum, seu de ipsis negantem esse vera entia; ita intelligibilitas potest sumi dupliciter, subiectivè, seu transcendaliter, qua ratione est passio entis prædicamentaliter sumpti, siue vt dicit ordinem ad esse, in quo sensu intelligibilitas entis ficti non est verè intelligibilitas, sed fictè, sicut entitas, ad quam sequitur; & potest sumi obiectiuè, seu enuntiabiliter, in quo sensu est passio entis provt verificat propositionẽ, ac proinde est verè talis in hac acceptione, sicut in hac acceptione, verè dicitur ens id, ad quod sequitur. Nec mirum, quod ens subiectiuè fictum, & intelligibilitas, quæ subiectiuè sumpta est ficte talis, sit obiectiuè vera intelligibilitas; nam sicut imago Cæsaris apparenter tantùm est Cæsar, verè tamen est apparentia Cæsaris, seu verè est Cæsar apparens, ita entitas ficta est tantum apparenter, & fictè entitas, verè tamen est apparentia entis, seu verè est ens apparens, & fictum, veritate (inquam) non subiectiva, & transcendentali, sed obiectiva, & enuntiabili.

54 *Hinc constat* ad 1. prob. mai. *Ad* 2. illius prob. disting. anteced. Ens purè fictum non est realiter *intrinsecè* cognoscibile conc. anteced. realiter *extrinsecè*, neg. anteced. & conseq. capacitas intrinseca entis ficti vt cognoscatur, non est realis, sicut realis entitas non est entitas ficta, cum qua identificatur, & sic ens fictum non est intrinsecè realiter cognoscibile; at cognoscibilitas extrinseca illius est realis, quia hæc non identificatur cum ipso ente ficto, sed cum ipso intellectu potente realiter cognoscere ens fictum.

55 *Instabis* 1. nequit intellectus realiter cognoscere quod est intrinsecè incapax vt realiter cognos-

noscatur: sed ens purè fictum est intrinsecè incapax, vt realiter cognoscatur: ergo ipsum nequit intellectus realiter cognoscere. *Instabis 2.* Quidquid intellectus realiter cognoscit, ipsi realiter obijcitur: ergo quod nequit realiter obijci intellectui, nequit ab ipso cognosci realiter; sed quod realiter intrinsece non est cognoscibile, nequit realiter obijci intellectui: ergo nequit ab ipso cognosci realiter. *Vrgetur.* Iuxta solutionem nequit ab intellectu cognosci quod est realiter incognoscibile tàm intrinsecè, quàm extrinsecè: sed potest ab intellectu fingi incognoscibile tàm intrinsecè, quàm extrinsecè, cum nulla sit chimera, quā intellectus non possit apprehendere, & fingere: ergo potest ab intellectu apprehendi, ac proindè cognosci, quod; quia incognoscibile etiam extrinsecè, non potest ab ipso cognosci; quo quid implicantius, & absurdius?

59 *Resp.* ad 1. instantiam concessa mai. neg. min. nam aliud est, quod capacitas intrinseca entis ficti non sit realis, aliud; quod non sit capacitas, vt cognoscatur realiter: Primum est verum, & à nobis concessum, secundum autem est falsum: nec mirum, quod capacitas intrinseca non sit realis, & sit capacitas, vt cognoscatur realiter, cum realis cognitio sit ipsi extrinseca in nullo præiudicans eius entitati fictæ. *Ad 2. instantiam* disting. antec. ipsi realiter obijcitur, *vel in se, vel in alio* conced. anteced. *in se præcisè* neg. anteced. & conseq. Nequit ens fictum realiter intrinsecè in se obijci, bene tamen realiter extrinsecè, & in alio, in specie scilicet, quæ formaliter primariò repræsentans ens reale repræsentat virtualiter secundariò ens rationis. *Ad vltimam* resp. quod si daretur aliquid reverà incognoscibile tàm intrinsecè, quàm extrinsecè, illud nullatenus posset cognosci: at fictè solùm, potest aliquid apprehendi vtroque modo incognoscibile, & sic in ipso exercitio cognoscitur; nàm propter vim reflexivam syncathegorematicè infinitam intellectus, nihil est ita incognoscibile signatè, quod non sit cognoscibile exercitè. Et quidem si tale incognoscibile nullo modo potest cognosci, quomodo de illo disputatur, an sit, vel non cognoscibile? Et quomodo obijciens negat posse cognosci, si vt hoc rationabiliter neget, debet ipsum saltim in exercitio cognoscere?

57 *Hinc ad confirm.* principalis argumenti, resp. disting. mai. quod est verè cognoscibile præcedit sui cognitionem *speculativam* conced. mai. *practicam* neg. mai. & disting. min. Ens rationis nequit præcedere sui cognitionem *practicam* conced. min. *speculativam* neg min. & conseq. Cognoscitur speculatiuè ens rationis, cum ipsius, vel vt iam facti, vel vt factibilis, essentiam speculantes cognoscimus esse quid fictum; in quo nil fingimus, sed fictionē vt est in se cognoscimus, cuius generis cognitionem præcedit omnino ens rationis illam speci-

ci ficans. Cognoscitur practicè, cū in ipso exercitio fingitur per cognitionem attingentem res aliter, ac sunt in se: vt cum intellectus intendens attingere distinctè prædicata diffinitiva hominis, attingit animal, vt prædicatum commune, & distinctum à rationali, fingens in ipso exercitio cognitionis distinctionem, quæ in re non est, cuius cognitionis obiectum primarium, & signatum non est illa distinctio ficta, sed obiectum tantùm secundarium, & exercitum, quod non petit cognitionem præcedere. Licet posset dici, quod tale ens rationis subsequitur cognitionem practicam in genere causæ efficienris, & illam præcedit in genere causæ formalis extrinsecæ, sicut eodem modo est prior, & posterior calor respectu actionis calefactivæ ipsum causantis iuxta dicta supra quæst. 1. art. 1.

58 *Ad id*, quo confirmatio vrgebatur, concessa mai. neg. min. Ad eius prob. disting. mai. Vnumquodque in tantum est cognoscibile, in quantum est ens, ly *in quantum dicente rationem, vel motivam, vel terminativam*, conced. mai. *motivam præcisè*, neg. mai. Ens reale, quod movet intellectum media sua specie, cognoscitur *quia est* antecedenter ad ipsam cognitionem; at ens rationis, quod non movet, sed terminat, cognoscitur, *vt sit*: sicut quidquid subijcitur causalitati Divinæ subijcitur *quia ens*, non quia creaturæ sint prius entia, quam subijciantur, sed potius, quia subijciuntur, vt sint entia.

59 *Si dicas*: Iuxta concessa, omne verè cognoscibile non est tale, quia cognoscitur, sed cognoscitur, quia est cognoscibile: sed si ens fictum cognoscitur, quia ens solum terminatiuè, prius cognoscitur, quam sit cognoscibile, cum prius cognoscatur, quàm sit ens: ergo non est vere cognoscibile. *Resp.* maiorem esse veram de cognoscibilitate speculativa, quæ sequitur ad ens, non precisè vt in actu, siue vt existens, sed ad ens, vel in actu, vel in potentia, qua ratione purè possibilia sunt cognoscibilia, & si non sint entia in actu; & hoc etiam modo ens rationis est cognoscibile, antequam perfictionem sit ens in actu; siue enim exercite fingatur, siue non, verum est esse quid fictum, impotens in re existere, & quod si existit, purè obiectiuè existit.

60 *Obijc.* 2. Ens purè apparens nequit cognosci: sed ens purè fictum est ens purè apparens: ergo ens purè fictum nequit cognosci. Prob. mai. nequit cognosci quod cum vero ente non habet aliquam similitudinem, deficiet enim species, per quam aliquomodo repræsentetur, sed ens purè apparens nullam habet cum vero ente similitudinem. ergo. *Explicatur.* Vt imago Cæsaris sit veri Cæsaris similitudo, requiritur, quod licèt non sit verè Cæsar, sit tamen verè similis ipsi Cæsari: sed ens purè apparens, cum revera non sit ens, nequit esse vera similitudo veri entis, non ens enim nullius est similitudo: ergo ne-

nequit per similitudinem veri entis cognosci, & sic nequit vllo modo cognosci.

61 *Resp.* neg. mai. Ad eius prob. disting. mai. Quod cum verò ente non habet aliquam similitudinem, *vel vniuocam, vel analogam* conced. mai. *vniuocam præcisè*, neg. mai. & applicata distinctione min. neg. conseq. Nec obstat maior probationis explicatio, licèt enim ens purè apparens non sit sicut imago Cæsaris, verè veritate subiectiva, & transcendentali similitudo veri entis, quia subiectiuè, & in se est non ens, benè tamen veritate obiectiva, & enunciabili iuxta dicta num. 53. verè namque concipitur ab intellectu, ac si esset ens, vereque de illo, vel afirmatur esse quid fictum, vel negatur posse realiter existere: vndè D. Thom. 1. part. quæst. 16. art. 3. ad 2. ait: *Non ens non habet in se vndè cognoscatur, sed cognoscitur in quantùm intellectus facit illud cognoscibile; vndè verum fundatur in ente, in quantum non ens est quoddam ens rationis, apprehensum scilicèt à ratione*, ipsum ergo non ens apprehenditur, ac si esset aliquid, ac proindè vt induens aliquam similitudinem cum verò ente.

62 *Obijc.* 3. Intellectus affirmans hominem esse Equum facit ens rationis consistens per nos in identitate, quam affirmat: sed hæc identitas non est ficta: ergo non cōsistit ens rationis in aliquo esse ficto. Prob. min. intellectus affirmat eam identitatem, in cuius affirmatione falsum asserit: ergo non affirmat identitatem fictam. Patet conseq. Nam hominem, & Equum identificari ficta identitate non est falsum, sed verum. *Explicatur.* Eam identitatem affirmat intellectus, quam dari est impossibile, cum propositio illa sit omnino impossibilis: sed solam veram, & realem identitatem dari inter illa extrema est impossibile, ficta enim identitas de facto datur inter illa: ergo intellectus affirmat identitatem veram, & realem inter illa extrema.

63 *Confirm.* Si talis identitas esset ficta, & impossibilis, verificarentur de ea duæ contradictoriæ, scilicèt, *si poneretur in re, existeret talis identitas; si poneretur in re, non existeret talis identitas*, nam cum talis identitas sit impossibilis, ex eius positione vtrumque sequitur: sed implicat aliquid, ex cuius positione sequantur duæ contradictoriæ: ergo implicat, quod talis identitas sit purè ficta.

64 *Resp.* concessa mai. neg. min. Ad eius prob. concesso anteced. disting. conseq. non affirmat identitatem fictam *vt fictam* conced. conseq. vt *veram* neg. conseq. Nam vt falsum asserat intellectus, non requiritur, quod identitas, quam affirmat, sit vera, sic enim propositio non esset falsa; sed, quod identitas, quam affirmat, vt veram, sit ficta; ideò enim propositio illa falsa est, quia per illam afirmatur vt vera identitas, quæ nequit esse nisi ficta. *Hinc* ad explicationem concessis præmissis disting. conseq. affirmat identitatem veram, & rea-

realem, Ideſt, *quæ appareat vera, & realis*, conced. conſeq. *quæ ſit vera, & realis*, neg. conſeq. intellectus enim affirmat dari in re eam identitatem, quæ ſibi realis apparet, quod quidem eſt omnino impoſſibile, cum identitas, quæ vera eſt tantum apparenter, nequeat in re exiſtere.

65 *Ad confirm.* reſp. quod ſi talis identitas poneretur in re, exiſteret, & non exiſteret, hæc enim eſt natura impoſsibilis, vt ſi exiſtit, cum contradictione exiſtat, ac proinde, quod ſi ponatur in re, exiſtat, & non exiſtat. Cæterum non ideò dicendæ ſunt veræ contradictoriæ conditionales, quæ circa illud formantur, nec quæ adducuntur in argumento, ſunt contradictoriæ, cum particula *ſi* in vtraque propoſitione affirmetur; debebant enim ſic formari iuxta Dialecticæ regulas: *Si poneretur in re, exiſteret talis identitas. Non ſi poneretur in re, exiſteret talis identitas*, ex quibus negativa eſt falſa, cùm neget ſequi ex hoc, quod poneretur in re, quod exiſteret, quod eſt falſum; nam ſi ex eo, quod impoſsibile ponatur in re, ſequitur vtrumque, ergo falſum eſt, non ſequi, quod exiſtat, & ſi verum ſit etiam ſequi, quod non exiſtat.

ART. III.

Quotuplex ſit ens rationis?

66 TRiplici diviſione ſolet cõmuniter dividi ens rationis. Primò dividitur in ens rationis ratiocinatę, ſeu cum fundamento in re, & in ens rationis ratiocinantis, ſeu ſine fundamento in re. Secundò dividitur in privationem, negationem, & relationem. Tertiò, & vltimò dividitur in primam, & ſecundam intentionem. De ſufficientia harum diviſionum eſt nobis ſigillatim agendum.

§. I.

Probatur ſufficientia primæ diviſionis.

67 PRimam diviſionem rectam non eſſe ſuſtinent aliqui, quibus viſũ eſt omnia entia rationis eſſe chymerica, ac proindè nullum dari ens rationis ratiocinatæ: Hi ſunt Herice, Serna, Arriaga, Oviedo, P. Lince, aliqui autem, quos ſuppreſſo nomine refert P. Franciſcus Alphonſus, idem ſuſtinent ex oppoſito motivo exiſtimantes omnia entia rationis fingi cum fundamento in re, & ideò nullum eſſe chymericum, ſeu rationis ratiocinantis. Communis tamen ſententia, celebriſque diviſio deſumpta ex D. Thoma 1. 2. q. 1. art. 3. & alibi ſæpe deſerenda non eſt.

68 Sit concluſio: *Aliqua fiunt entia rationis cum fundamento in re, & aliqua ſine fundamento in re, ac proindè rectè eſt prælacta entis rationis diviſio.* Prob. quoad 1. part. Sæpè res invitant intellectum, vt eas cognoſcat cognitione, per quam formatur ens rationis: ergo ſępè fit ens ratio-

tionis cum fundamento in re. Patet conseq. Nam fundamentum in re, vt fiat ens rationis, nil aliud est, quã occasio invitans intellectũ ad cognoscendam rem cognitione fingẽte ens rationis. Antec. verò prob. ea, quæ cum in re sint idem, habeat tamẽ operationes diversas, invitant intellectum, vt ab ipso cognoscantur vt distincta, cum ex operationibus, quas experitur, sumat congruenter occasionem intellectus ad sic, vel aliter cognoscendas res, quarum sunt illæ operationes: sed sæpè fit ens rationis cognitione attingente vt distincta ea, quæ & si in re sint idem, habent tamen operationes diuersas: ergo sæpè invitant res, vt cognoscantur cognitione, per quam formatur ens rationis. Min. prob. ex eo, quod regulariter accidit incognitione attingẽte prædicata diffinitiua alicuius, v.g. hominis, vt distincta, eo quod animalis operationes aliæ sunt ab operationibus rationalis, qua cognitione formatur inter animalitatem, & rationalitatem, quæ in re sunt idem, distinctio rationis.

Si dicas. Nulla res præbet fundamentum, vt cõcipiatur aliter, ac est in se ergo nullum fit ens rationis cum fundamento. *Resp.* disting. antec. vt concipiatur aliter ac est in se, *ab intellectu attingente res intuitiuè, & per adæquatas species*, conc. antec. *ab intellectu inadæquatè concipiente res*, neg. antec. ex quo solum sequitur, quod intellectus Divinus, vel Angelicus, non concipiat res aliter, ac sunt in se, secus humanus, qui sæpè nequit plura clarè, & distinctè cognoscere, nisi plura entia rationis formando.

69 *Hinc* prob. secunda pars conclusionis. Intellectus nulla à rebus data occasione fingit sæpè entia rationis: ergo fiunt sæpè entia rationis sine fundamento in re. Prob. anteced. nullam dant res occasionem, vt intellectus concipiat hircocervum, identitatem hominis cum Equo, & alia huiusmodi figmenta, quorum formationi ipsa pugnantium naturarum experientia opponitur: ergo talia figmenta fiunt, nulla data occasione a rebus. *Confirm.* Intellectus potest clarè, & distinctè concipere hominem, quin concipiat illũ, vt idem cum Equo, sicut & hircum sine identitate cum cervo, quin potius, nec hominem, nec hircum, provt sic identificata, verè concipit: ergo purè pro libito format intellectus similia figmenta.

§. II.

Adæquatè diuiditur ens rationis in negationem, priuationem, & relationem.

70 A*Ntequàm* conclusio probetur, supponendum est, quod negatio est *carentia formæ in subiecto incapaci*, vt carentia visus in lapide; privatio est *carentia formæ in subiecto apto nato ad illam habendam*, vt carentia visus in homine: relatio est *respectus ad aliquid*, vt modo præscindamus à relationis

prædicamentalis, & transcendentalis differētijs, vtraque enim est respectus ad aliquid. *Rursus* priuatio, & negatio possunt considerari per modum remotionis formæ, in quo sensu tenebram, v. gr. dari, nil aliud est quam lucem non existere, sub qua consideratione priuatio, & negatio non sunt species entis rationis, cum nil involuant fictum; & possunt considerari positiuè, quatenus scilicet concipiuntur, ac si essent aliquid afficiens subiectum, vt cum tenebras concipimus vt nigredinem per aerem diffusam, qua cognitione fit ens rationis, vndè de priuatione, & negatione in hac secunda acceptione loquimur.

71 *Conclusio* igitur proposita desumitur ex Philosopho, qui 4. metaphisicæ prædictas tantùm species entis rationis numerauit, & ex D. Thoma quæst. 21. de veritat. art. 1. dicente: *Id, quod est rationis, tantùm potest esse duplex, scilicet relatio, vel aliqua negatio, omnis enim positio absoluta aliquid in rerum natura existens significat.* Vbi non solùm conclusionem docet, sed eius tradit rationem, qua prob. Ens rationis est, quod cū in se non sit ens reale, concipitur admodum entis realis: sed sola privatio, negatio, & relatio sunt huiusmodi: ergo sola privatio, negatio, & relatio sunt entia rationis, & consequenter adæquatè dividitur in illa tria ens rationis. Prob. min. Priuatio, negatio, & relatio non sunt in proprio conceptu entia realia, & omne aliud ab eis est in proprio conceptu ens reale: ergo sola privatio, negatio, & relatio, cum in se non sint ens reale, concipiuntur admodum entis realis. Anteced. quoad id quod excludit, videtur constare, tùm quia nullus hucusque dubitauit, quin substantia, quantitas, & sic de reliquis prædicamentis, præter relationem, sint in proprio conceptu entia realia. Tum, quia omnia illa sunt quid positivum, & absolutum; at iuxta D. Thomam vbi proximè, omnis positio absoluta aliquid in rerū natura existēs significat: ergo.

Quoad id verò, quod positivè asserit, de negatione, & privatione, eas scilicet non esse in proprio conceptu entia realia, res est certa; & quoad relationem prob. tùm ex D. Thoma 1. part. quæst. 28. art. 1. dicente, *solum in his, quæ dicuntur ad aliquid, inueniuntur aliqua secundum rationem tantùm, & non secundum rem, quod non est in alijs generibus, quia alia genera, vt quantitas, & qualitas, secundum propriam rationem significant aliquid alicui inhærens*, & subdit statim S. D. pro relatione rationem, *quia quæ dicuntur ad aliquid significant secundum propriam rationem solum respectum ad aliquid*, idest, purum respectum explicant, in quo nil realitatis exprimitur. Tùm, quia relatio nec explicat aliquod esse reale, quod ponat in subiecto, cum non explicet esse in ordine ab subiectum, sed ad terminum, nec quod ponat in termino, cum sit purus respectus omnino extrinsecus termino: ergo in proprio conceptu nullum explicat esse reale. Ex-

Explicatur. Licet intellectus sæpè concipiat admodum substantiæ, quod substantia non est, & admodum quantitatis replentis vacuum quod non est quantitas, non tamen ob hoc debet dici, quod datur substantia rationis, aut quantitas rationis: sed hoc est præcipuum motiuum oppositæ sententiæ, vt præsentis diuisionis sufficientiam impugnet: ergo & diuisio est sufficiēs, & oppositum fundamentū est nullū. Prob. mai. & explicatur. Et si cū sit ens rationis, concipiatur aliquid ad modū entis realis, & quod fictè appareat, ac si esset ens reale, tamen nullus dicet, quod dantur entia realia rationis, hoc enim exterminis implicat: ergo quia ens rationis nō dicitur illud, quod obiectivè apparet res, quæ concipitur admodum entis, sed illud solum, quod cum in se non sit ens, concipitur, admodum entis. *Hinc* fit, quod cū apprehenditur aliquid, ac si esset substantia; & datur ibi apparentia obiectiua substantiæ, & quod cōcipitur cum illa apparentia, ac si esset substantia; sicut datur apparere ens reale, & quod intellectus concipit cum illa apparentia entis realis; sicut ergo non dicitur rationis ens reale, cuius apparentiam gerit, quod concipitur, sed id, quod cum illa apparentia concipitur; ita non dicitur rationis substantia, cuius apparentiam gerit, quod concipitur admodum illius, sed id, quod cū in se sit aliqua negatio, priuatio, aut relatio, ad instar substantiæ cōcipitur; ens enim rationis est id, quod cum in se non sit ens, concipitur, & apparet, ac si esset ens.

72 *Nihilominus. Obijc.* 1. Actio in proprio conceptu non explicat realitatem: ergo vel datur actio rationis, & sic diuisio non est adæquata, vel ratio conclusionis est nulla. Prob. anteced. Actio in proprio conceptu non dicit inhærentiam, sed respectum ad agens per modum egressionis: sed quia relatio dicit respectum in proprio conceptu, non dicit in proprio conceptu realitatem: ergo actio non dicit in proprio cōceptu realitatē.

73 *Resp.* neg. antec. Ad prob. disting. mai. sed respectum ad agens, respectum *per modum actualitatis* cōced. mai. *purum respectum* neg. mai. Relatio in proprio conceptu explicat purum respectum, in quo nil exprimitur realitatis nec in subiecto, nec in termino; actio autem, & si nō explicet in proprio conceptu inhærentiam, explicat in proprio conceptu rationē actualitatis agentis, seu actualitatis actiuæ, quæ cum ente ficto dicit in proprio conceptu oppositionem.

74 *Obijc.* 2. Priuatio est reale principium generationis: ergo non est ens rationis. *Confirm.* Priuatio, & negatio vt remotiones formæ, sunt à parte rei, ac proinde provt sic non sunt entia rationis, sunt autem entia rationis quatenus cōcipiuntur, ac si essent aliquid positivum: sed quatenus concipiuntur ac si essent aliquid positivum, non sunt privatio, & negatio, hæ enim, vt tales, non sunt aliquid positiuum:

 cr-

ergo vt negatio, & privatio non sunt entia rationis.

75 *Resp.* disting. anteced. est principium reale generationis privatio *vt est præcisè non ens*, conc. antec. *vt hoc non ens concipitur, ac si esset aliquid*, neg. antec. & in hoc secundo sensu, non in primo, privatio est ens rationis. *Ad confirm.* disting. mai. Privatio, & negatio, vt remotiones formæ, sunt à parte rei, *non entia* conc. mai. sunt à parte rei *entia* neg. mai. & neg. min. quia etiam conceptę vt aliquid positivum illæ remotiones sunt privatio, & negatio, tenebra, quippè etiam concepta admodum nigredinis, siue vt nigredo per aerem diffusa, est privatio lucis, denominatione sumpta, nō à nigredine, ad cuius modum concipitur, sed à remotione lucis, quæ concipitur admodum nigredinis.

76 *Dices.* Dum intellectus nititur apprehendere quod in re nō est relatum, ac si esset relatum, format ens rationis, quod non est negatio, sed relatio iuxta ipsam divisionem, quam in præsenti propugnamus: & tamen tunc casus relatio non est id, quod concipit admodum alterius, sed id, ad cuius modum concipit negationem relationis ergo ens rationis nō semper est id, quod concipitur admodum alterius, sed etiam est id, ad cuius modum aliquid concipitur.

77 *Resp.* neg. mai. nàm solùm datur relatio rationis cum intellectus nititur apprehendere quomodo vnum se habeat in ordine ad alterum fingendo respectū inter ipsa: dum enim fingit relationem divini dominij ad creaturas, & relationem Magistri ad discipulos, non intendit apprehendere quomodo se habeat negatio relationis, sed quomodo se habeat Dominus relatè ad subditos, & Magister ad discipulos, ac proindè nititur cognoscere verā relationē non dicentem in proprio cōceptu realitatē: quod si negationem relationis nitatur apprehendere, ac si esset relatio, tunc finget ens rationis, quod sit negatio, non minus ac cum alias negationes concipit, ac si essent formæ positivæ.

78 *Obij.* 3. Datur plura entia rationis, quæ non sint privatio, negatio, aut relatio: ergo divisio non est adæquata. Prob. antec. 1. Vnitas vniversalis est vnitas rationis: sed vnitas vniuersalis non est negatio, aut priuatio, cū sit aliquid positiuū, nec est relatio, cū vnitas sit aliquid absolutū: ergo. *Probatur* 2. Cū Angelus cōcipitur admodū corporis, fit ens rationis, nā concipitur quod non est corpus admodū corporis, quod nequit esse sine aliqua fictione: sed illud ens rationis, quod tūc casus fit, non est privatio, negatio, aut relatio: ergo idē quod prius. Prob. 3. Cū fingitur alter Deus, aut mons aureus, datur ibi substātia ficta; & dum concipimus vacuū admodum dimēsionū replentiū spatiū, datur ibi dimensiones fictæ, ac proindè datur ficta quantitas in dimensionibus consistens: ergo alia à relatis in divisione sunt entia rationis.

79. *Resp.* neg. antec. siue de entibus

rationis cũ fundamento in re, siuè de chimericis sit sermo: ratio enim D.Thomæ, qua conclusionem firmavimus, vel de omnibus probat, vel de nullis. *Ad 1. prob.* antec. concessa mai.neg.min.quoad 1. partẽ: licet enim vnitas fundamentaliter sumpta, ideſt, res, quæ est vna, sit aliquid positivũ, vnitas tamẽ pro formali est quid negativũ, cum vnitas consistat in carentia pluralitatis: sed cuiusnã pluralitatis sit carentia vnitas, quã vt aliquid posititivũ concipit intellectus in natura vniuersali, dicetur in quæst. sequente.

80 *Ad 2. prob.* eiusdem antec: disting.mai.cum Angelus concipitur admodũ corporis *purè connotativè* fit ens rationis, neg.mai. *substantivè, aut emitatiuè*, conc.mai. Cognoscere Angelũ admodũ corporis purè connotatiuè, est cognoscere illũ per speciem corporis, qualiter necessium est, quod ipsum cognoscat intellectus noster in præsenti statu non aliter intelligens res, quàm per species à sensibilibus acceptas, in quo nulla est fictio, sed solũ cognitio cõnotatiua attingens Angelum per cõparationem ad corpus, sicut nulla est fictio in eo, quod Romam cognoscam ad instar Matriti. Cognoscere Angelum admodũ corporis sub:tantiuè est cognoscere ipsum, ac si esset corpus, corporeitatem ei applicando; & si hoc modo concipiatur (quod regulariter non accidit scientibus Angelos esse incorporeos) Angelus, fiet ens rationis consistens in identitate ficta Angeli, & corporis, quæ identitas ficta est relatio rationis.

81 *Ad confirm.* resp. iuxta dicta, quod cum fingitur alter Deus, datur ibi substantia ficta obiectivè, ideſt, substantia est id, ad cuius instar aliquid fictè concipitur, nõ tamen substãtia est id, quod fictè cõcipitur admodum alterius, ac proindè non datur substantia rationis; fingitur ergo tunc casus ens rationis, quod est relatio, cum intellectus non nitatur apprehendere negationẽ alterius Dei, sed quomodo se habeat Deus, vt alter, & distinctus à Deo Optimo, Maximo, quæ diversitas est relatio rationis: Similiter fictio montis aurei consistit in identitate ficta, quæ est relatio rationis, inter verum montem, & aurum. Cum autem concipitur vacuum admodum dimẽsionum replentium spatium, fit ens rationis, quod est negatio, aut privatio, cum id, quod intellectus nititur apprehendere, sit vera remotio corporis replentis vacuum.

§. III.

Examinatur tertia divisio.

82 **V**T examinetur vltima divisio entis rationis in primam, & secundam intentionem, advertendum est, quod intentio, prout ad intellectum attinet, est duplex, formalis scilicèt, & obiectiva: formalis est ipsa cognitio, sivè actus, quo intellectus intentionaliter intendit; sivè tendit in obiectum, ideòque intentio dicitur. Obiectiva est obiectum, in quod per talem actum tendit intellectus. Loquimur in præsenti de in-

intentione obiectiva, non formali, quam manifestum est nō esse speciem entis rationis, cum sit realis cognitio suum habens esse reale. *Rursus*. Intentio obiectiva dividitur in primam, & secundam intentionem, Prima intentio obiectiva est obiectum secundum quod terminat primam sui cognitionem, quę est prima intentio formalis: secunda vero intentio obiectiva est obiectum vt cognitum, seu secundum ea, quæ conveniunt ipsi, quia cognito, & vt terminanti secundam intētionem formalem: Sed quia hæc aliquali explicatione, & discussione indigent, vt ostendatur rectitudo divisionis.

83 *Sit prima conclusio*. Prima intentio obiectiva aliquando est ens reale, aliquando est ens rationis. Conclusio quoad primam partem est manifesta; nam prima intentio obiectiva est obiectum secundum quod terminat sui primam cognitionem, sivè vt primò cognitum: sed obiectum vt primo cognitum aliquando est ens reale, hac enim cognitione homo cognoscitur primò homo, qui est aliquid reale: ergo prima intentio obiectiua aliquando est ens reale. *Quoad* 2. verò prob. obiectum cognitionis, qua primò cæcitas concipitur, est prima intentio obiectiva, cum sit obiectum terminans primam cognitionem; sed obiectum cognitionis, qua primo cęcitas cōcipitur, est aliquid rationis, cum cęcitas attingatur, ac si esset forma positiva: ergo prima intentio obiectiva aliquando est ens rationis.

84 *Confirmat*. Relationis Magistri, Doctoris, dextri, & sinistri, divini dominij ad creaturas, aliæque similes sunt relationes rationis: sed hæ non sunt secundæ intentiones, sed primæ: ergo plures primæ intentiones sunt entia rationis. Prob. min. Relationes illę non conveniunt rebus vt cognitis, earum enim fundamentum non est cognitio, sed doctrina, distantia, & potestas: ergo plures primæ intentiones sunt entia rationis.

85 *Obijcies*. Prima intentio obiectiva est obiectum secundum id, quod habet in re; hoc enim est, quod primo ei convenit, & primò cognoscitur ideòque à Dialecticis dicitur terminus primæ intentionis qui significat aliquid secundum id, quod habet in re: ergo nulla prima intentio est ens rationis. *Confirm*. Secunda intentio obiectiva est quæ convenit rebus vt cognitis: sed omne ens rationis convenit rebus vt cognitis: ergo omne illud est secunda intentio obiectiva.

86 *Resp*. disting. antec. est obiectum secundum id, quod habet in re, *vel formaliter, vel fundamentaliter proximè*, conc. antec. *formaliter præcisè*, neg. antec. & conseq. fundamentum proximum primæ intentionis convenit rebus ex se ipsis, in quo differt à secunda intentione quæ (iuxta dicenda) semper debet fundari in rebus vt cognitis, & secundam statum, quem habent in intellectu: at non semper est formaliter aliquid reale prima in-

tentio obiectiva, nam sæpè obiecta vt prima cognita sunt aliquid rationis, vt patet in exemplis positos. *Ad confirm.* concessa mai. disting. min. omne ens rationis convenit rebus vt cognitis, ly vt dicente causam effectivam conced. min. dicente fundamentum proximum neg. min. solius enim secundæ intentionis fundamentum proximum est cognitio, licet cuiusvis entis rationis causa effectiva cognitio.

87. *Secunda conclusio.* Secunda intentio obiectiva semper est aliquid rationis. Est D. Thomæ in 4. Metaphis. lect. 4. & opusc. 42. cap. 12. & ipsius ratione prob. Secunda intentio convenit rebus vt cognitis: sed rebus vt cognitis non convenit aliquid reale: ergo secunda intentio non est aliquid reale. *Si dicas* quod rebus vt cognitis convenit aliquid reale, extrinseca scilicet denominatio cogniti, vnde quia natura fuit prius cognita sine differentijs, postea cognoscitur vt pluribus communis.

88. *Contra est.* Tū quia solutio potius impugnat dari entia rationis, quod satis manet in antecedentibus reiectum, quam eorum existentia supposita, præsenti adversetur conclusioni. *Tūm* quia secunda intentio obiectiva est prædicatum, quod secundò intelligimus de rebus conveniens ipsis vt cognitis: sed denominatio cum sit ipsa cognitio extrinseca cogniti non est huiusmodi, nā talis denominatio cum sit ipsa cognitio extrinsecè terminata ad obiectum, nō cognoscitur per eadē cognitionem: ergo secunda itentio non est eiusmodi denominatio. Prob. mai. Secunda intentio formalis, cū sit nova, & secunda attētio, aliquid secūdò de novo intelligit de re: ergo secūda intētio obiectiva est aliquod prædicatum, quod secundò, & de novo intelligimus de re.

89. *Tertia conclusio.* Fundamētum proximū secundæ intentionis semper est aliquid rationis. Est contra aliquos ex nostris existimantes fundamentum proximum secundæ intentionis esse extrinsecam denominationē cogniti, contra quos prob. Secunda intentio obiectiva est, quæ fundatur proxime in rebus vt cognitis: sed non cognitis vt sunt in se: ergo aliter ac sunt in se, ac proinde fundatur proximè in rebus vt involuentibus formam rationis. Prob. min. *Tūm* quia res cognitæ vt sunt in se non præbent proximè fundamentum eidē intellectui, vt aliter ac sunt in se cognoscantur. *Tūm* quia aliàs intellectus perfectè intelligens res vt sunt in se posset proximè ex hoc habere fundamentum ad eas cognoscendas aliter ac sunt in se. *Tūm* quia rem esse extrinsecè cognitam est quid indifferens vt denuò cognoscatur vel vt est in se, vel aliter ac est in se, ac proinde nequit esse fundamentum proximum vt cognoscatur aliter ac est in se. *Denique* fundamentum proximum secundæ intentionis est occasio ex parte rei proximè invitans intellectum, vt eam concipiat aliter ac est in se: sed denominatio extrinseca cogniti non est occasio ex parte rei,

cum

cum tantùm sit in intellectu cognoscente: ergo.

90 *Patet ex his*, quod tertia hæc divisio entis rationis sit adæquata: omne enim ens rationis, vel est prima, vel secunda intentio, cum vel resultet ex cognitione, qua primò res concipitur, vel qua consideratur secundum ipsi convenientia ex vi prioris cognitionis per intellectum.

ART. IV.

An ens rationis possit existere per existentiam sui fundamenti?

93 S*Icut essentia* entis realis consistit in prædicatis, per quæ quidditativè diffinitur, & existentia consistit in actu, quo talia prædicata constituuntur extra caus sitaens rationis habet suam essentiam, quæ consistit in esse purè obiectivè in intellectu, & existentiam, qua ne dum possibiliter, sed actu exercitè ponitur illud esse obiectivum: cum enim quidditatē entis rationis speculantes cognoscimus sine vlla fictione (hoc enim verum est) ipsum esse quid fictū, vel fictibile ab intellectu; tunc nullā ei existentiā tribuimus, præter extrinsecā denominationē cogniti; cū verò in exercitio apprehēdimus aliquam rem, aliter ac est in se, tunc reducimus ad exercitium, & existentiam illud esse purè obiectivum, quod erat purè possibile per ordinem ad cognitionem potentem ipsum fingere;

§. I.

Nullum ens rationis potest existere per existentiam sui fundamenti.

94 H*Æc conclusio*, qua directè resolvitur dubiū, omnia entia rationis comprehēdit, sivè quæ fundatur proximè in aliquo reali, vt de primis intētionibus rationis diximus in art. præced. sivè quæ fundantur in aliquo rationis, vt secundæ intentiones, & prob. ex D. Thoma sæpè docente; quod tūc fit ens rationis, quando actu consideratur: ex quo elicitur ratio probās veritatē conclusionis quo ad vtrāq; partē. Ens rationis nequit existere, nisi dum actu fingitur ab intellectu, cū sit ens fictum essentialiter pendēs in esse, & conservari ab actu fingente: sed per hoc quod fundamentum illius existat, ipsum ens rationis fundatum non fingitur actu ab intellectu: ergo nec existit. Prob. min. actu fingi ab intellectu non stat sine actu considerari, & cognosci ab intellectu: sed per hoc, quod fundamentū stat, non consideratur, & cognoscitur ab intellectu ens rationis fundatum: ergo nec fingitur.

95 *Prob. deindè* specialitèr de entibus rationis, quæ proximè fundantur in aliquo reali. Ens rationis existens per existentiam realem sui realis fundamēti esset ens rationis existens realiter: implicat in terminis ens rationis existens realiter, aliàs esset ens reale, & non rationis: ergo implicat ens rationis existens per existentiam realem sui fundamenti realis. Prob. mai. Ens existens per existen-

existentiam realem, & realiter ipsi communicatã est ens existens realiter: sed ens rationis existens per existentiam realem fundamenti existeret per existentiam realem, & realiter ipsi communicatam: ergo existeret realiter. Mai. est evidens, cum effectus formalis formæ realis, & realiter communicatæ nequeat non esse effectus realis. Min. vero prob. *Tùm* quia existentiam realem realiter communicari nil aliud est, quam reddere essentiam existentem ante omnem operationem, & fictionem intellectus: sed si existeret per existentiam realem redderetur existens ens rationis ante omnem operationem, & fictionẽ intellectus: ergo. *Tùm* quia existentiam realem haberet, antequã actu obijceretur intellectui, & ab ipso cognosceretur, hoc enim est, quod opposita affirmat sententia: sed hoc est habere realiter communicatam existentiam realem: ergo.

§. II.

Solvuntur argumenta.

94 OBijc. 1. Potest ens rationis repræsentari per speciem realem; potest insuper cognosci, & attingi per actum realem: ergo potest existere per existentiam realem.

95 *Resp.* neg. conseq. nã ex quo antecedens sit verum, solum sequitur, quod ens rationis denominetur repræsentatum realiter, & cognitum realiter, quæ denominationes reales, cum sint extrinsecæ, nullo modo præiudicant eius entitati fictæ: at existere realiter, cum sit denominatio, & effectus formalis intrinsecus, non cõpatitur cum eius entitate pure ficta, repugnat enim ens pure fictum, & distinctum ab omni ente reali, realiter existere. *Nec valet*, quod conceptus est vltima actualitas obiecti; *nam* inprimis falsum est conceptum omnino extrinsecum obiecto esse illius vltimam actualitatẽ, vt suo loco constabit: *Deindè*, etsi sit vltima actualitas, est actualitas extrinseca, cuius realitas in nullo præiudicat entitati intrinsecę obiecti purè ficti.

96 *Dices.* Potest ens rationis existere per existentiam realem, & nõ existere realitèr: ergo ratio nostra est nulla. Prob. antec. *Tùm* quia potest (& de facto sic evenit) humanitas Christi D. existere per existentiam Verbi infinitam, & æternam, quin existat ab ęterno, aut infinitè: ergo potest ens rationis existere per existentiam realem, quin existat realiter. *Tùm* ex hoc ipso, nam si existẽtia infinita potest cõmunicare effectum existendi, & non infinitè, cur enti rationis non poterit cõmunicare existentia realis effectum existendi, & non realiter?

97 *Resp.* neg. antec. Ad eius 1. prob. neg. conseq. quia existentia, & si æterna, & infinita, non denominat infinitè, & ab æterno existentẽ naturam, cui ab æterno non competit, & quam infinitè non perficit, qualiter humanitatem Christi non perficit, nec ei ab æterno competit

existentia Verbi, at existentia realis, per quam existeret ens rationis, & esset realis, & ipsi realiter competeret, cum ipsi competeret iuxta oppositam sententiam ante omnē fictionem intellectus, ac proinde redderet ipsum existens realiter.

98 *Ad 2. prob.* antec. resp. quod nulla forma potest communicari, quin tribuat aliquem effectum specificum, & cum ablato conceptu realitatis, solus restet in existentia reali conceptus communissimus existentiæ, qui prout sic nequit cōmunicari, inde fit, quod nequeat communicare effectum existendi, & non existendi realiter: at ablato conceptu, seu effectu infinitatis in subsistentia Verbi, restat conceptus existentiæ realis substantialis supernaturalis, cuius est capax humanitas, quin ei tribuat infinitatem, cuius est incapax.

99 *Obijc. 2.* Potentia potest existere sine actu: ergo potest existere esse obijcibile, quin actu obijciatur: sed ens rationis consistit in esse obijcibili: ergo potest existere ens rationis, quin actu obijciatur. *Confirm.* Si non posset existere ens rationis quin actu obijceretur, & cognosceretur, posset naturaliter existere essentia sine passionibus, sivè proprietatibus, intellectu enim fingente essentiam, & vlterius non progrediente ad cognoscendas, siuè fingendas proprietates, existeret essentia, quin existerent eius proprietates: sed hoc est impossibile: ergo potest existere ens rationis; quin actu cognoscatur.

100 *Resp.* disting. antec. Potentia *Phisica* potest existere sine actu conced. anteced. potentia *Logica*, neg. anteced. & conseq. Potentia Phisica est potentia ad actionem, vel passionem, & potest res existere, quin aliquid agat, vel recipiat, ac proinde potest existere sine actu: at potentia Logica nil aliud est, quam non repugnantia ad existendum, vnde implicat existere sine actu, quia actus talis potentiæ est ipsa existentia, & implicat aliquid existere sine existentia: cùm ergo in ente rationis idem sit existere, ac actu obijci, sicut nequit esse obijcibile existere sine existentia, ita nequit existere quin actu obijciatur. Solutionis veritas patet in ipso ente reali, quod est quoddam esse realiter producibile, & nequit tale producibile existere, antequam producatur.

101 *Ad confirm.* concessa mai. neg. min. Quia licet in entibus realibus sit inconveniens, quod existat essentia sine proprietatibus, in entibus rationis hoc nullum est inconveniens; quia cum eorum esse sit quid fictum, consistens in cognosci, non inconvenit, quod vnum existat sine altero, quoties vnum potest cognosci sine altero.

102 *Obijc.* 3. Cęcitas est ens rationis; sed nullo intellectu considerante, existit cæcitas: ergo existit ens rationis, nullo intellectu considerante. Prob. min. nullo intellectu considerante, & à parte rei, homo priuatus visu denominatur cæcus: sed denominatur cæcus à cæcitate: er-

ergo existit cæcitas ipsum denominans, nullo intellectu considerante.

103 *Resp.* disting. mai. Cæcitas *remotiuè sumpta est* ens rationis neg. mai. *sumpta positiuè* conced. mai. & disting. min. nullo intellectu considerante existit cæcitas *remotiuè sumpta* conced. min. *sumpta positiuè*, neg. min. & conseq. Cæcitas solum est ens rationis vt concepta, ac si esset quædam forma positiva, & hoc modo non existit nisi intellectu eam considerante; at remotiuè sumpta, & prout est idem ac non visus, vere remotiuè existit nullo intellectu considerante, cæterum prout sic non est ens rationis, sed realis remotio, seu privatio visus. *Nec minoris* probatio oppositum convincit; quia cum entia rationis sint minimæ entitatis, sufficit, quod eorum fundamentum existat, vt detur absoluta denominatio; qua ratione Deus dicitur absolutè Dominus ab æterno creaturarum, & si ab æterno non existat absolutè relatio dominij, sed eius fundamentum; & similiter homo denominatur absolute cæcus à parte rei, quin à parte rei existat absolutè cæcitas, sed eius fundamentum, remotio scilicèt visus. Et similiter signa ad placitum absolutè denominantur talia, per hoc quod fundamentum existat.

******

ART. V.

Vtrum solus intellectus efficiat entia rationis?

104 SI *nominis* ethimologia attendatur, certum est, quod ens rationis à sola ratione, seu intellectu posit fieri, cum idem sonet ens rationis, ac ens à ratione: Accipitur ergo in præsenti, vt disputationi sit locus, ens rationis pro ente ficto, & obiectiuè tantùm existente in aliqua potentia, & inquirimus, an solus intellectus posit illud formare: cum enim sint in nobis potētię præter intellectum, nimirum voluntas, sensus externi, & interni, de his omnibus dubitatur, an sint causæ effectivæ entis rationis, vel vnicè intellectus posit illud efficere.

§. I.

Voluntas non efficit entia rationis.

105 C*Onclusio* est communis inter Logicos, & Metaphisicos contra Scotum, Arriaga, Bonæ Spei, & Olcina, & Prob. Potentia, quæ non format sibi obiectum, non efficit entia rationis, cum facere ens rationis sit dare esse obiectivum ei, quod antea non erat ens: sed voluntas non format sibi obiectum: ergo non efficit entia rationis. Prob. min. Potentia formans sibi obiectum reddit illud sibi intentionaliter pręsens:

sed voluntas non reddit obiectum sibi intentionaliter præsens. *Tùm* quia semper fertur in obiectum vt iam sibi propositum ab intellectu. *Tùm* quia reddere præsens intentionaliter obiectum est illud ad se intentionaliter trahere, & intra se constituere: sed voluntas non trahit res ad se, sed potius fertur ad res, vt quoddam pondus, & inclinatio in illas: ergo voluntas non format sibi obiectum.

106 *Confirm.* & explicatur. Potentia, quæ si aliquādo attingit aliquid fictum, fictionem præsuponit, & non facit, non format ens rationis: sed voluntas, si attingit aliquid fictum, fictionem præsupponit, & non facit, cum voluntas semper feratur in obiectum, vt sibi ab intellectu propositum: ergo non format ens rationis.

107 *Obijc.* Voluntas sæpè subordinat Deum creaturis, cū creaturas anteponit Deo: sed talis subordinatio est quid fictū, & ens rationis: ergo sępè format ens rationis. *Confirm.* Voluntas sæpè attingit res aliter ac sunt in se: ergo sæpè facit entia rationis. Pro. ant. Volūtas sæpè amat vt bonum, quod in re bonum non est, cum sæpè tendat in bonum apparens: ergo sępè attingit res, ac sunt in se.

108 *Resp.* disting. mai. Voluntas sępè subordinat *affectivè, seu prosecutivè* Deum creaturis conced. mai. *effectivè* neg. mai. & concessa min: neg. conseq. quia voluntas solum prosequitur obiecta eo ordine, quo proposita sibi sunt ab intellectu, vnde si ordo est ens rationis, non efficitur à voluntate, sed ab intellectu, cuius solius est ordinare, sivè ordinata proponere.

109 *Si dicas.* Ex eo quod voluntas supponat fictum (idem de quocumque alio ente rationis) illum ordinem, non sequitur, quod illum non efficiat: ergo solutio est nulla. Prob. antec. Nihil prohibet, quod ens rationis semel, & iterum fingatur per diversos actus: ergo nihil prohibet, quod voluntas fingat ordinem iam fictum ab intellectu.

110 *Disting.* anteced. Ex eo, quod voluntas supponat *per accidens* fictum illum ordinem non sequitur, quod illum non efficiat, conced. antec. Ex eo, quod illum supponat *essentialiter, & ex modo tendendi* iam fictum neg. antec. Ens rationis iam fictum per vnum actum potest iterum fingi per alium, qui ex modo tendendi non supponit illud fictum, qua ratione ens rationis factum à Petro, potest etiam à Ioanne fingi, & idem intellectus potest per vnum actum fingere ens rationis, quod iam per alium finxit, quia sequenti actui accidit, quod obiectum, præsupponatur fictum: at voluntas ex suo essentiali modo tendendi supponit illum ordinem iam fictum: cum sic, & non aliter, tendat in obiectum, vt erat ab intellectu propositum.

111 *Ad confirm.* disting. antec. volūtas sæpè attingit res aliter, *alienate à se facta*, ac sunt in se, neg. anteced.

teced. *alietate à se præsupposita* conced. antec. & neg. conseq. nàm licèt voluntas sæpè tendat in bonum, quod in re non est bonum, bonitas tamen illa apparens, in quam tendit, non ab ipsa fabricatur, sed ab intellectu, ad ipsam enim solum spectat prosequi obiectum, vt ab intellectu propositum.

112 *Instabis*. Sępè voluntas amat vt bonum, quod intellectus iudicat esse malũ: ergo tunc bonitas fingitur à voluntate. *Vlterius*. Sicut voluntas supponit obiectũ cognitũ ab intellectu, ita intellectus supponit illud repręsentatũ per speciem impressam: ergo sicut hoc non obstante, intellectus efficit ens rationis, ita voluntas illud efficere valebit.

113 *Ad* 1. Instantiam, disting. anteced. quod intellectus *speculatiuè* iudicat esse malum conced. anteced. quod *practicè* iudicat esse malum neg. antec. cum enim voluntas non possit velle malum vt malum, requiritur; vt aliquòd obiectum amet, quod illud proponat intellectus vt bonum, non quidem affirmando expresè illud esse bonum, sed iudicando, quod hic, & nunc debet tamquam bonum, & conveniens amari, quod est practicè bonitatem fingere. *Ad* 2. *disting.* anteced: ita intellectus supponit, *ità quoad obiectum primariũ* concedant. *ità quoad obiectum secundarium* neg. antec. nam præter id, quod formaliter repræsentat species, cognoscit plura intellectus, quibus propter sui in fingendo fœcunditatem vel in cognoscendo imperfectionem, dat esse obiectivum, & quæ provt sic ficta solũ virtualiter, seu in actu primo supponebantur in specie impressa.

§. II.

Sensus externi nullum faciunt ens rationis.

114 Conclusio est inter AA. communiter recepta cõtra Arriaga, & nonnullos Scotistas, & prob. Sensus externus nil efficit, quod sit obiectivè in ipso: ergo cum ens rationis habeat esse obiectivum in potentia illud formante, sensus externus non facit ens rationis. Prob. antec. *Tùm* quia sensus externus non format idolum, seu imaginem, media qua sensibile sit obiectivè in ipsis, vt quæst. 5. de anima, art. 2. ostendimus. *Tùm* quia quidquid attingit sensus externus existit extra ipsum: ergo nil efficit, quod sit obiectivè in ipso.

115 *Obijcies* 1. Sensus externi attingunt plura, qua in re non sunt, ac si essent, gustus enim febricitantis attingit vt amarum quod in re non est amarum, sed dulce; similiter visus videt in collo Columbę, & in Yride colores, qui tantum apparenter sunt tales, & baculum existentem subtus aquas videt curvum, cum sit rectus; ergo fingunt plura, ac proinde faciunt entia rationis.

116 *Resp.* neg. antec. quod inducta exẽpla non suadent; gustus enim febricitantis percipit veram, & rea-

lem amaritudinem humoris cholerici, quo lingua est infecta, & quo impeditur percipere dulcedinem cibi; similiter visus in collo Columbæ, & in Yride veram videt similitudinem colorum, quæ ex reflexione lucis, sic vel aliter dispositæ ibi formatur, licet veri colores nō sint, hoc est, ex intrinseco mixti temperamento promanantes, sicut colores naturales permanentes; & idem dicimus de curvitate baculi, cuius vera similitudo formatur ex refractione specierum per medium turbatum immissarum. Et quidem tàm colores Yridis, quàm curuitatem baculi repræsentat speculum è regione positum, quin propterea speculum formet ens rationis. An autem, & quomodo ex hoc sumat intellectus occasionem, vt fallatur, sicut & alia, ex quibus præsens pendet dubium, explicamus ex professo in quæst. 6. de anim. art. 3. & quæst. 7. art. 1.

117 *Obijcies 2.* Color in cōmuni est ens rationis: sed visus attingit colorem in communi; ergo attingit, & consequenter facit ens rationis. Prob. min. Potentia visiua specificatur à colore in communi: sed quælibet potētia attingit suum specificatiuum: ergo potentia visiva attingit colorem in communi. *Confirm.* Potentia visiva attingit vt separata, quæ in re separata non sunt, sed coniuncta, attingit enim in pomo colorem, non attacto sapore; similiter cum à longe videt aliquod corpus, percipit illud esse coloratum, quin percipiat, an sit album, vel nigrum, & consequenter præscindit gradum genericum à specifico: ergo facit distinctionem rationis.

118 *Vrgetur.* Visione exteriori percipimus tenebras, cum visus percipiat hic esse lucem, ibi lucem non esse, quod est tenebras percipere: sed perceptio tenebrarum est formatio entis rationis, cum tenebræ nihil sint, & percipiantur, ac si essent aliquid; ergo visione exteriori formamus ens rationis.

119 *Resp.* disting. mai. color in communi *communitate formali* est ens rationis conced. mai. *communitate fundamentali* neg. mai. color formaliter communis est color abstractus ab hac, vel illa specie coloris, & sic dicit vnitatem rationis; color fundamentaliter communis sunt omnes colores, prout convenientes, & similes in hoc, quod est esse colores, in quo nil rationis involuitur, & sub hac consideratione, non sub prima, attingitur à visu, & ipsum specificat.

120 *Ad confirm.* disting. anteced. attingit vt separata, quæ sunt coniuncta *per identitatem* neg. anteced. quæ sunt coniuncta *per accidens* sub disting. *faciendo inter ea separationem*, neg. anteced. *attingendo præcisè vnum, alio non attacto* conced. antec. ex colore, & sapore realiter distinctis, & per accidens coniunctis, percipit visus colorem, non percepto sapore, qui est extra sphæram visus, in quo nulla est fictio, quę esset, si color vt separatus à sapore obijceretur visui.

Cum

Cum autem videt à longe corpus, attingit remissè visus tàm rationem coloris, quàm rationem talis coloris, vtramque eodem modo confuso percipiendo, & non discernendo, in quo nulla est fictio, sicut nec distinctio, aut præcisio.

121 *Ad id*, quo argumentum vrgetur, disting. mai. Visione exteriori percipimus *positivè* tenebras: neg. mai. *negativè, aut remotivè* conced. maior. percipere positivè tenebras est eas videre, seu attingere per modum obiecti visi, & hoc modo nequeunt percipi à visu; eas percipere negativè, est non percipere lucem, & hoc modo negativo, seu indirectò tenebras attingere, non est vllo modo formare ens rationis.

§. III.

Sensus interni non formant entia rationis.

122. PRæter sensus externos quatuor communiter recensentur in nobis sensus interni, qui dicuntur sensus communis, æstimativa, phantasia, seu imaginativa, & memoria, quorum sensuum distinctio, & munera explicanda spectant ad Animasticum: Asserimus modo nullum ab ipsis formari ens rationis, quæ conclusio est contra P. Suarez, Rubium, Arriaga, Merinero, quibus adhærent ex nostris Prado, & Linze, prob. Potentia, quæ nequit cognoscere non ens, vt ens, nequit facere entia rationis, cum ens rationis sit non ens cognitum vt ens, seu ac si esset ens: sed nullus sensus internus potest cognoscere non ens, vt ens: ergo nec formare entia rationis. Prob. min. 1. Sola illa potentia, quæ potest discernere inter ens, & non ens, potest cognoscere non ens, vt ens, cum cognoscere non ens, vt ens, vtriusque extremi discretionem exposcat: sed nullus sensus internus potest discernere inter ens, & non ens, hoc enim est proprium intellectus, cuius solius obiectum est ens, in quantum ens: ergo nullus sensus internus potest cognoscere non ens vt ens.

123. *Prob.* 2. eadem min. & explicatur probatio præcedens. Cognoscere non ens vt ens, est cognoscere admodum entis negationem omnimodam entitatis: sed nullus sensus internus potest cognoscere admodum entis omnimodam negationem entitatis. *Tùm* quia omnimoda negatio entitatis est extra sphæram cuiuscumque sensus ad sola sensibilia ab intrinseco determinati. *Tùm* quia solus ille potest cognoscere admodum entis omnimodam negationem entitatis, qui cum vniversalissimam rationem entis attingat, potest per connotationem ad ipsum eius opposita percipere: sed solus intellectus est huiusmodi, secus aliquis sensus: ergo.

Prob.

sens non est non ens absolute, sed cum addito, in hoc scilicet loco, vel in hac temporis mensura, vnde sensus, qui sic absens, si se non præsens concipit vt præsens, ens simpliciter tale apprehendit, cum comparatione tamen materiali, & exercita ad hunc locum, vel ad hoc tempus, quod totum est omnino possibile. *Ex his* ad 2. prob. resp. quod actu imaginatiuæ solum apprehenduntur accidentia exteriora montis aurei, quæ vt imaginatiuæ obiecta nullam dicunt repugnantiam, sed possunt in externa imagine depingi, licet præbeant occasionem intellectui essentias montis, & auri penetranti, vt ex vtraque formet identitatem omninò impossibilem.

132 *Ad 3. prob.* antec. resp. nil impossibile in præfatis exemplis cognosci, nil fingi: Canis enim aggreditur, & latrat in eam figuram, quam refert vmbra, & quam confuse cognoscens nescit discernere, quid sub ipsa lateat, vel non lateat: Ouis similiter cognoscens pellem Lupi sibi infensi, eius inimicitiam per æstimatiuam apprehendit, & sic fugit nesciens discernere, an illa figura sit quod apparet, & idem de passeribus, qui videntes in pictura colorem, & figuram vuarum, eas impetunt, vt similibus accidentibus ducti veras vuas solent appetere.

133 *Obijcies* 2. Sensus internus ex subordinatione ad intellectum, & coniunctione cum illo potest discurrere iuxtà D. Thomam 1. p. q. 78. art. 4. ergo ratione eiusdem subordinationis, & coniunctionis potest efficere entia rationis. Prob. conseq. *Tùm* à paritate rationis. *Tùm* quia discursus importat respectus rationis antecedentis ad consequens & è conuerso.

134 *Resp.* quod potentia inferior ex cōiunctione, & subordinatione ad superiorem potest quidem perfectius operari, quam si talem coniunctionem non haberet, cæterum hoc debet intelligi intra suam sphæram, non extra illam, seu in eo, quod est proprium priuatiuè potentiæ superioris vt ab inferiori distinctæ, hoc enim non esset potentiam inferiorem perfici, sed destrui per additionem perfectionis ipsi repugnantis. Discursus ergo, qui cōceditur alicui sensui interno hominis ex coniunctione ad rationem, & discursus materialis per exercitam comparationem vnius sensibilis cum alio, qui discursus non transcendit sphæram sensibilitatis, cum non percipiat ordinem prædicati ad subiectum, nec antecedentis (& sic patet secundæ probationi) ad consequēs, sicut discursus formaliter talis, qui est proprius intellectus; vt amplius ostendimus quæst. 8. de anim. artic. 2. at percipere non ens, est proprium priuatiuè illius potentiæ, cuius obiectum est ens in quantum ens, cui non ens opponitur, quo obie-

ćto solus gaudet intellectus.

135 *Si instes.* Quia intellectus habet pro obiecto ens, potest non ens ipsi oppositum attingere vt ens, siue admodum entis: ergo quia obiectum sensus est sensibile, potest non sensibile ipsi oppositum attingere vt sensibile, siue admodum sensibilis: sed attingere non sensibile admodum sensibilis est attingere, & efficere ens rationis: ergo sensus potest efficere ens rationis.

136 *Resp.* neg. conseq. Si de non sensibili simpliciter tali intelligatur, vt debet, ad hoc, quod inferat sensum efficere ens rationis; non sensibile quippè est omnino extra sphæram sensus ad sensibilia, & materialia determinati, qua ratione non est extra sphæram intellectus non ens, quia potentia ita immaterialis, & vniuersalis ad cuiuscumque generis, & quomodocumque cognoscibilia extenditur. Et quidem argumentum probat, quod visus possit attingere non coloratum, auditus non sonorum, & sic de singulis sensibus externis, quod patet quàm sit falsum.

137 *Ex dictis* infertur conclusio, quæ directe respondeat titulo articuli, quæ talis est: *Solus intellectus format entia rationis.* Et sic prob. Intellectus format entia rationis, & nulla alia potentia ab intellectu format illa: ergo solus intellectus format entia rationis. Antec. quoad 1. partem est euidens, & quoad secundam constat ex præcedentibus, siquidem nec voluntas, nec sensus, siue externi siue interni formant entia rationis: ergo nulla alia potentia ab intellectu format entia rationis.

ART. VI.

An intellectus Diuinus faciat entia rationis?

138 ALiqui videntes ex vna parte, quod entia rationis non possunt nisi fingendo fieri, & ex alia inter eorum fieri, & cognosci non discernentes, ne cogerentur fateri Deum fingere, negauerunt illa cognoscere. Hi sunt Vazquez, Alarcon, Cabero, & Caramuel, quorum sententia reijcitur a cæteris AA. & merito. *Tùm* quia Deus iuxta Psalmistam *cognoscit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt*: sed nequit cognoscere cogitationes vanas, per quas sæpissimè entia rationis formantur, quin cognoscat entia rationis formata, præsertim cum cognitio Diuina sit comprehensiua: ergo cognoscit entia rationis. *Tùm* quia Deus perfectissimè cognoscit omnem veritatem: sed chimeram à nobis cognitam esse quid fictum, & ens rationis est quædam veritas: ergo. *Tùm* quia absurdum est Deum nescire id, de quo disputamus: sed disputamus de ente rationis: ergo

go cognoscit ens rationis. *Denique* ex D. Thoma 1. part. quæst. 14. artic. 9. dicente: *Quæcumque sunt in potentia creaturæ, siue opinandi, siue imaginandi, siue quocumque modo significandi, cognoscit Deus.* Hoc supposito, fit conclusio.

§. I.

Intellectus Diuinus nullum potest efficere ens rationis.

139 Oppositum sustinent plures, quorum alij omnium, alij quorundam tantùm entium rationis efficientiam Deo concedunt; nostra tamen sententia, quæ communior est inter Thomistas, prob. Intellectus cognoscens omnia, vt sunt in se, non potest formare entia rationis: sed intellectus Diuinus cognoscit omnia vt sunt in se: ergo non potest formare entia rationis. Min. est certa; nàm res non cognoscuntur perfectissimè nisi cognoscantur vt sunt in se: sed intellectus diuinus cognoscit omnia perfectissimè: ergo cognoscit omnia vt sunt in se. Mai. autem prob. efficere ens rationis est cognoscere rem aliter ac est in se: sed intellectus cognoscens omnia vt sunt in se, non potest cognoscere rem aliter ac est in se: ergo nec efficere ens rationis. Cætera patent, & maior suadetur ex eo, quod vt fiat ens rationis, debet cognosci id, quod non est, ac si esset; sed cognoscere id, quod non est, ac si esset, est cognoscere rem aliter, ac est in se: ergo vt fiat ens rationis, debet cognosci res aliter ac est in se.

140 *Dices* 1. quod Deus potest cognoscere rem aliter ac est in se, quando ipsa non potest cognosci vt est in se, nam hoc ipso cognitio euadit conformis cum obiecto, idque contingit in ente rationis, quod nequit cognosci vt est in se.

141 *Sed contra* est 1. Vt fiat ens rationis, petitur iuxta solutionem, quod res cognoscatur aliter, ac est in se: sed Deus nequit cognoscere rem aliter ac est in se: ergo nequit facere ens rationis. *Explicatur.* Quia error, & falsitas petunt, vt fiant, quod res cognoscantur aliter ac sunt in se, nequeunt fieri à Deo omnia cognoscente vt sunt in se; & quia peccatum petit, vt fiat, quod res amentur aliter ac sunt in recta ratione, nequit peccatum fieri à Deo omnia amante, vt eius rectissima ratio dictat, neque in his exemplis prodest recursus ad hoc quod obiecta petunt sic cognosci, & amari, quia hoc ipsum probat quod quia talem imperfectionem petunt, vt fiant, nequeant fieri à Deo, cui omnis imperfectio repugnat: ergo si vt fiat ens rationis, petitur cognitio rei aliter ac est in se, hoc ipsum probat non posse ens rationis fieri à Deo omnia cognoscente vt sunt in se.

142 *Contra 2.* Nullum est cognoscibile, quod non possit, & petat cognosci cognitione conformi cognoscibilitati ipsius: sed omnis cognitio conformis cognoscibilitati ipsius est cognitio obiecti vt est in se: ergo nullum est cognoscibile, quod non possit, & petat cognosci vt est in se, & consequenter nequit cōcedi cognitio rei aliter ac est in se, quæ non sit Deo repugnans. *Explicatur.* Vel quod cognoscitur est aliquid positiuum, vel aliquid negatiuū; si negatiuum, potest cognosci vt non ens, & sic cognoscitur vt est in se; si positiuum, potest cognosci vt habens esse subiectiue, si sit ens reale, vel obiectiue tantum in intellectu ipsum fingente, si sit ens rationis, & quouis modo cognoscuntur res vt sunt in se: ergo nullum est cognoscibile, quod nō possit cognosci vt est in se. Sed quia solutionis doctrina nititur æquiuocationi explicandæ postea in solutione argumentorum, ideò ab vlteriori illius impugnatione supersedemus.

143 *Dices 2.* Deum non posse cognoscere res aliter ac sunt in se per assensum, bene tamen per dissensum, vt cū negat hircoceruū existere; tunc enim obijciuntur intellectui Diuino illa extrema vt identificata quæ in re non sunt identificata, vt de ipsis sic identificatis neget posse existere à parte rei.

144 *Sed contra 1.* ex dictis. Quæuis cognitio rei aliter ac est in se est disconformis obiecto, quidem non repræsentat ipsum vt est in se; quid est enim aliud cognitionem esse discōformem, quam per illam repræsentari obiectum, & non ita repræsentari vt ipsum est in se, quod est repræsentari aliter ac est in se? sed cognitio disconformis in sui repræsentatione obiecto est Deo repugnans: ergo si semel efficere en rationis est cognoscere rem aliter ac est in se, siue id contingat per assensum, siue per dissensum, repugnat Deum efficere entia rationis. *Contra 2.* Intellectus Diuinus non eget, sicut humanus, duplici actu, alio, quo apprehendat hircoceruum, alio quo dissentiat ab eius esse negans ipsum; sed vnico actu, & vnico ictu dissentit ab eius esse negans illud: sed hoc ipso cognoscitur per illum actum hircoceruus vt verè est in se: ergo dum tale obiectum attingitur per illum actū dissensus ab intellectu Diuino, cognoscitur vt est in se. Cætera patent, & mini suadetur ex eo, quod per talem actum hircoceruus repræsentatur vnicè vt non existens, siue vt nō potens habere esse à parte rei: sed hircoceruus vere non existit, nec potest habere esse à parte rei: ergo attingitur vere vt est in se.

145 *Dices 3.* quod vt fiat ens rationis, non requiritur cognitio rei aliter ac est in se, sed quod intellectus det esse obiectiuum obiecto in capaci habendi aliud esse, ad quod sufficit quo-

quouis modo cognoscere obiectum reuera impossibile, siue per assensum, siue per dissensum, siue dependenter, siue independenter ab alio intellectu; nam hoc ipso, quod tale impossibile quouis modo cognoscatur, habet tantùm esse obiectiue in intellectu ipsum cognoscente, in quo esse purè obiectiuo consistit ens rationis.

146 *Sed contra est* 1. Illud esse obiectiuum, quod tribuit intellectus obiecto incapaci existendi, vel est esse obiectiuum purè extrinsecum, quod est esse cognitum, vel est esse obiectiuum intrinsecum, medio quo obiectiue appareat intellectui, & obijciatur ac si esset ens: si primum, non fit ens rationis, si secundum, cognoscitur res aliter ac est in se: ergo vel falsò conceditur Deum efficere entia rationis, vel falsò negatur ipsum cognoscere res aliter ac sunt in se. Min. quoad 1. partem est certa: nam esse obiectiuum purè extrinsecum, quod est esse cognitum, est denominatio extrinseca indistincta à cognitione: sed hæc est ens reale, non rationis: ergo dare esse obiectiuũ purè extrinsecum, quod est esse cognitum, non est dare aliquod esse, quod sit ens rationis. *Quoad* 2. vero prob. obiectum apparere, & obijci ac si esset ens, cum reuera nō sit ens, est apparere, & obijci aliter ac est in se: sed per cognitionem repræsentatur, & cognoscitur, eo modo, quo obijcitur: ergo cognoscitur aliter ac est in se, si apparet, & obijcitur, ac si esset ens.

147 *Si dicas* non requiri, quod obijciatur vt ens, sed quod vtcumque obijciatur intellectui, vt contingit cum per hunc actum, *non existit chimera*, dissentit intellectus ab ipsius existentia: *Solutio* hæc præocupata manet ex dictis; vt enim intellectus faciat ens rationis cognoscendo aliquod impossibile, requiritur, quod tale impossibile habeat ex vi cognitionis esse obiectiuum, quod ex se non habebat, & quo obijciatur intellectui, & per ipsam cognitionem repræsentetur: sed non esse obiectiuum purè extrinsecum, quod est esse cognitum. *Tùm* quia est aliquid reale. *Tùm* quia esse cognitum non obijcitur, nec cognoscitur per eandem cognitionem: ergo requiritur, quod ex vi cognitionis habeat aliquod esse intrinsecum, quo appareat, & obijciatur intellectui, cum reuera nullum in se esse habeat: sed apparere, & obijci vt habens aliquod esse, quod reuera in se nullum esse habet, est apparere, & obijci vt ens, quod in se nullo modo est ens: ergo requiritur, quod cum in se non sit ens, obijciatur vt ens. *Deinde*. Nullum fit ens rationis cũ quidquid cognoscitur, datur in re eo modo, quo cognoscitur: sed ex dictis num. 144. per illum actum dissensus chimera cognoscitur vnicè vt non existens: ergo cum à par-

te rei detur hoc quod est non existere chimeram, nullum fit per talem actum ens rationis.

148 *Contra* 2. Cognoscere ens rationis dependenter ab alio, vt factum scilicet, vel factibile ab alio intellectu, non est illud facere: ergo falsò asserit solutio, quod ad formationem entis rationis sufficit quouis modo cognoscere ens rationis, siue independenter, siue dependenter ab alio intellectu. *Prob.* antec. 1. Cognitio entis rationis vt ab alio facti est purè speculatiua, cum suum obiectum supponat: sed cognitio formans ens rationis non est purè speculatiua, sed practica obiectum non supponens: ergo non est cognitio entis rationis vt ab alio facti. *Prob.* 2. Cognitio formans ens rationis facit illud absolutè transire de non esse ad esse: sed quæ supponit factum, & vt factum attingit, non facit illud transire absolutè de non esse ad esse, cum supponat ipsius esse: ergo non format illud. *Denique.* Si Deus ab æterno cognoscens entia rationis vt à nobis factibilia, ea ab æterno faceret, sequitur intellectum humanum ea non efficere, cum à Deo præuentus illa iam facta inueniat: consequens, & si admittatur à P. Izquierdo in suo Pharo, disp. 12. quæst. 5. proposit. 5. est satis extraneum, & ipsa singularitate contra communem omnium DD. consensum satis refellitur: ergo falsum est antecedens.

§. II.

Soluuntur argumenta.

149 OBijcies 1. Intellectus cognoscens entia rationis format illa, cum totum esse entis rationis sit cognosci: sed intellectus Diuinus cognoscit entia rationis: ergo facit illa. *Disting.* mai. intellectus cognoscens entia rationis *vt facta, vel factibilia ab alio* format illa neg. mai. cognoscens entia rationis *independenter ab eo quod ab alio sint facta, vel factibilia* conced. mai. & sub eadem distinctione min. neg. consequ. Cognitio, quæ terminatur ad ens rationis vt factum, vel factibile ex vi alterius cognitionis est purè speculatiua denominans illud extrinsece cognitum, & hoc modo cognosci non est esse entis rationis nisi tantū extrinsecum, quod iuxtà dicta est aliquid reale: cognosci ergo, quod est esse entis rationis, est cognosci practicum, vi cuius resultat aliquid intrinsecum fictum, & obiectiuum, supra quod cadat denominatio extrinseca cogniti, quod esse obiectiuum intrinsecum non resultat nisi ex cognitione, qua id, quod non est, concipitur admodum entis.

150 *Instabis* 1. Illa cognitio, vi cuius existit ens rationis, facit illud: sed ex vi cognitionis, qua cognoscit Deus ens rationis vt à nobis factibile, existit ens rationis,

nis, cum ex vi illius habeat esse obiectiuum in intellectu Diuino: ergo talis cognitio facit illud. *Instab.* 2. Cognitio, qua nõ ens cognoscitur admodum entis, efficit iuxta solutionem ens rationis: sed cognitione, qua Deus cognoscit ens rationis vt à nobis factibile, cognoscitur non ens admodum entis: ergo cognitio illa efficit ens rationis. Prob. min. Cognitione illa cognoscitur ens rationis vt est cognoscibile: sed solum est cognoscibile admodum entis: ergo cũ ens rationis sit reuera non ens, per illam cognitionem cognoscitur non ens admodum entis.

151 *Resp.* concessa mai. neg. min. quam inserta probatio non euincit; nam ex vi illius cognitionis ens rationis habet in intellectu Diuino esse obiectiuum solum extrinsecum, quod est esse cognitum, secus tamen esse obiectiuum intrinsecum, in quo consistit ens rationis.

152 *Si dicas.* Cognitio diuina terminatur ab æterno ad esse obiectiuum intrinsecum entis rationis, quod est factibile à nobis, cum quidquid Deus cognoscit, ab æterno cognoscat: sed non terminatur ab æterno ad esse obiectiuum intrinsecum, quod ens rationis habeat ex se, nec quod habeat ex vi cognitionis creatæ, nàm hæc ab æterno non existit: ergo terminatur ad esse obiectiuum intrinsecum, quod habet ex vi ipsius cognitionis Diuinæ.

153 *Resp.* disting. mai. terminatur ab æterno ad esse intrinsecum obiectiuum *possibile* conced. mai. ad esse intrinsecum *actuale* neg. mai. & disting. min. quoad secundã partem: sed non terminatur ad esse intrinsecum, quod habeat *actu* ex vi cognitionis creatæ conced. min. quod habeat *possibiliter* neg. min. & conseq. Et hæc quidem vera sunt loquendo de scientia necessaria, qua Deus cognoscit necessariò ens rationis vt possibile; sicut enim necessariò cognoscit ab æternò creaturas, non vt existentes actu, sed vt possibiles, in quibus sic cognitis solum ponit denominationem extrinsecam cognitarum; ita necessariò cognoscit ab æterno esse intrinsecum possibile entis rationis cognoscendo esse à nobis factibile, in quo solum ponit extrinsecam denominationem cogniti: at si sermo sit de scientia contingente libera, qua Deus etiam ab æterno attingit entia rationis à nobis facienda, vel vt futura, vel vt existentia, illa scientia attingit ens rationis futurum, vel existens ex vi cognitionis creatæ iam etiã ab æterno futuræ, vel si mauis, iam existentis in mensura æternitatis, de quibus Theologi 1. p. q. 14.

154 *Ad 2. instantiam* disting. mai. Cognitio, qua non ens cognoscitur admodum entis, *si ex vi talis cognitionis habeat esse admodum entis*, facit ens rationis, conced. mai. *si iam supponatur habens esse admodum entis* neg. mai. & di-

D. Thomam 1.p.q. 4. art.9. sed ens rationis est cognoscibile admodum entis realis: ergo illud cognoscit admodum entis realis.

157 *Resp.* neg. antec. *Ad eius* 1. prob. resp. quod nil potest intellectus Diuinus cognoscere nisi ratione sui specificatiui, & per attributionem ad illud, secus tamen admodum illius; sicut creaturas cognoscit ratione Diuinæ essentiæ, in qua virtualiter continentur, sed non cognoscit eas admodum suæ essentiæ. *Ad 2. prob.* disting. mai. quia illud cognoscimus per speciem entis realis, *talem, quod sit deficiens, & inadæquata* conced. mai. quia *præcisè* illud cognoscimus per speciem entis realis neg. mai. & disting. min. Deus illud cognoscit per speciem *comprehensiuam, & excedentem* entis realis conced. min. *inadæquatā, & deficientem* neg. min. Nos cognoscimus cognitione practica, v.g. vt pluri, quæ sunt idem, distinctionem rationis formando, & cognoscendo eam, ac si esset, quia cognoscimus per species inadæquate repræsentantes rem, sicque cōcipimus distinctionē inter animal, & rationale, inter diuina attributa, & alia huiusmodi: at Deus cognoscit omnia per speciem, & si non propriam, sed alienam, excedentem tamen, & comprehensiuam, vnde & si cognoscat distinctiones rationis à nobis factas, & conceptas admodum distinctionum realium, ipse tamen eas non efficit. *Ad 3. prob.* distinguo mai. cognoscit quæcumque sunt quocumque modo *ex parte obiecti* cognoscibilia conced. mai. quocumque modo *ex parte cognitionis* neg. mai. Sicut de opinabilibus cognoscit Deus ea esse cognoscibilia opinatiuè, ipse tamen non cognoscit ea opinatiuè; ita cognoscit non entia esse cognoscibilia admodum entis, ipse tamen ea admodum entis non cognoscit.

158 *Obijcies 3.* Deus cognoscit priuationem: sed cognoscere priuationem est formare ens rationis: ergo Deus efficit entia rationis. Prob. min. Cognoscere priuationem, tenebras v. g. est dare illis esse obiectiuum, quod in re non habent: ergo est efficere ens rationis.

159 *Confirm.* Cognoscere impossibilia positiua independenter ab alio intellectu est facere entia rationis: sed Deus cognoscit plura impossibilia positiua independenter ab intellectu creato: ergo facit entia rationis. Mai. est certa, nam impossibilia positiua ea parte, qua cognoscuntur, debent habere aliquod esse intrinsecum distinctum à cognitione; qua vero parte sunt impossibilia, & ab alio intellectu independentia, illud esse obiectiuum intrinsecum nec habent in re, nec in alio intellectu: ergo habent illud tantùm in intellectu, ea cognoscente, ac proinde ab ipso fingitur tale esse intrinsecum. Min. vero prob. nā intelle-

tellectus Diuinus cognoscit independenter ab intellectu creato impossibilitatem alterius Dei, sicut & impossibilitatem chimæræ, quorum obiectorum impossibilitatem nequit cognoscere, quin cognoscat talia obiecta, chimæram scilicet, & alterum Deum, quæ sunt impossibilia positiua.

160 *Resp.* ex dictis num. 144. quod priuatio potest cognosci dupliciter, & idem de negatione, vel per assensum, v. g. in exemplo tenebrarum, cognoscendo aërem esse tenebrosum, vel per dissensum, cognoscendo non esse lucidum: Primo modo concipiuntur tenebræ, ac si essent aliquid, & admodum formæ positiuæ, quia ex modo tendendi affirmatiuo tribuitur eis aliquod esse; & hic modus attingendi priuationem non competit Deo, nisi modo purè se tenente ex parte obiecti, & dependenter ab intellectu humano, quatenus cognoscit vere à nobis posse affirmari aërem esse tenebrosum, ipse tamen id non affirmat. Secundo modo per dissensum, cognoscitur priuatio immediatè à Deo, quia tunc cognoscitur vt verè non ens, in quo sic remotiue cognito solum ponit esse obiectiuum extrinsecum, denominationem scilicet cogniti. *Vndè* disting. mai. Deus cognoscit priuationem *per dissensum* conced. mai. *per assensum* neg. mai & disting. min. cognoscere priuationem *per assensum* est facere ens rationis conced. min. *per dissensum* neg. min. quia per dissensum solum datur priuationi esse extrinsecum, non intrinsecum, in quo consistit ens rationis.

161 *Hinc* ad confirm. dist. mai. cognoscere impossibilia positiua *per assensum* est facere ens rationis conced. mai. cognoscere ea *per dissensum* neg. mai, & applicata distinctione minori, neg. conseq. nam vt ex dictis constat, cum in Deo non præcedat simplex apprehensio eius iudicium, extrema solum obijciuntur intellectui Diuino vt repræsentata per eius iudicium; per hoc autem iudicium *non est possibilis alter Deus, nequit chimæra existere.* Alter Deus, & chimæra obijciuntur vt quid remotum, & negatum, quatenus Deus cognoscendo sui singularitatem cognoscit non esse alterius Dei, & cognoscendo suam omnipotentiam cognoscit non esse chimæræ, quin ex modo tendendi ea cognoscat admodum entis, siue cum aliquo esse, quomodo ea cognosceret, si affirmatiuè tenderet per assensum in illa.

162 *Obijcies* 4. Plura entia imperfectissima producit Deus absque vlla imperfectione: ergo potest entia ficta producere, & efficere, absque vlla fictione. *Confirm.* Deus concurrit cum creatura ad formationem entis rationis, siquidem causat simul cum nostro intellectu cognitionem, qua fingi-

gitur: ergo vel ens rationis potest fieri per causalitatē verā, & realem, vel Deo non repugnat causalitas metaphorica, & fictitia. *Vrgetur*. Supposito Christi D. in natura assumpta repugnat fictio: & tamen in illa formauit entia rationis, quia in ea efficiebat plures propositiones, & discursus: ergo formatio entis rationis non est fictio.

163 *Resp*. neg. conseq. quia alia entia phisice imperfecta sunt in se imperfecta, sed non petunt essentialiter modum producendi imperfectum: at ens fictum, & est fictum, & petit essentialiter pro sui formatione modum cognoscendi fictè, quia essentialiter petit fieri per cognitionem attingentem non ens admodum entis, quod sine fictione non saluatur. *Ad confirm*. neg. antec. & ad eius insertam prob. resp. quod Deus causat illam cognitionem intellectus nostri vt est vera actio, secus tamen vt est fictio, quia sub hac ratione nequit terminare cōcursum verum, & realem, qualis est concursus Diuinus.

164 *Nec valet* si dicas, quod quidquid non auertit à Deo causatur ab ipso. *Non quidem* valet, nam error speculatiuus non auertit à Deo in sensu, in quo communiter dicitur de peccato, quod est auersio à Deo, & tamen talis error à Deo non causatur. *Nec proptereà* dicimus, quod cognitio faciens ens rationis necessario sit actus erroneus, aut falsus; non enim conuertuntur in actibus intellectus subterfugere causalitatem Dei, & esse fallum, restat enim præter falsitatem titulus fictionis, quæ vt talis nequit terminare veram, & realem causalitatem, qualis est causalitas Diuina impotens influere per influxum metaphoricum, & impropriè talem, vt exigit ratio fictionis.

165 *Ad id*, quo argumentum vrgetur, resp. disting. mai. Supposito Christi D. in natura assumpta repugnat fictio *assertiua* conced. mai. *apprehensiua* neg. mai. nam assertiua est error contradicens diuinæ veritati, eiusque obiectum destruens, ac proinde repugnat Christo; fictio autem apprehensiua, & si attingat rem aliter ac est in se, non tamen illam affirmando, & ideò Christo vt homini non repugnat: ex hoc autem male infertur, quod formatio entis rationis non sit necessario fictio repugnans intellectui Diuino, cuius actui repugnat fictio etiam purè apprehensiua.

166 *Denique* obijcies difficile testimonium D. Thomæ 1. p. q. 15. art. 2. ad 3. dicentis: *Respectus ideales, quibus multiplicantur ideæ, non causantur à rebus, sed ab intellectu Diuino comparante essentiam suā ad res*. Sed tales respectus sunt respectus rationis: ergo respectus rationis causantur ab intellectu Diuino.

167 *Prolixa*, & à Logico instituto aliena disputatio esset hìc subijcienda circa Diuinam ideā, eius-

eiusque multiplicitatem, vt genuinus sensus testimonij adducti pro dignitate explicaretur; sed quia res est Theologica, & quæ in cit. quæst. 15. exprofesso discutitur, ideo breuiter *Resp.* explicando mai. Respectus idæales causantur *formaliter* ab intellectu diuino neg. mai. *fundamentaliter* cōced. mai. & disting. min. tales respectus *sumpti formaliter* sunt respectus rationis conced. min. *sumpti fundamentaliter* neg. min. & cōseq. Fundamentum talium respectuum est diuina essentia, non vtcumque, sed cognita vt diuersimodè imitabilis à creaturis, cumque intellectus Diuinus sic diuersimodè imitabilem cognoscat essentiam suam, præbet fundamentum, vt intellectus creatus illam supremam essentiam in plures distributam idæas concipiat fingendo varios in illa respectus ad diuersa factibilia, sicque fundamētaliter dicuntur causari respectus a Deo, non à rebus, à quibus formaliter causantur, non à Deo.

168 *Nec valet*, quod tales respectus dicuntur ibi à D. Thoma esse ab æterno in Deo, & quod fiunt à Deo per comparationem, quam facit essentiæ suæ ad res, *Nā* sicut vt dicatur, quod ab æterno sunt in Deo plura attributa, sufficit, quod ab æterno sit fundamentum distinctionis, qua vt plura concipiuntur; ita vt dicatur, quod ab æterno sunt in Deo plures ideæ, seu plures respectus idæales, sufficit quod fundamentū pluralitatis respectuū ab æterno existat. *Dicitur* autem Deus comparans essentiam suam ad res, non quia eam concipiat cum habitudine, quàm vere non dicit, ad illas, sed quia cognoscit eam connexam, vt reuera est, cum rebus, quæ est comparatio connexiua, quæ per modum habitudinis quoad nos explicatur. Sed de his plura in cit. loco Theologi.

ART. VII.

Per quem actum intellectus fiat ens rationis?

169 CVm *ex actibus* intellectus quidam sint apprehensiui, quidam iudicatiui, quidam discursiui, & ex his alij sunt veri, alij falsi, alij tandem absoluti, & alij comparatiui, siue connotatiui, quatenus rem cum aliqua habitudine concipiunt, inquiritur per quosnam ex istis fiat ens rationis, quam difficultatem sequentibus conclusionibus breuiter resoluemus.

170 *Sit prima conclusio.* Ens rationis semper fit per cognitionem comparatiuam, siue connotatiuam. Ita communiter Thomistæ. Et prob. Ens rationis semper fit per actum cognoscentem vnum cum habitudine ad alterum: ergo semper fit per cognitionem comparatiuam. Conseq. patet ex dictis, & anteced. prob. Semper fit ens rationis per actum, quo

quo non ens concipitur admodum entis: ergo semper fit per actum cognoscentem vnum cum habitudine ad alterum. *Explicatur*. Cum intellectus concipiendo priuationem lucis admodum nigredinis facit ens rationis, nec nigredinem, nec priuationem lucis absolutè concipit, in his enim absolutè concipiendis nullum fit ens rationis: ergo concipit priuationem lucis connotatiue ad nigredinem, & admodum illius, ac proinde comparatiuè in sensu explicato.

171 *Obijcies*. Ens rationis, quod fit per actũ comparatiuũ, est relatio rationis, ordo scilicet rationis ad alterum: sed non omne ens rationis est relatio rationis, cum præter ipsam sint species entis rationis priuatio, & negatio: ergo non omne ens rationis fit per actionem comparatiuam.

172 *Resp*. disting. mai. Ens rationis, quod fit per actum comparatiuum, est relatio *secundùm esse* rationis neg. mai. *vel secundùm esse, vel secundùm dici, siue transcendentalis* conced. mai. & disting. min. Non omne ens rationis est relatio rationis, *relatio secundùm esse* conced. min. *relatio secundùm dici, siue transcendentalis* neg. min. & conseq. Sicut in relatione reali, alia relatio est prædicamentalis, & secundum esse, cuius scilicet totum esse est in ordine ad aliud, vt relatio Patris ad filium, totum enim esse Patris est in ordine ad filium, alia est relatio transcendentalis, & secundùm dici, vt effectus ordinantur ad causam, sed totum esse effectuum non est ordinari ad causam; ita proportione quadam in entibus rationis est aliqua habitudo quasi transcendentalis omnibus entibus rationis communis, scilicet habitudo effectuum ad intellectum ea causantem efficienter, & ad ens reale, vt ad causam quasi exemplarem, ad cuius instar concipiuntur, & vi cuius exigũt semper fieri per actionem comparatiuam; præter hanc autem connotationem, siue habitudinem communem, est relatio rationis secundùm esse, cuius totũ esse est in ordine ad terminum, & quæ constituit speciem quandam entis rationis à negatione, & priuatione distinctam.

173 *Secunda conclusio*. Ens rationis potest fieri per quamlibet ex tribus operationibus intellectus. Prob. quantum ad simplicem apprehensionem contra plures ex schola Societatis *tum* ex D. Thoma opuscul. 42. cap. 2. docente, quod *tunc fit ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere quod non est*: ergo vt fiat ens rationis, sufficit apprehensio. *Tum* ratione. Simplici apprehensione cognoscit intellectus non ens admodum entis: ergo simplici apprehensione fit ens rationis. Prob. antec. id cognoscit intellectus simplici apprehensione quod cognoscit nil de illo affirmando, vel negando: sed

ſed ſic ſæpè cognoſcit non ens admodum entis, vt cum cognoſcit montem aureum, tenebras admodum nigredinis, & ſimilia, nec affirmando, nec negando ea dari: ergo ſimplici apprehenſione cognoſcit non ens admodum entis. *Confirm.* Vt intellectus affirmet per ſecundam operationem mõtem aureum eſſe impoſsibilem, requiritur, quod mons aureus, qui nullum eſſe habet in re, præcedat obiectiue in intellectu: at non ſic præcedit niſi ex vi ſimplicis apprehenſionis, cum ſola ſimplex apprehenſio iudicium noſtrum neceſſariò præcedat: ergo vi apprehenſionis ſimplicis habet mons aureus eſſe tantum obiectiue in intellectu, & conſequenter vi illius fit ens rationis.

174 *Obijcies.* Cognitio factiua entis rationis eſt actio comparatiua, vt ex prima concluſione conſtat: ſed ſimplex apprehenſio nequit eſſe actio comparatiua: ergo actio factiua entis rationis nequit eſſe ſimplex apprehenſio. Prob. min. *Tùm* quia cognitio cõparatiua eſt compoſitiua, applicat enim vnum alteri, ac proindè vnum cum altero componit: ſed ſimplex apprehenſio compoſitiua non eſt: ergo non eſt cognitio comparatiua. *Tùm* quia cognitio comparatiua non eſt repræſentatiue ſimplex, cum attingat plura: ſed ſimplex apprehenſio eſt actus repræſentatiuè ſimplex: ergo.

175 *Confirm.* Cognitio factiua entis rationis non eſt conformis cum obiecto, cum rem attingat aliter ac eſt in ſe: ſed ſimplex apprehenſio ſemper eſt conformis cum obiecto: ergo cognitio factiua entis rationis non eſt ſimplex apprehenſio. *Vrgetur.* Implicat, quod effectus, hic, & nunc exiſtat ab vna cauſa, & quod ſimul hic, & nunc deſtruatur ab alia, eſſet enim ſimul, & non eſſet talis effectus: ſed hoc ſequeretur ex eo, quod ens rationis fieret per apprehenſionem ſimplicem: ergo implicat fieri per illam. Prob. min. Mons aureus v.g. exiſtens hic, & nunc per apprehenſionem deſtrueretur per iudicium hic, & nunc ſimul exiſtens, & negans montem aureum eſſe poſsibilem: ergo exiſtens ab vna cauſa ſimul deſtrueretur ab alia.

176 *Reſp.* conceſſa mai. neg. min. Ad eius 1. prob. diſting. mai. Cognitio comparatiua eſt compoſitiua *per modum affirmationis vnius de altero* neg. mai. *per modum connotationis vnius ad alterum* conced. mai. & hoc ſecundo modo, licèt non primo, poteſt eſſe compoſitiua ſimplex apprehenſio, vt cum Romam apprehendimus ad inſtar Matriti nil affirmando, vel negando, ſed cognoſcendo Romam, non cognitione abſoluta, ſed connotante Matritum. *Simimiliter* ad 2. prob. diſting. mai. cognitio comparatiua non eſt repræſentatiuè ſimplex, *ſimplicitate excludente habitudinem vnius ad alterum* conced. mai. *excludente affir-*

firmationem,seu vnionem vnius cum altero neg.mai.Simplex apprehensio est repræsentatiuè simplex per exclusionem affirmationis vnius de alio, secus per exclusionem habitudinis vnius ad aliud, Pater enim est obiectum simplicis apprehensionis, & tamen est obiectum,quod nequit attingi sine habitudine ad filium.

177 *Ad confirm.*constat ex dictis in quæst. proæmiali, nam licet simplex apprehensio sit semper conformis cũ obiecto quoad prædicata formaliter repræsentata in specie, secus tamen quoad prædicata, quæ tantùm sunt ibi virtualiter. *Præterquam quod* cum simplex apprehensio est connotatiua, non attingit necessariò obiectum per speciem propriam, ac proinde potest esse non conformis obiecto. *Nec ex his* inferas, & quod simplex apprehensio sit actus falsus, & quod ens rationis necessariò exigat fieri per actum falsum; nàm licet omnis actus falsus sit non conformis obiecto, non tamen è conuerso, omnis nõ conformis obiecto est falsus,nàm ad hoc requireretur, quod esset disconformis per modum affirmationis, aut negationis alicuius prædicati, vel quod de subiecto affirmaretur, cum ipsi in re non conueniret, vel quod cum in re conueniret subiecto, de ipso negaretur.

178 *Ex his infertur*, ne in alia conclusione exprofessò probanda tempus insummamus, quod licet ens rationis possit fieri per actum falsum, non tamen exigit necessariò fieri per actum falsum. Prima pars patet; nàm hic actus *homo est equus* est essentialiter falsus:sed per hunc actum fit ens rationis,identitas scilicet, ficta hominis cum equo: ergo ens rationis potest fieri per actum falsum. Quoad 2.vero partem prob. *Tum* ex dictis, quia potest fieri ens rationis per simplicem apprehensionem,in qua non est formaliter veritas,nec falsitas. *Tùm* quia potest fieri per iudicium omnino verum,vt per hoc *homo est rationalis* fiunt secundæ intentiones subiecti, & prædicati, quas illud iudicium nec affirmat, nec negat, sed exercite ibi fiunt, & cognoscuntur per illud iudicium, quod solam affirmat identitatem,

179 *Hinc iam* id, quo argumentum vrgetur, concessa mai. neg.min.Ad prob.neg.antec.nam iudicium negans montem aureũ esse possibilem opponitur,& destruit iudicium affirmans illum esse possibilem, non tamen opponitur,sed componitur cum apprehensione eiusdem vt possibilis,hæc enim est indifferens,vt supra obiectum illius cadat,vel assensus medio iudicio affirmatiuo, vel dissensus medio iudicio negatiuo.

180 *His circa* primam partem conclusionis propositæ num.175. stabilitis,prob.eius secunda pars, scilicet,quod per secundam opera-

rationem intellectus fiant entia rationis. Vnio impossibilis prædicati cum subiecto existens obiectiuè in intellectu est ens rationis; sed hanc vnionem efficit secunda operatio: ergo secunda operatio efficit ens rationis. Prob.min.nàm in hac propositione *homo est Equus* secunda operatio efficit vnionem prædicati cum subiecto: sed talis vnio est impossibilis, & existit obiectiuè in intellectu: ergo. *Confirm.* ex dictis nam quodlibet iudicium nostrum eadem tendentia, qua signatè; & vt quod prædicat vnum de alio, exercitè,& vt quo attingit, & efficit respectus, quibus inuicem se respiciunt subiectum, & prædicatum, isti enim respectus resultant ex actu, quo vnum dicitur de alio: sed tales respectus sunt respectus rationis: ergo per tale iudicium,seu compositionem mentalem fiunt entia rationis.

181 *Vtraque ratio* potest facilè applicari tertiæ operationi: etenim connexio ficta vnius cum altero est ens rationis: sed hanc cõnexionem efficit tertia operatio, cum v.g.ex hoc quod Petrus sit homo infert illum esse hinnibilem: ergo tertia operatio efficit ens rationis. *Deindè.* Respectus antecedentis, & consequentis, maioris, & minoris extremitatis sunt secundæ intentiones rationis: sed prædictos respectus efficit tertia operatio, fiunt enim, intellectu disponente præmissas, & ex eis aliquid inferente: ergo. *Contra* hanc, & præcedentem conclusionem nil se offert quod non maneat solutum ex dictis.

QVÆSTIO III.

De vniuersalibus.

1 INter *species* entis rationis primum locum obtinet vniuersalitas in consideratione Logica, ideoque præsens tractatus specialiori discussione eget inter reliquos: tùm quia ab eo pendet exacta notitia omnium prædicabilium, quæ sub vniuersali velut sub proprio genere cõtinentur, indeque etiam pendet cognitio prædicatorum superiorum, & inferiorum, vt debitè prędicamenta coordinentur. *Tùm* quia occasione vniuersalitatis agitur in præsenti de distinctione, vnitate, præcisioneque graduum rem constituentium,quibus difficultatibus nulla extat inter Logicos celebrior.

ART. I.

An dentur vniuersalia in rebus?

§. I.

Multiplex acceptio vniuersalis præmittitur.

2 VNiuersale, attenta vocis impositione, est *vnum versus plura*, siue *vnum respiciens plu-*

plura, & est triplex, *vniuersale in causando*, *vniuersale in repræsentando*, & *vniuersale in essendo*, aut *prædicando*. Vniuersale in causando est causa, *quæ plures effectus diuersæ rationis potest causare*, vt Deus, cuius causalitas ad omnia se extendit, & Sol, qui cuncta sublunaria producit. Vniuersale in repræsentando est id, *quod repræsentat plura*, vt species Angeli, & hæc vox *homo*. Vniuersale in essendo, aut prædicando est iuxta Philosophum 7. Metaphis. lect. apud D. Thomam 13. *quod pluribus in esse natum est*, vel iuxta ipsum 1. Perhierm. lect. apud D. Thom. 10. *quod de pluribus natum est prædicari*; ex quibus locis elicitur communi plausu recepta hæc vniuersalis in essendo, aut prædicando diffinitio, scilicèt, *vnum in multis*, & *de multis*; in multis, vt eius denotetur vniuersalitas in essendo; de multis, vt eius exprimatur vniuersalitas in prædicando: quæ non tàm sunt duo genera vniuersalitatis, quàm vnum, & idem, cuius essentia est aptitudo ad essendum in multis, & cuius proprietas est aptitudo, vt prædicetur de multis. Relictis vniuersali in causando, de quo Metaphisica, & vniuersali in repræsentando, de quo agit Dialectica, de solo vniuersali in essendo, aut prædicādo præsens procedit disputatio.

3 *Ex præmissa* vniuersalis diffinitione aliquæ colliguntur conditiones requisitæ, vt aliqua natura denominetur vniuersalis in essendo. *Requiritur* 1. quod sit vna perfectè, quæ conditio explicatur per ly *vnum* positum in diffinitione vt contrapositum ad multa, quod enim perfectè vnum non est, multiplex quodam modo, & diuersum est; & hac ratione nec æquiuoca, quæ in sola voce conueniunt, nec analoga, quorum ratio communis est partim eadem, & partim diuersa, possunt esse vniuersalia. *An autem* talis perfecta vnitas rationis, qua vniuersale est formaliter vnum, debeat esse intrinseca, vel potiùs purè extrinseca, pendet ex dicendis circa præcisiones obiectivas, vel formales, & ex his, quæ circa efficientiam vniuersalis dicenda sunt, de quibus postea.

4 *Requiritur* 2. quod natura sit potens esse in multis, ita vt multiplicetur in illis; nam vniuersale est natura, quæ cum in re sit, aut possit esse multiplex, fit vna per intellectum abstrahentem illam à differentijs, quibus fit multiplex: hac ratione natura Diuina vniuersalis Logice non est, quia licèt vna sit in pluribus personis, non tamen in pluribus Dijs. *Nec obstat*, quod si vniuersale est natura perfectè vna, excludit sui multiplicationē, cum qua pugnat vnitas. *Nam* vnitas perfecta opponitur quidem multiplicationi, & sic natura vt in inferioribus multiplicata, & diuisa, non est vna, non tamen opponitur multiplicabilitati, idest, natura vniuersalis est natura vna potens in pluribus multiplicari: sicut to-

tum perfectè vnitum non eſt diviſum, eſt tamen diviſibile, ſeu potens dividi, quia diviſio eſt, non diviſibilitas, quæ opponitur vnioni.

5 *Requiritur* 3. quod natura vniverſalis poſsit eſſe in multis per identitatem realem cum illis, ideſt, per indentitatem excludētem realem ſui diſtinctionem ab illis; quod requiſitum patet, quia requiritur, quod poſsit eſſe ita in multis, vt poſsit verè affirmari de illis, & nihil poteſt verè affirmari de illo, cum quo non eſt realiter idem. *Non tamen* requiritur, quod ſit idem etiam per rationem cum illis, nam vniverſale eſt natura, quæ reſpicit multa vt ſibi inferiora, aliter non compararetur ad illa vt vniverſalis; inter ſuperius autē, & inferius aliquam diſtinctionem ſaltim rationis intercedere neceſſum eſt.

6 *His conditionibus* ex ipſa vniverſalis diffinitione elicitis, & præſuppoſitis; dividitur vniverſale in eſſendo in vniverſale metaphiſicum, & logicum. Vniverſale metaphiſicum eſt natura abſtracta à differentijs, vt cum homo conſideratur, non conſideratis differentijs individualibus, per quas contrahitur *vt* ſit Petrus, vel Paulus; quod vniverſale ideò dicitur (alijs ommiſsis titulis) metaphiſicum, quia proprium eſt Metaphiſicæ res conſiderare vt abſtractas ab omnibus differentijs, ſeu conditionibus, quibus individuantur, ita, vt non ſolum de ipſis ſic abſtractis agat, nam hoc etiam habent aliæ ſcientiæ, quę de ſingularibus non dantur, ſed agat de his, quæ rebus conveniunt vt abſtractis, & quia abſtractis, cuiuſmodi eſt vnitas competens naturæ, quia à ſingularibus abſtractæ. Vniverſale logicum non ſolum eſt natura vna, ſed inſuper reſcipiens plura, in quibus poteſt eſſe, & de quibus prædicari poteſt, qui reſpectus eſt ſecunda intentio directiva intellectus, vt verè, & ordinatè concipiat prædicata rerum, ac proindè pleno iure pertinens ad Logicam.

7 *Sed vt omnis* vitetur confuſio circa vniverſale Logicum, de quo ſpecialiter agimus, obſervandum eſt, quod illud poteſt tripliciter accipi, *fundamentaliter remote, fundamentaliter proximè, & formaliter.* Vniverſale Logicum fundamentaliter remotè ſumptum eſt ſubſtractum, ſivè natura, quæ denominatur vniverſalis, vt homo, qui vniverſalis eſt reſpectu Petri, & Pauli. Vniverſale fundamentaliter proximè, quod eſt idem ac vniverſale metaphiſicum, eſt natura abſtracta ab inferioribus, vt homo conſideratus ſine numerica individuorum diverſitate. Vniverſale logicum formaliter eſt natura non ſolum conſiderata ſine differentiis, ſed inſuper reſpiciens poſitivè plura inferiora, vt potens eſſe in illis, & prædicari de illis.

8 Circa præſens igitur dubium duo ſunt extremè oppoſita placita,

ta, aliud Platonis inter antiquos Philosophos celebre existimantis apud Aristot. 7. metaph. cap. 8. dari naturas vniuersales à singularibus separatas, per se existentes, æternas, & improductas, realiterque communes ipsis singularibus, quasi quasdam ideas, ex quarum participatione suo tempore singularia formarentur, sicut ex impressione sigilli in cera variæ formantur sigillationes materialiter tantùm distinctæ.

Huic placito aliud extremè oppositum fuit Nominalium admittentium quidem vniversale in repræsentando, secus verò in essendo, nam voci, siue conceptui in significando, vel repræsentando vniuersali negabant correspondere ex parte obiecti aliquid commune. Sed quia ab hac Nominalium sententia, & si communiter reiecta, parum, vel voce tenùs distare iudicamus RR. qui ex vna parte concedentes vniversalia in essendo, ex alia negant ea ex parte obiecti esse quid distinctum à singularibus, cuius placiti impugnatio pendet præcipuè ex dicendis circa præcisiones obiectivas; ideò Nominalium sententiam in præsenti reijciemus præcisè, vt ad præsens spectat, ne eadem repetamus dubia, & incipientium Logicorum captum confundamus.

§. II.

Nullum datur vniuersale in essendo realiter separatum à singularibus.

9 HÆc *conclusio* statuitur contra delirium Platonicum, & prob. 1. Nihil realiter separatum ab aliquo, potest de ipso verè prædicari, cum prædicatio vera requirat necessario extremorum identitatem; sed omnis natura vniversalis in essendo potest, & de facto prædicatur verè de singularibus, vt est manifestū: ergo nulla natura vniversalis in essendo est realiter separata à singularibus. *Prob.* 2. Natura realiter separata à singularibus est realiter vna, & natura, quæ verè de ipsis prædicatur, est cum ipsis realiter identificata: sed repugnat natura creata, quę sit realiter vna, & sit cum pluribus realiter identificata: ergo vel natura illa non potest verè prędicari de singularibus, & sic non est natura vniversalis, vel non est realiter separata à singularibus. Prob. 3. Repugnat ens positiuum, æternum, & improductum à Deo distinctum: sed natura humana, v.g. est ens positivum à Deo distinctum: ergo repugnat natura humana æterna, & improducta.

10 *Obijcies.* Scientiarum obiecta sunt necessaria, & indefectibilia: sed obiecta scientiarum sunt naturæ vniuersales: ergo dantur naturæ vniuersales necessariæ, & in-

indefectibiles. *Tunc sic*: sed non sunt necessariæ, & indefectibiles prout in singularibus, quia quidquid est in singulari est contingens, & defectibile: ergo dantur naturæ vniversales extra singularia, & ab eis separatæ. *Confirm.* 1. Hæc propositio *homo est risibilis* est æternæ veritatis: ergo eius obiectum est æternum: sed nihil realiter identificatum cum singularibus est æternum: ergo datur homo ab æterno à singularibus realiter separatus, & distinctus. *Confirm.* 2. Obiectum nostri intellectus, qui potentia spiritualis est, nequit esse aliquid materiale, sicut è conuerso obiectum potentiæ materialis nequit esse aliquid spirituale: sed omne realiter identificatum cum singularibus materialibus est materiale: ergo obiectum nostri intellectus, quod est vniuersale, nequit esse aliquid identificatum cum singularibus materialibus, ac proinde datur vniuersale ab ipsis realiter separatum.

11 *Hoc erat* fundamentum Platonis, quo motus dum Heracliti, & Cratilli negantium scientias delirium impugnat, in aliud incidit. *Resp.* ergo disting. mai. Obiecta scientiarum sunt necessaria, & indefectibilia *quoad connexionem* conced. mai. *quoad existentiam* neg. mai. & hoc modo sunt indefectibiles naturæ repertæ in singularibus; cum enim dicitur, quod homo necessario est risibilis non est sensus, quod necessario, aut semper existat homo, quia est risibilis, sed quod si homo existat, numquam sine risibili existat, quod est necessarium esse, non existentiam hominis, sed eius connexionem cum risibili. *Ex his patet ad* 1. confirm. obiectum enim illius propositionis est æternum quo ad connexionem prædicati cum subiecto, ideoque propositio dicitur æternæ veritatis.

12 *Insurbis.* Scientiæ ita sunt de vniuersalibus, vt non detur scientia de singularibus, quia singularia sunt contingentia, & defectibilia, obiectum autem scientiæ est indefectibile, & necessarium: sed si sola necessitas quoad connexionem desideratur in obiecto scientiæ, non est cur scientiæ ita sint de vniuersalibus, vt non sint de singularibus: ergo vel obiectum scientiæ est necessarium etiam quoad existentiam, vel datur scientia de singularibus. Cætera patent, & min. prob ex eo quod singularia habent necessariam connexionem cum pluribus prædicatis, cum omnibus scilicet illis, quæ sunt propria naturæ, cuius sunt indiuidua, Petrus enim necessario connectitur cum risibili, admiratiuo, & alijs huiusmodi proprietatibus hominis; connectitur preterea vt singulare cum hoc quod sit indiuiduum, quod continet hac numero anima, & alijs etiam huiusmodi: ergo si sola necessitas quoad connexionem desideratur in obiecto scientiæ, non est cur scientia non sit de singularibus.

13 *Resp.* concessa mai. neg. min. Ad prob. disting. antec. Singularia habent necessariam connexionem *ratione naturæ specificæ* cum pluribus prædicatis conced. antec. *ratione sui, & quia singularis* subdisting. habeat necessariam connexionem cum pluribus, *per quæ possit essentia indiuidui aliquomodo quoad nos explicari* conc. antec. *quæ possint de ipso verè quoad nos demonstrari* neg. antec. & conseq. Petrus quidem necessariò est admiratiuus, cæterum hæc cum admiratiuo, & cum alijs naturæ passionibus connexio non competit Petro quia tali, sed quia homini, non enim quia Petrus, sed quia homo, est admiratiuus; vnde licet quod demonstratur à scientia se extendat etiam ad singularia participantia naturam, non tamen demonstratur de singularibus vt talibus, & ideo de singularibus vt talibus non datur scientia. Connexio autem cum eo, quod sit indiuiduum, & cum eo, quod constet hac anima, est connexio cum suis constitutiuis, quæ non demonstrantur, sed per ipsa aliquomodo essentia indiuidui explicatur. Proprietates autem indiuiduales, quæ differentiam indiuidualem afficiunt, nequeunt de ipsa quoad nos demonstrari. *Tùm* quia differentia indiuidualis est nobis ignora. *Tùm* quia illæ affectiones non ità sunt propriæ huius, vt aliæ omnino similes in altero non reperiantur, vnde & si per ipsas, Petrus v. g. vel Paulus aliquomodo notificetur, non tamen possumus illas de Petro demonstrare.

14 *Hæc quidem* vera omnino sunt de indiuiduo exercitè sumpto. Petro scilicet, vel Paulo: si tamen indiuiduum consideretur signatè, & in communi, vt exprimitur his nominibus *Indiuiduum, Singulare, Prima substantia*, potest concedi, quod de ipso sit scientia, quæ solum pugnat cum defectibilitate, & contingentia indiuidui, siue singularis exercitè sumpti, in quo solo sensu singulare est defectibile: reuera enim, quidquid sit de demonstratione strictè tali, plura constat certò conuenire quidditati indiuidui vt à ratione specifica distincti, per quæ certò saltim diffinitiuè sciatur essentia indiuidui, licet hæc ipsa ità varijs, & æquiuocis accidentibus sint postea in exercitio confusa, vt vix possit constare quid hic, & nunc conveniat Petro, quod alteri omnino simili in his indiuiduo nequeat conuenire.

15 *Si vlterius* instes. Scientiæ ità agunt de necessarijs, vt saltim connexio extremorum sit necessaria: sed connexio extremorum non distinguitur ab ipsis extremis: ergo si ab æterno datur connexio inter hominem v.g. & risibile, ab æterno dantur extrema, nempè homo, & risibile.

16 *Resp.* concessa mai. disting. min. Connexio *intrinseca* extremorum non distinguitur ab extre-

tremis conced. mai. Connexio *extrinseca* neg. min. Connexio extrinseca est ipsamet Diuina Omnipotentia determinata ex se ad hoc vt numquam hominem sine risibilitate producat, vi cuius determinationis, siue connexionis extrinsecæ propositio illa est ab æterno vera. An autem connexio intrinseca cum extremorum essentijs identificata, quæ ab æterno non est nisi possibiliter, sit ab æterno aliquod esse nominale (nō existentiale) signatum, alterius est loci, de quo agimus in Philosoph. q. 7. art. c. 2. *Et quidem* argumentum Platonis manifestè instatur. Datur enim scientia de motu, Philosophia scilicet, quin ex hoç inferatur dari motum per se subsistentem, siue stantem, aliàs motus non foret: similiter hæc propositio homo est corruptibilis est necessaria, quin ab æterno existat homo corruptibilis, cum homo Platonicus non sit iuxta ipsum corruptibilis: aliud est ergo necessitas connexionis, aliud necessitas existentiæ.

17 *Hinc ad* 2. Confirm. argumenti disting. mai. obiectum nostri intellectus non est aliquid materiale materiali modo attactum conced. mai. attactum modo spirituali neg. mai. Nec inserta ibi paritas oppositum cōuincit; quia potentia inferior, qualis est materialis, nequit vllo modo se extendere ad obiectum spirituale, quod est obiectum potentię superioris spiritualis; at è conuerso Potentia superior spiritualis potest se extendere ad obiectum potentię inferioris materialis, dum illud attingat modo sibi proportionato, per speciem scilicet spiritualem repræsentantem obiectum sine materię conditionibus indiuidualibus.

§. III.

Dantur in rebus naturæ vniuersales in essendo distinctæ ab vniuersalibus in repræsentando.

18 HÆc *secunda* conclusio, quæ contra sententiam Nominalium militat, expresè docetur à Philosopho in 1. Perhierm. cap. 5. dicente, *quasdam res*) non ergo sola nomina) *esse vniuersales*, *quasdam particulares*. Tùm in ante prædicam. cap. 2. vbi vniuoca diffinit, *quorum nomen est commune*, *& ratio significata est eadem*: ergo nomini communi correspondet res significata communis.

Sed ne in æquiuoco laboremus, & vt sensus conclusionis propositæ antequam ipsa probetur, clarè percipiatur, obseruare oportet, quod dari in rebus naturas vniuersales dupliciter potest intelligi; primò, ita, vt in re, siue realiter detur non solùm homo v. g. qui denominatur vniuersalis, verùm etiam ipse status præcisionis, & vniuersalitatis, & in hoc sensu nequit procedere conclusio

sio, siquidem vt ex dictis contra Platonem constat, nullum datur à parte rei vniuersale à singularibus separatum, cum quidquid existat à parte rei, non aliter existat, quàm vt in singulari. In alio autem sensu potest intelligi, ita, vt licet natura, quæ denominatur vniuersalis, sit in se, & à parte rei identificata cum singularibus, sine illis tamen obijciatur intellectui vt quid omnino distinctum à conceptu repræsentante, vndè non solus conceptus, sed ipsa res (& sic accipitur dari in rebus vniversalia) vt à conceptu distincta sit vniversalis: quod licèt pendeat præcipuè ex dicendis in art. 4. circa precisiones obiectiuas, vt notavimus num. 8. tamē in præsenti contra nominalium sententiam assumitur probandum.

19 *Prob.* Igitur conclusio ratione. Voci, siue conceptui *homo* v. g. aliquid ex parte obiecti correspondet distinctum ab ipsa voce, & conceptu, quæ dicuntur vniuersalia in repræsentando: sed illud, quod eis ex parte obiecti correspondet, est vniuersale in essendo: ergo datur vniuersale in essendo distinctum ab vniuersali in repræsentando. Mai. est euidens, nam quod significatur per vocem, sicut & quod repræsentatur per conceptum non est ipsa vox, aut conceptus repræsentans, sed quid aliud, quod est obiectum repræsentationis eorum. Min. vero prob. vniuersale in essendo est quod identificatur cum pluribus, & de ipsis prædicatur: sed tale est obiectum correspondens significationi illius vocis, aut conceptus, homo scilicèt, identificatur enim cum Petro, & Paulo, & de ipsis prædicatur: ergo obiectum correspondens significationi illius vocis est vniversale in essendo.

20 *Confirm.* Plures scientiæ habent pro obiecto res ipsas, non voces, aut conceptus, scientia enim agens de Cœlo, vt Philosophia, aut agens de quantitate, vt Arithmetica, vel Geometria, non de his vocibus *Cœlum*, *Quantitas* sed de rebus per ipsas significatis agunt: sed agunt de vniuersalibus, cum omnium scientiarum obiectum sit aliquid vniuersale ergo non solum voces, aut conceptus, sed res ipsæ sunt vniuersales.

21 *Dices* correspondere quidem ex parte obiecti illi conceptui aliquid ab ipso distinctum, illud autem esse ipsa singularia ita confusè cognita, vt ex vi illius conceptus *homo* non possit discerni vllum singulare: & in ratione sic confusè cognitorum constituuntur per ipsam cognitionem confusam.

22 *Sed contra* 1. Nàm deprehenditur in primis, quàm parum, aut nil distent, vt supra notauimus, Patroni huius solutionis, nempè negantes præcisiones obiectivas, à sententia Nominalium concedentium sola vniversalia in repræsentando: Etenim iuxta so-

lutionem vniuersale, quod vocant in essendo, nil aliud est, quàm ipsa singularia, & confusa cognitio ea extrinsecè denominans confusè cognita: sed singularia ipsa non sunt quid vnum, sed plura, & solùm dicuntur vnum ab vnitate extrinseca cognitionis confusæ, cuius vnitas est præcisè vnitas in repræsentando: ergo solum admittitur vnum, quod sit vnum præcisè in repræsentando: ergo non in essendo: ergo non admittitur vniuersale in essendo, siquidem hoc debet esse vnum in ea linea, in qua est vniuersale. *Confirm.* Quod constituitur formaliter per vniversale in repræsentando, non distinguitur ab vniuersali in repræsentando, cum nulla res distinguatur formaliter ab eo, per quod formaliter constituitur: sed illud, quod AA. vocant vniuersale in essendo, constituitur formaliter iuxta ipsos per repræsentationem cognitionis confusæ, quæ est vniuersalitas in repræsentando: ergo quod dicitur vniuersale in essendo, est reuera indistinctum formaliter ab vniuersali in representando. Est ergo eorum sententia reuera indistincta à sententia Nominalium.

23 *Contra* 2. Huic voci *homo* correspondet ex parte obiecti, vt à significatione vocis distinctum aliquid affirmabile de pluribus, cum non vox ipsa significans, nec conceptus repræsentans, sed obiectum repræsentatum sit quod affirmatur de Petro, & Paulo: sed singularia ipsa non sunt aliquid affirmabile de pluribus: ergo quod illi voci correspondet ex parte obiecti vt à significatione vocis distinctum non sunt singularia. *Si dicas*, correspondere ex parte obiecti aliquid affirmabile de pluribus, non secundum se totum, sed secundum aliquam sui partem, quæ ibi apparet ad instar totius.

24 *Contra est.* Nàm in primis sequitur ex solutione, quod totum integrale sit vniuersale, aqua, v. gr. maris respectu suarum partium, licet enim non possit secundum se totum verè prædicari de qualibet parte, secundum aliquam tamen partem sui potest de qualibet parte verè prædicari; de qualibet enim guta potest secundum aliquam gutam prædicari mare: consequens est falsum, cum confundat totum integrale cum toto vniuersali, & potētiali, partesque integrantes cū partibus subiectiuis: ergo falsum est antecedens.

25 *Confirm.* Illi voci *homo* correspondet immediatè ex parte obiecti aliquid, quod verè potest affirmari de Petro: sed non posset verè affirmari de Petro, si secundum totum significatum Petro non conueniret: ergo si singularia secundum totum quod dicunt, nequeunt verè prædicari de Petro, singularia non sunt quod immediatè correspondet illi voci ex parte obiecti. Probamin.

min. Ideo hæc propositio *Anima est homo* est falsa, quia licet aliquid: quod includit prædicatum, conveniat subiecto, non tamen convenit illi secundum se totum prædicatum. *Explicatur.* Vt propositio affirmatiua sit vera, requiritur quod totum significatum ex parte prædicati conveniat subiecto, vnde hæc est falsa, *Anima est homo*: sed hæc propositio affirmatiua *Petrus est homo* est vera: ergo totum significatum ex parte prædicati conuenit subiecto: sed, iuxta solutionem singularia solum secundum aliquam sui partem conueniunt subiecto, & non secundum totum, quod dicant: ergo singularia non sunt significatum, quod immediatè correspondet illi voci.

26 *Denique.* Conceptus, siuè vox communis repræsentat immediatè aliquid, quod vere potest affirmari de Petro, & supra quod potest immediatè cadere distributio: ergo non repræsentat immediatè singularia, nec collectiuè, nec diuisiuè, ac proinde ea immediatè non repræsentat. Prob. conseq. Si repræsentaret immediatè singularia collectiuè, non repræsentaret immediatè aliquid, quod posset affirmari verè de Petro, nam singularia collectiuè sumpta non possunt de Petro verè prædicari, licet enim Petrus sit aliqua pars illius collectionis, non est tamen illa collectio, qua ratione *Petrus est plures homines* est propositio omnino falsa: ergo non significantur immediatè per illam vocem singularia collectiuè. Si autem immediatè repræsentaret singularia disiunctiuè, non posset distribui, qua ratione *aliquis homo* significans disiunctiuè singularia non potest distribui: ergo non significat singularia disiunctiuè. *Alias* vrgētiores probationes omittimus, quia pendent ex dicēdis circa præcisiones obiectiuas, & circa formam constitutiuam vniuersalis.

27 *Obijcies* 1. Vox vniuersalis primæ intentionis, verb. grat. *homo* significat immediatè aliquid potens existere à parte rei: sed quidquid à parte rei potest existere est singulare: ergo significat immediatè aliquid singulare. *Confirm.* Homo vt significatus per illam vocem, potest existere: sed sine singularitate non potest existere: ergo non significatur sine singularitate. Argumentum manifestè instatur in sententia obijcientium: singularia enim non possunt in re existere sine differentia vnius ab altero: & tamen non significantur per illam vocem, cum differentia, qua differt vnum ab altero, cum iuxta ipsos per illam vocem, seu conceptum, repræsententur singularia, & appareant ita confusa, vt nequeat vnum discerni ab altero.

28 *Resp.* ergo disting. mai. Vox homo significat immediate ali-

quid potens existere a parte rei, *quoad rem significatam*, conced. mai. *quoad modum sub quo significatur* neg. mai. & concessa min. disting. conseq. ergo significat immediatè aliquid singulare, idest, *aliquid, quod identice est singulare* conced. conseq. *quod formaliter, obiectiuè est singulare* neg. conseq. *Ex quo* ad confirm. disting. mai. homo vt significatus per illam vocem potest existere, ly vt *dicente rem, quæ significatur* conced. mai. *dicente modum, sub quo significatur* neg. mai. & concessa min. neg. conseq. Res significata per ly *homo* potest in re existere, non tamen potest existere sub modo solitudinis, & præcisionis, sub quo exercitè significatur; ex quo non sequitur, quod non significetur præcisiuè à singularibus, sed quod præcisio à singularibus non sit res per vocem significata, qua ratione significatur per hanc vocem *præcisio à singularibus*, vel per terminum secundæ intentionis, sit tamen modus ex parte obiecti exercitus, sub quo homo significatur.

29 *Obijcies 2.* Terminus communis significat plura divisim, vt constat ex eius diffinitione, quam tradunt Dialectici: ergo termino communi non correspondet ex parte obiecti aliquid vnum, sed plura. *Neg. conseq.* quia vt ab eisdem Dialecticis exponitur, significare plura divisim est significare vnum seorsim affirmabile de pluribus.

30 *Si instes.* Vnum affirmabile de pluribus est totum divisibile in plura: sed totum nil aliud est præter partes; ergo significare vnum affirmabile de pluribus nil aliud est, quam significare partes, siue plura. *Resp.* concessa mai. disting. min. totum *actuale* nil aliud est præter partes, conced. min. totum *potentiale* neg. min. & conseq. Totum potentiale est ratio communis obiectiua distincta formaliter à partibus, quas cum contineat in potentia, non per eas, sed per aliquid distinctum obiectiuè ab eis constituitur, vnde animal non constituitur per hominem, & Equum, quos respicit vt partes subiectiuas, sed per vivens sensibile, quod à rationali, & hinnibili distinguitur obiectiuè, ac proindè tale totum aliquid aliud est obiectiuè formaliter præter partes: totum verò actuale, siue phisicum, nil aliud est quàm eius partes, quas actu cõtinet, & quibus actu constituitur, qua ratione homo anima, & corpore constituitur.

31 *Obijcies 3.* Res significata per terminum communem potest prædicari de quolibet singulari: sed de singulari nequit prædicari vniuersale: ergo vniuersale non est res significata per terminum communem *Prob. min.* 1. Totum nequit prędicari de parte: sed vniuersale est totum respectu singularis, & singulare respectu vniuersalis est pars: ergo vniuersale nequit prædicari de sin-

singulari. *Prob. min.* 2. Hæc propositio, *singulare est vniuersale*, est falsa: ergo vniuersale nequit prædicari de singulari. *Prob. denique*. Si daretur natura vniuersalis, quæ posset prædicari de Petro, & Paulo, Petrus, & Paulus identificarentur cum vno tertio, cum homine scilicet, nàm vterque est homo: ergo identificarentur inter se, quia quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. Consequens est falsum: ergo non datur natura cōmunis Petro, & Paulo, quæ de ipsis prædicetur.

32 *Resp.* Concess. mai. neg. min. *Ad eius* 1. *prob.* disting. mai. Totum *actuale* nequit prædicari de parte conced. mai. Totum *potentiale* neg. mai. Totum actuale cum actu includat suas partes excedit quamlibet diuisiuè sumptam, ac proinde non potest de qualibet prædicari, qua ratione diximus hominem non posse prædicari de anima: at totum potentiale cum non includat actu suas partes, sed tantum in potentia, ratione illius, quod actu dicit, partem non excedit, cum in qualibet parte reperiatur, qua ratione viuens sensibile, quod actu dicit animal, tàm in Equo, quàm in homine reperitur, vt quid vtrique commune, ac proinde potest animal de quolibet ex illis prædicari.

33 *Ad* 2. *min.* prob. concesso antec. disting. conseq. vniuersale, *quoad secundam intentionem vniuersalis* non prædicatur de singulari conced. conseq. *quoad naturam, quæ denominatur vniuersalis* neg. conseq. Sicut prædicatum est id, quod dicitur de subiecto, & tamen hęc est falsa *subiectum est prædicatum*, ita vniuersale prædicatur de singulari, & tamen hæc est falsa; *singulare est vniuersale*; & ratio vtriusque est eadem, quia sicut dum dicitur, quod prædicatum dicitur de subiecto, non est sensus, quod secunda intentio, siue respectus prędicati sit, quod dicatur de subiecto, sed res, quæ à secunda intentione prædicati denominatur; ita vniuersale prædicari de singulari non est, quod secunda intentio vniuersalis dicatur de singulari, sed res, quæ denominatur vniuersalis; per illas enim voces *vniuersale*, & *singulare* significantur vt quod respectus vniuersalis, & singularis, per illas autem *homo*, & *Petrus* significantur vt quod, & signatè solùm res ipsæ, quæ à secundis intentionibus denominantur; secundæ autem intentiones solùm exercitè, & ex modo significandi; qua ratione, & si homo sit species, & Petrus sit homo, hæc tamen propositio *Petrus est species* est falsa.

34. *Ad vltimam* prob. resp. neg. conseq. & ad eius insertam *prob.* Explico antec. Quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se, *si tertium sit vnum perfectè* conced. antec. si sit imperfectè vnum sola vnitate præcisionis neg. antec. nam quod ita est vnum, reuera est multiplex in re, & eatenus sit vnum,

vnum quatenus cognoscitur præcisè à differentijs, quibus in re est diuisum, & consequenter ex identitate Petri, & Pauli cum homine, qui ideo præcisè est vnus, quia concipitur sine distinctiuo, quod in re habet, non sequitur identitas realis, & perfecta Petri, & Pauli inter se. Alia plura possent obijci, quæ tamen opportunius obijcientur in art. sequentibus, à quorum resolutione pendet.

ART. II.

An gradus superiores, & inferiores distinguantur distinctione formali ex natura rei?

35 GRadus nil aliud sunt, quam prædicata metaphisica, superiora, & inferiora alicuius rei, v. g. ratio *substantiæ, corporis, viuentis, animalis, rationalis*, & etiam differentiæ indiuidualis, per quæ omnia prædicata alia alijs superiora constituitur Petrus, quæque gradus dicuntur, quia dum ea cognoscimus, quasi ascendimus, & descendimus. Probauimus eos non ita distingui, vt superiores dentur realiter separati ab inferioribus; modo inquirimus vtrum aliqua minori distinctione secernantur à parte rei.

§. I.

Status quæstionis aperitur.

36 SVpponendum est 1. distinctionem esse carentiã identitatis, tunc enim duo distinguuntur quando vnum non est alterum; sunt autem duo distinctionum genera indubitata, nempe distinctio realis, & rationis: distintio realis est quæ datur in re antecedenter ad operationem intellectus: distinctio rationis est, quæ à parte rei non datur, sed per rationem fingitur. Hæc distinctio rationis, alia est rationis ratiocinantis, idest, sine fundamento in re, alia cum fundamẽto in re, quæ dicitur distinctio rationis ratiocinatæ, quarum expositionem dedimus supra quæst. 2. art. 2.

37 *Supponendum* est 2. quod inter distinctionem realem, & distinctionem rationis hoc modo explicatas non potest excogitari distinctio media. *Tùm* quia distinctio est passio entis: sed duplex tantùm est ens, nimirum reale, & rationis, vt docuit Philosoph. lib. 4. Metaph. dicens. *Omne ens esse in re, vel in sola apprehensione*: ergo duplex tantùm est distinctio, realis videlicet, & rationis. *Tùm* quia inter esse ante operationem intellectus, & non esse ante operationem intellectus non datur medium: sed iuxta explicationem supra positam distinctio realis est, quæ datur ante operationem intellectus, & distinctio rationis, quæ non datur ante operationem intellectus: ergo inter illas sic explicatas non datur distinctio media. Nec eam in prædicto sensu asseruit Scotus, teste Merinero disput. 1. de vniuersal. num. 12.

38 *Supponendum* est 3. quod distinctio realis, quæ datur ante operationem intellectus, subdiuiditur in distinctionem realem, entitatiuam, & distinctionem realem modalem: distinctio realis entitativa est distinctio quæ versatur inter rem, & rem, quæ solent esse mutuò separabiles, quo pacto distinguuntur Petrus, & Paulus, corpus, & anima. Distinctio realis modalis est quæ versatur inter rem, & modum, ex quibus modus nequit existere sine re, bene tamen res sine modo; qua ratione distinguuntur Petrus, & eius sessio.

39 *Vltra has* distinctiones ab omnibus communiter receptas, aliam meditatus est Subtilis Doctor, quam mediam vocat inter distinctionem realem, & rationis, non quia non sit distinctio realis, prout distinctio realis est idem ac distinctio à parte rei; sed quia non est realis entitatiua, seu distinctio realis entitatum, sed formalitatum, sicque est media inter distinctionem realem sic acceptam, & distinctionem rationis, nam nec est distinctio rationis, quia est distinctio à parte rei, nec est distinctio entitatiua, cum non inter entitates, sed inter formalitates eiusdem rei versetur; eam autem propriè dicendam distinctionem formalem ex natura rei docent Scotistæ; *formalem*, quia est inter eiusdem rei formalitates; *ex natura rei*, quia non beneficio intellectus, sed ante omnem operationem intellectus conuenit rebus ex earum propria natura, laudatique cum suo Doctore distingui gradus superiores, & inferiores. Oppositam tamen sententiam defendunt non solum Thomistæ omnes, sed & alij DD. communiter.

§. II.

Nulla datur formalis distinctio ante omnem operationem intellectus inter gradus superiores, & inferiores eiusdem rei.

40 **C**onclusio ista passim traditur à D. Thoma, qui ad verificanda prædicata ex se contradictoria de eadem re, ad nullam aliam recurrit distinctionem, quàm ad distinctionem rationis, vt artic. seq. constabit. Constat etiam ex eodem Angelico Præcept. 1. p. q. 50. art. 3. ad 1. dicente: *Genus, & differentia in Angelo non accipitur secundum aliud, & aliud, sed secundum vnum, & idem, quæ tantum differunt secundum considerationem nostram*: non ergo differunt alia actuali distinctione, quæ intellectus considerationem præveniat.

41 Prob. insuper conclusio ratione, qua distinctio media impugnatur. Distinctio media est duplex formalitas realiter identificata, & formaliter in re distincta; sed implicat duplex formalitas realiter identificata, & formaliter in re distincta: ergo implicat

...inctio media, Prob. min. ... duplex formalitas in re formaliter distincta est duplex formalitas ita in re distincta, vt ratio formalis, & diffinitio obiectiua vnius non sit in re ratio formalis, & diffinitio obiectiva alterius, ideò enim adstruitur distinctio hæc, vt postea constabit, ab Scoto inter duas formalitates eiusdem rei, animalitatem scilicet, & rationalitatem, quia vna non est de conceptu diffinitiuo alterius, nec ratio formalis vnius est ratio formalis alterius: sed si duplex illa formalitas est realiter identificata, implicat, quod ratio formalis, & diffinitio obiectiva vnius non sit in re ratio formalis, & diffinitio obiectiva alterius: ergo implicat, quod sit realiter identificata, & sit formaliter in re distincta. Prob. min. Identificari realiter formalitates est vnam formalitatem esse in re alteram: sed formalitates ipsæ sunt rationes formales, & diffinitiones obiectiuæ sui ipsius, siue vnius & alterius: ergo implicat formalitates realiter idẽtificari, quin ratio formalis, & diffinitio obiectiva vnius sit ratio formalis, & diffinitio obiectiva alterius.

42 *Confirm.* & explicatur: Quia ratio formalis, & diffinitio obiectiua rationalitatis v.g. non est ratio formalis, & diffinitio obiectiva animalitatis, animalitas, & rationalitas distinguuntur distinctione formali: ergo si ratio formalis, & diffinitio obiectiva vnius per intellectum tantùm non sit ratio formalis, & diffinitio obiectiva alterius, tantum per intellectum, & non in re, erit illa distinctio formalis inter vtramque. Patet conseq. Nam effectus eo modo datur, quo datur causa formalis illius: sed causa, vel ratio distinctionis formalis inter illas formalitates, est, quod ratio, & diffinitio vnius non sit ratio, & diffinitio alterius: ergo si hæc causa, vel ratio in re non est, distinctio illa formalis non erit in re, sed per intellectum tantùm. *Tunc sic*: sed implicat, quod illa duplex formalitas sit realiter identificata, siue sit in re altera, & quod ratio formalis, & diffinitio obiectiva vnius non sit in re ratio formalis, & diffinitio obiectiva alterius, cum (vt probatum est) ipsæ formalitates sint rationes formales obiectivæ sui ipsius: ergo implicat quod illa duplex formalitas sit realiter identificata, & quod sit formaliter in re distincta.

43 *Per quam rationem* sic confirmatam, & expositam præcluditur communis euasio consistens in eo, quod ratio, quare duplex illa formalitas distinguitur formaliter in re, est quia ratio formalis vnius non est formaliter in re ratio formalis alterius; ex discursu autem facto solùm colligitur, quod in re ratio formalis vnius sit identice, & materialiter, secùs formaliter, ratio formalis alterius; vnde aliud est, quod identitas, quam conuincit ra-

ratio facta, sit identitas in re formalitatum, quod non negat Scotus, aliud vero, quod sit identitas formalis, de qua est litigiū, & quæ ratione facta non suadetur.

44 *Præcluditur* (inquam) nam vnum esse in re entitativè alterum, nihil aliud est, quam entitatem vnius esse in re entitatem alterius; vnum esse formaliter in intellectu alterum, nihil aliud est, quam quod in intellectu ratio formalis vnius sit ratio formalis alterius: ergo vnum esse in re formaliter alterum, nihil est aliud, quàm rationem formalem vnius esse in re rationem formalem alterius: sed discursu facto probatur, quod ratio vnius sit in re ratio formalis alterius: ergo non solum probatur identitas realis formalitatum, sed identitas formalis, quæ talis sit in re. *Vrgetur*. Quia esse entitativè alterum, est entitatem vnius esse entitatem alterius, implicationem involueret qui diceret entitatem vnius esse in re entitatem alterius, & nihilominus entitativè in re distingui: sed ex terminis (vt postea contrahatur ad præsentem materiam) duo esse formaliter idem, est quod ratio vnius sit ratio formalis alterius: ergo qui ex vna parte dicit, quod ratio formalis vnius est in re ratio formalis alterius, & ex alia, quod formaliter in re distinguuntur, implicatoria involuit.

45 *Prob.* 2. min. prim i syllogismi. Duplex formalitas formaliter in re distincta, & realiter identificata est duplex formalitas realiter distincta, & realiter identificata: sed implicat duplex formalitas realiter identificata, & realiter distincta: ergo implicat duplex formalitas illa distinctione media distincta. Prob. mai. formalitas in re distincta ab altera est formalitas realiter distincta ab illa, cum esse realiter distinctum ab altero, nil aliud sit, quam in re distingui ab illo: sed vnam formalitatem esse formaliter in re distinctam ab alia est esse in re distinctam ab illa; quia quod illa distinctio sit formalis, non tollit iuxta eius defensores, quod absolutè sit in re distinctio: ergo duplex formalitas formaliter in re distincta est duplex formalitas realiter distincta, & cum aliàs sit realiter identificata, erit realiter identificata, & realiter distincta.

46 *Si dicas* quod illa distinctio, & si actu in re sit distinctio, non est tamen absolutè dicenda distinctio realis, ne videatur talis distinctio, qualis est inter duas entitates mutuo separabiles, aut inter entitatem separabilem à modo; sed dicenda est realis formalis, quia versatur inter formalitates inseparabiles eiusdem rei, quæ proprius dicitur distinctio formalis ex natura rei.

37 *Contra* est 1. Nam quod est actu tale in re absolutè est tale realiter, bonum enim absolutè tale in re est bonum realiter, & absolutè existens in re est abso-

solutè existens realiter: ergo quod actu absolutè est in re distinctum, absolutè est distinctum realiter. *Nec* inseparabilitas suadet oppositum; nam licèt separatio sit signum distinctionis, in illa tamen non consistit, non enim sunt aliqua distincta, quia separantur, sed separantur, quia sunt distincta. vnde cum distinctione potest componi inseparabilitas, si aliunde sit connexio essentialis inter extrema distincta, vt patet (alijs omissis) in Diuinis personis realiter distinctis, & essentialiter inter se connexis: Restat ergo, quod distinctio absolutè realis nil aliud sit, quam distinctio actu talis in re, & consequenter non est vnde illa distinctio sit media, sed absolutè est dicenda distinctio realis.

48 *Contra* 2. Quidquid sit de voce, illa duplex formalitas est actu in re distincta, hæc enim propositio sine vllo addito est vera, cum distinctio illa absolutè sit distinctio in re: ergo illa duplex formalitas non est actu in re identificata. Patet conseq. Nam quæ distinguuntur, eo in sensu, in quo distinguuntur, non identificantur: ergo si de illa duplici formalitate est absolutè verum, quod est actu in re distincta, est absolutè quoque verum, quod non est actu in re identificata. *Tunc sic*: sed si vlterius est realiter entitatiuè identificata; absolutè est verum, quod est actu in re identificata, cum identitas realis entitatiua sit absolutè, & sine addito identitas: ergo illa duplex formalitas talis est, vt de ipsa absolutè verificetur, est actu in re identificata, & non est actu in re identificata, quod manifestè implicat.

39 *Contra* 3. Animalitas, vt in re distincta illa distinctione à rationalitate, existit realiter, & è conuerso similiter hoc est verum de rationalitate: ergo vel distinguuntur entitatiuè in re animalitas, & rationalitas, vel non distinguuntur in re formaliter. Antec. est certum, nam quòd animalitas in re existat, & similiter rationalitas, tàm certum est, quàm in re existere hominem; quod autem existat in re vt distincta in re à rationalitate, patet ex ipsa sententia, quam impugnamus, aliàs illa distinctio non existeret in re, vt ab Scotistis propugnatur. Conseq. prob. Distinctio entitatiua in re talis est, quæ in re versatur inter duo entia realia, siuè inter duas entitates reales: sed si animalitas vt in re distincta à rationalitate (& è conuersò) existit realiter, animalitas, & rationalitas distinguuntur distinctione, quæ in re versatur inter duas entitates reales, inter animalitatem, & rationalitatem scilicet, quæ cum realiter existant, sunt entitates reales: ergo. *Explicatur*. Ens reale nil aliud est, quam ens existens, aut potens existere realiter: ergo distinctio, quæ in re datur inter duo extrema, quorum quodlibet vt in re distinctum ab alio, rea-

realiter existit, est in re distinctio inter duas entitates reales: sed distinctio illa est in re inter duo, quorum quodlibet vt distinctum in re ab alio realiter existit: ergo est distinctio in re inter duas entitates reales.

50 *Prob.3.* illa min. principalis. Si duplex formalitas realiter identificata posset esse in re formaliter distincta, humanitas Petri v.g. realiter identificata cum Petreitate esset ab illa formaliter in re distincta, cum eodem distinctionis genere asseratur natura specifica à gradu indiuiduali distincta, quo gradus alij defenduntur distincti: sed hoc implicat: ergo illa distinctio implicat. Prob. min. Nam humanitas Petri vt in re distincta formaliter à Petreitate, vel est in re identificata cum humanitate Pauli, vel non est in re identificata cum humanitate Pauli, nam cum hæ sint contradictoriæ, nullum potest in re dari medium, quidquid sit an medium præcisionis posit admitti: si est in re identificata cum humanitate Pauli: ergo eadem in re natura est in pluribus suppositis, Petro scilicet, Paulo, & alijs indiuiduis, realiter distinctis, quod extra mysterium ineffabile Trinitatis manifestè implicat. Si non est in re identificata: ergo humanitas Petri vt in re distincta à sua singularitate, Petreitate scilicet, est hæc humanitas, & non illa: sed est hæc per suam singularitatem: ergo prout in re distincta à sua singularitate est hæc, & singularis, quod eodem modo implicat.

51 *Si dicas*, quod humanitas Petri vt in re distincta a Petreitate est in re eadem formaliter cum humanitate Pauli, non tamen est eadem singulariter, seu numerice. *Contra* est, nam hæc videtur sola repetitio nominum, non solutio; identitas enim formalis est vere identitas in re, sicut distinctio formalis est vere in re distinctio, cũ illud additũ *formalis* non sit additum diminuens quantum ad hoc, quod vere sit distinctio, vel identitas in re: ergo humanitas Petri in re identificata formaliter cum humanitate Pauli est vere identificata in re cum illa; ergo datur vna, & eadem in re humanitas, seu natura existens in pluribus suppositis, quod est Mysterium Trinitatis ad res creatas deijcere.

52 *Confirm.* Humanitas Petri est in re distincta à sua singularitate: ergo humanitas Petri, & eius singularitas sunt duæ formalitates, quarum hæc in re non est illa: sed est hæc, & non illa, per singularitatem: ergo vt distincta à sua singularitate est iam singularis. *Explicatur* humanitas vt in re distincta à sua singularitate est hæc formalitas, & non illa, scilicet singularitas, sed humanitas seorsum a singularitate non est hæc formalitas, & non illa, quia aliàs seorsum ab hæcceitate esset hæc, quod implicat:

cat: ergo non datur humanitas, quæ sit in re à sua singularitate distincta. *Alias* possemus rationes subijcere, quibus fundamenta opposita sententiæ infringerentur; sed quia hæ sunt instantiæ, quas inter soluenda argumenta, opponemus, ideo ab eis modo supersedemus.

§. III.

Soluuntur argumenta.

53 OBijcies 1. De vna, & eadem in re formalitate non possunt ante operationem intellectus verificari propositiones ex se contradictoriæ: sed de animalitate, & rationalitate verificantur propositiones ex se contradictoriæ: ergo animalitas,& rationalitas non sunt à parte rei vna, & eadem formalitas. Prob.min.ante omnem operationem intellectus verificatur de animalitate Petri, quod est ratio conueniendi cum Equo,& de rationalitate non esse rationem cõueniendi cum Equo: sed esse, & non esse rationem conueniendi cum Equo ex se est contradictorium:ergo.

54 *Hoc argumentum*, quod est totum robur oppositæ sententiæ, dissoluendum est exprofesso in artic. sequente, in quo disputatur, an detur a parte rei inter prædicata identificata aliqua capacitas actu talis ad suscipienda independenter ab operatione intellectus prædicata ex se contradictoria; vnde ne idem ociosè repetamus, videatur ibi eius solutio. *Pro nunc*. Resp. concessa mai. neg. min. ad cuius prob. neg. mai. nam falsum est, quod rationalitas non sit à parte rei ratio conueniendi, licet a parte rei sit ratio disconueniendi; eadem enim in re prædicata, si non sint perfectè similia alijs prædicatis, sunt in re similia, & disimilia, non tamen sunt, & non sunt similia, in quo solo est contradictio. *Et argumentum* quidem instatur; nam si esse, & non esse tale in re suadet distinctionem in re: ergo esse tale, & non esse tale realiter suadet distinctionem realẽ, quod tamen in sententia Scoti est falsum, qui essentiam diuinam sola distinctione ex natura rei distinguit à Paternitate, cum tamen entitas relatiua Patris, seu Paternitas, nõ communicetur realiter filio, ipsi realiter communicata entitate absoluta, essentia scilicet Diuina.

55 *Obijcies* 2. Quæ differunt diffinitione, distinguuntur ex natura rei: sed animalitas, & rationalitas differunt diffinitione: ergo distinguuntur ex natura rei. Min. est certa, nam animalitas diffinitur, *ratio sentiendi*; & rationalitas, *ratio discurrendi*. Mai. vero prob. 1. Diffinitio explicat naturam rei: ergo quæ differunt diffinitione, differunt ex natura rei. *Prob.* mai. 2. Quæ differunt essen-

essentialiter, differunt in re, cum distinctio essentialis non pendeat à fictione intellectus: sed quæ differunt diffinitione, differunt essentialiter: ergo quæ differunt diffinitione, differunt in re. *Prob. 3. mai.* Diffinitio, & rei diffinitæ natura conuertuntur: ergo nequit esse multiplex diffinitio, quin diffinitum sit multiplex ex natura rei.

56 *Hoc argumentum*, quod etiam est præcipuum fundamentum Scoti, multiplicem patitur instantiam, vnam, vel alteram insinuare sufficiat: Persona Diuina, & relatio Diuina diuersis diffinitionibus diffiniuntur, & tamen non distinguuntur illa distinctione ex natura rei; similiterque virtus exsiccatiua in sole non distinguitur in re à virtute calefactiua eiusdem, cum tamen virtus calefactiua, & exsiccatiua diuersis diffinitionibus diffiniantur. Idem euenit in intellectu nostro, intelligentia enim, & ratio diuersimodè diffiniuntur, & in voluntate libertas, & natura; quin intellectus vt intelligentia differat in re à se ipso vt ratio est, nec voluntas vt libera differat in re à se ipsa vt natura. *Præterquam quod* argumentum, vel probat distinctionem absolutè, & simpliciter realem, vel nullam; quia essentia diffiniti vt in re considerata nil aliud est, quàm eius entitas, & è converso, hæc est essentia vt in re diffiniti.

57 *Resp.* ergo disting. mai. Quæ differunt diffinitione *adæquata cum re vt est in se*, differunt in re, seu ex natura rei omit. mai. quæ differunt diffinitione *inadæquata* neg. mai. & sub eadem distinctione min. neg. conseq. Non omnis diffinitio adæquatur cum re vt est in se, sed vt à nobis concepta, quia res diffinimus vt eas concipimus, cumque inadæquate rem sæpè concipiamus eam diuidendo in plures formalitates, eam quoque diffinimus pluribus diffinitionibus, quarum quælibet est adæquata cũ re vt inadæquate concepta, non tamen cum re vt est in se. Hinc illæ diffinitiones animalitatis, & rationalitatis adæquantur cum ipsis vt conceptis, & vt significantur à nobis per illas voces, secus tamen cum ipsis vt in re, cum in re non detur animalitas, quæ non sit simul rationalitas, aut irrationalitas. *Vnde* ad 1. prob. mai. disting. anteced. Diffinitio explicat naturam rei, *vt à nobis concepta* conced. antec. *vt est in se*, sub dist. *si diffinitio sit adæquata*, conced. antec. *si inadæquata*, neg. antec. & conseq.

58 *Si instes.* Vnius rei nequit dari duplex conceptus, nam distinctio conceptus sumitur à distinctione obiecti: ergo nec duplex diffinitio, & consequenter diuersa diffinitio arguit diuersitatem in re. *Neg.* antec. quod non conuincit inserta probatio, nam

ad distinctionem conceptus sufficit distinctio virtualis obiecti, æquiualētia scilicet illius ad plura, vi cuius intellectus noster habet fundamētum vt vnam rem in plures diuidat formalitates, quas diuersis conceptibus concipiat; qua ratione intellectus perfecte rem comprehendens vnico ictu, & conceptu eam cognoscit. Hinc conceptibilitas animalis est in re eodem actu conceptibilitas cum conceptibilitate rationalis, & si virtualiter sit diuersa ab illa.

59 *Ad 2.prob.* mai. disting. mai. Quæ differunt essentialiter differunt in re, *si differant essentialiter adæquatè* conced. mai. *si essentialiter inadæquatè* neg. mai. & distin. min. quæ differunt diffinitione *adæquata* differunt essentialiter conced. min. *inadequata*, sub dist. differunt essentialiter, *differentia essentiali rationis* conced. min. *reali* neg. min. & conseq. differentia rationalis ab animali dicitur essentialis, quia est inter prædicata essentialia, non tamen quia ipsis essentialiter conueniat, alias in omni statu conueniret; conuenit enim ipsis accidētaliter, & per intellectum diuidentem vnam in re essentiam in varia prædicata, quæ omnia sunt rei essentialia, & si reduplicatiuè vt distincta non sint ei essentialia, *Ad 3. prob.* disting. anteced. Diffinitio, & rei natura *vt concepta à diffiniente* conuertuntur conced. anteced. & rei natura *vt est in se* sub di ting. *si diffinitio sit adæquata cum re vt est in se* conced. anteced. *si inadæquata* neg. antec. & sub eadem distinctione neg. conseq.

60 *Si instes*: ergo si homo adæquate sit diffiniendus, debet diffiniri cum sua singularitate, cum homo in re non sit homo nisi in singulari; consequens est falsum, alias de singularibus esset diffinitio: ergo vel repugnat diffinitio adæquata rei, quod est absurdum, vel doctrina solutionis est falsa. *Respond.* disting. conseq. si homo si diffiniendus adæquate, *adæquatione cum ipso vt est in re*, debet diffiniri cum sua singularitate conced. conseq. *adæquatione cum ipso vt concepto præcisiuè à singularibus*, neg. conseq. nec ex hoc sequitur, quod de singularibus vt exercite existentibus detur diffinitio, ly *vt* dicente statum, vi cuius detur diffinitio, licet de ipsis exercite existentibus detur; nam ipsa sic exercite existentia, & si non quia exercite existentia, habent connexionem necessariam cum pluribus, quibus eorum essentia in indiuiduo notescit; licèt, quia differentia indiuidualis est nobis ignota, & proprietates indiuiduales non satis etiam nobis certæ, à nobis recte diffiniri non possint singularia, quæ à comprehendente rem, & vnde indiuiduatio pendeat, possunt exactissime diffiniri.

62 *Obijcies* 3. Repugnat compo-

positio in re talis, quæ sit sine extremorum distinctione in re tali, cum compositio sit distinctorum vnio: sed inter animal, & rationale datur compositio, quæ in re est compositio, seu quæ est compositio realis: ergo animal, & rationale differunt distinctione in re tali, siue reali. Prob. min. Inter animal, & rationale datur compositio metaphisica: sed cōpositio metaphisica est realis, aliàs non repugnaret Deo, cum cōpositio ficta, & per nostros conceptus, non est vnde Deo repugnet: ergo inter animal, & rationale datur compositio realis.

62 *Confirm.* Contrahibile, & contrahens differunt à parte rei, cum relatiuè opponantur: sed animal, & rationale comparantur vt contrahibile, & contrahens, cum animal contrahatur per rationale: ergo differunt realiter. *Vrgetur.* Natura humana est realiter communicabilis pluribus, cum realiter communicetur pluribus: sed singularitas non est realiter communicabilis pluribus, Petreitas enim nulli alteri à Petro est communicabilis: ergo natura humana non est idem realiter cùm sua singularitate.

63 *Resp.* concessa mai. neg. min. Ad eius prob. concessa mai. neg min. nam compositio metaphisica est compositio inter prædicata, quorum vnum cum fundamento in re concipitur vt quid superius, & potentiale respectu alterius, cum tamen in re vtrumque prædicatum sit omnino idem realiter, quod totum fit beneficio intellectus rem inadæquate concipientis. *Nec propterea* talis compositio non repugnat Deo, cui repugnat præbere fundamentum, vt aliquod illius prædicatum concipiatur taliter distinctum ab alio, vt illud in suo conceptu non includat, quæ non inclusio desideratur necessariò ad compositionem metaphisicam; fundamentum enim huiusmodi distinctionis est aliqua subiecti potentialitas, quæ Deo repugnat. Sed de hoc exprofesso agemus infra quæst. 8. art. 2.

64 *Ad confirm.* disting. mai. Contrahibile cōtrahibilitate *phisica*, & contrahens differunt à parte rei, conced. mai. Contrahibile *contrahibilitate purè Logica* neg. mai. animal non est realiter contrahibile per differentias, quia non datur animal in re, siue realiter seorsim a differentijs, nisi naturam Platonicam fingas, & nisi consequenter teneas dari naturam, quæ realiter vna sit in pluribus: est ergo contrahibilitas (idem de relatione) illa purè Logica, & per rationem, quatenus intellectus videns omnia animalia esse similia in ratione animalis, apprehendit animal vt quid vnum, & indifferens ad plura, cum reuera animal sic indifferens, & contrahibile non detur à parte rei.

65 *Si instes* 1. Animal ita est contrahibile per rationale, vt ipsi ac-

accidat rationale, vnde inuenitur animal realiter separatum à rationali in tot irrationalium speciebus: ergo ita est contrahibile per rationale, vt realiter differat ab illo. *Si instes* 2. Animal ita est contrahibile per rationale, vt rationalitas nullo modo sit de essentia animalitatis. *Tum* quia animalitas hominis est indistincta essentialiter ab animalitate Equi, quod nequit componi cum eo, quod rationalitas sit de essentia animalitatis. *Tum* quia ideo ens non est vniuocum, nec genus, sed analogum ad sua inferiora, quia horum differentiæ sunt de essentia entis; sed animal non est analogum, sed vniuocum, & genus ad sua inferiora, quorum differentijs contrahitur: ergo ita contrahitur per rationale, vt rationalitas nullo modo sit de essentia animalitatis. *Tunc sic*: sed quod nullo modo est de essentia alterius, in re est distinctum ab illo, aliter aliquo modo, idest, in re esset de essentia illius: ergo ita contrahitur animal per rationale, vt rationale differat in re, siue realiter ab animali.

66 *Resp.* ad 1. Instantiam disting. antec. vt ipsi *metaphisicè, & præcisiuè considerato* accidat rationale conced. antec. vt ipsi *phisicè, & prout est in re* accidat rationale neg. antec. & conseq. quia solum quod phisicè, & prout in re accidit alteri distinguitur realiter ab illo, secus quod ipsi præcisiuè sumpto accidit, alias suaderet instantia, quod rationalitas est entitas omnino distincta ab entitate animalis, quod opposita sententia reputat falsum. Nec inserta probatio est ad rem, quia aliàs animalitas distingueretur realiter distinctione rei à re à rationalitate, cum realis separatio mutua, qualis est illa, quam probatio obijcit, vel realem distinctionem rei à re suadeat, vel nullam. Vnde dicendum est, quod à parte rei inuenitur separata à rationalitate animalitas Equi v.g. sed nō aliqua animalitas, quæ sit realiter communis Equo, & homini, nam à parte rei non datur vna animalitas, sed plures, & si propter similitudinem præbeant fundamētum, vt concipiatur ac si esset vna animalitas omnibus communis.

67 *Ad* 2. *instantiam* disting. antec. Ita vt rationalitas nullo modo sit de essentia animalitatis *præcisiuè, & metaphisicè considerata* cōced. antec. *phisicè, & vt est in se sumpta* neg. antec. Nec animalitas hominis est essentialiter phisicè, sed tantum metaphisicè indistincta ab animalitate Equi: nec ens ideo est analogum, quia differentiæ sit de eius essentia phisica, hæc enim phisica identitas nō attenditur à conceptu metaphisico rei præcisiuè consideratæ, ac proinde non impedit vniuocationem illius, sed quia sunt de essentia metaphisica entis, nam quæuis differentia sub quauis reduplicatione est ens: quod è conuerso se habet indifferentijs contra-

tra-

trahentibus animal, de cuius conceptu metaphisico non sunt, ideoque vniuocationem non impediunt, sunt tamē de essentia phisica ipsius, ideoque impediunt distinctionē phisicā, siue in re talem.

68 *Ad id*, quo vrgebatur argumentum, disting. mai. Natura humana *vna in re* est realiter cōmunicabilis pluribus neg. mai. Natura humana *in re multiplex* conced. mai. & cōcessa min. neg. conseq. Dum dicitur, quod natura humana est realiter communicabilis pluribus, est realiter in pluribus, & aliæ locutiones huiusmodi, non est sensus, quod natura eadem identitate aliqua in re vere tali sit in pluribus, hoc enim esset deijcere Mysterium Trinitatis ad res creatas; sed sensus est, quod multiplex in re natura, quæ tamen propter similitudinem dicitur vna natura, vnitate in re solùm fundamentali, & per intellectum formali, est realiter in pluribus, natura enim Petri, seu quæ est in Petro, nequit realiter alterius indiuidui esse natura, nisi nouum Trinitatis Mysterium adstruas in rebus creatis. Sed de hoc exprofesso agendum est infra art. 5. & 6.

69 *Denique* obijcies. Quia sessio non est entitas, sed modus, & si distinguatur realiter à Petro, non tamen distinguitur realiter entitatiuè, sed realiter modaliter: ergo quia rationalitas non est entitas, sed formalitas, & si distinguatur realiter ab animalitate, non tamen realiter entitatiuè, sed realiter formaliter: sed distingui realiter formaliter est distingui distinctione ex natura rei, quæ vocatur media, quia nec est realis entitatiua, nec per rationem tantùm: ergo datur distinctio media inter animalitatem, & rationalitatem.

70 *Propter* hanc instantiam ex distinctione reali modali desumptam vnus, vel alter, ex Thomistis etiam, reputat parum efficacem rationem, qua vt efficaci impugnatur communiter distinctio media, desumpta ex eo, quod sicut non datur medium inter ens reale, & rationis, ita nec distinctio media inter realem, & rationis, quam rationem alijs terminis proposuimus supra num. 45. dum secundò probauimus min. principalem. *Sed quàm* leui fundamento, & ob solam apparentiam vocum hoc dicatur, constabit ex solutione argumenti, cuius anteced. non solum est falsum, sed & falsum supponit, modum scilicet non esse verum ens reale, & ideò falsò inde colligit distingui realiter modaliter non esse distingui realiter entitatiuè; modus enim, qui vt verè distinctus à re, quam modificat, existit realiter, qua ratione non erit verum ens reale? Aliud est ergo, quod distinctio illa non sit inter rem, & rem, quia modus non significatur vt res, sed vt determinatio rei, quod litigium est de voce; aliud, quod distinctio illa non sit rea-

realis entitatiua, cum modus vere sit ens, & entitas, & distincta realiter entitas ab entitate rei modificatæ. Ex hoc autem nil infertur pro distinctione media, nisi illa voce tenus dicatur media, reuera tamen sit distinctio entitatiua; nam si ita est, rem tenentes de litigio vocis non curamus.

ART. III.

An inter gradus superiores, & inferiores detur distinctio intrinseca virtualis?

71 CVm *ex dictis* in artic. præcedenti constet, quod gradus superiores, & inferiores nullam in re habeant actu distinctionem formalem; restat, vt examinemus, an in re gaudeat aliqua distinctione virtualiter tali: & licet dubium hoc circa tales gradus excitetur, comprehēdit etiam generaliter quæcumque prædicata in re identificata, an scilicet cum tali in re identitate sit compossibilis distinctio virtualis intrinseca. *Nec* de solis prædicatis creatis procedit dubium, eodem enim modo censemus repugnare, vel non repugnare distinctionem intrinsecā virtualem prædicatis Diuinis summa in re gaudentibus identitate, quo repugnare, vel non repugnare propugnetur cum identitate prædicatorum rei creatæ: quia tamen fas non est Logicis immiscere Theologica, & in Theologia maximè difficilia, de solis prædicatis creatis loquemur relinquentes Theologis quid inde deducendum sit erga Diuina.

72 *Notandum* est autē 1. quod nomine distinctionis intrinsecæ virtualis potest intelligi æquiualentia eiusdem rei ad plura realiter distincta, quoad varios effectus causandos, seu quoad diuersa munera præstanda; & in hoc sensu certum omnino debet esse dari distinctionem intrinsecam virtualem; nam vt alia omittamus exempla, anima nostra vna, & indiuisibilis æquiualet propter sui eminentiam animabus Plantæ, & Bruti quoad præstandos effectus formales vegetandi, & sentiendi, ea enim sola homo vegetat, sentit, & discurrit, ac si triplici anima realiter distincta constaret: & in præsenti materia animal assimilat Petrum Equo, & rationale dissimilat, ac proinde æquiualent diuersis formis, in ordine ad assimilandum, & dissimilandum, cum tamen sint vna, & eadem res, vt supponimus ex dictis.

73 *Notandum est* 2. quod eiusdem distinctionis nomine potest etiam intelligi distinctio purè fundamentalis, fundamentum scilicet, quod vna, & eadem res præbet intellectui nostro, vt eam in distinctas formalitates diuidat; ac proinde apprehendat in ea quandam multiplicitatem, cum in re nulla sit actu multiplicitas; quod fundamentum solet dici di-

distinctio virtualis, non quia actu sit distinctio, sed tantùm in potentia, seu in virtute, quatenus est capacitas, vt beneficio intellectus sit distinctio, à parte rei tamen solum est in actu fundamentũ distinctionis, non distinctio. In hoc sensu certum est etiam dari eiusmodi distinctionem virtualem, seu fundamentalem, nam intellectus cum fundamento in re distinguit in Petro hæc duo prædicata *animal*, & *rationale*, ac si in re essent distincta.

74 *Notandum est* 3. quod nomine distinctionis intrinsecæ virtualis potest denique intelligi æquiualentia eiusdem rei ad plura realiter distincta quoad munus suscipiendi sine contradictione prædicata ex se contradictoria, ita, vt sicut de rebus realiter distinctis sine vlla contradictione verificantur prædicata ex se contradictoria, quia propter realem subiecti diuersitatem, contradictionem non exercent respectu diuersorum, ita de eadem re sine contradictione verificentur propter illius æquiualentiam ad plura in munere suscipiendi contradictoria, ac si de rebus diuersis dicerentur. Et in hoc sensu procedit dubium, quod adhuc potest intelligi, vel de capacitate immediata eiusdem rei ad suscipienda prædicata contradictoria, vel de capacitate mediata, quæ alia non est à fundamento, quod præbet res, vt diuisa per intellectum in varias formalitates, ratione talis diuisionis, & non prout à parte rei, prædicatum, quod de vna formalitate affirmatur, negetur de alia vt actu iam per rationem distincta; in hoc secundo sensu iã insinuauimus distinctionem virtualem esse nobis acceptam, & in art. seq. ampliùs constabit: Procedit ergo dubium de distinctione virtuali sumpta pro capacitate immediata eiusdem rei ad prædicata ex se contradictoria.

§. I.

Non datur distinctio virtualis intrinseca consistens in capacitate immediata eiusdem rei, vt de ipsa verificentur prædicata ex se contradictoria.

75 Conclusionem istam esse de mente D. Thomæ conuincitur ex eo, quod Ang. Præceptor vt saluet adhuc in Diuinis, quod prædicata ex se contradictoria verificentur sine contradictione de eodem, ad nullam aliam recurrit distinctionem, quã ad distinctionem rationis: ergo non datur distinctio virtualis cõsistens in capacitate ad prædicata contradictoria ante distinctionem rationis, aliàs ad illam fecisset recursum D. Thomas. Ant. tec. constat ex plurimis D. Thomæ testimonijs, quæ videri possunt apud Illustris. Godoy 1. p. q. 2. disp. 5. §. 4. sufficiat vnum valde expressum adducere ex 1. p. q. 39. art. 2. ad 2. vbi ait: *Ad secundum di-*

cendum, quod in quantum essentia, & persona in diuinis differunt secundum intelligentiæ rationem, sequitur, quod aliquid possit affirmari de vno, quod negatur de alio. Vnde ita tenet præcitatus Mag. cum pluribus alijs Thomistis nil aliud nomine distinctionis virtualis intelligentibus, quàm fundamentum distinctionis rationis ratiocinatæ. Tenent præterea nostram conclusionem Hurtado, Arriaga, Ouiedo, Quiros, Izquierdo, & alij plurimi RR.

76 *Prob.* conclusio ratione. Tunc de aliquo verificantur prædicata contradictoria à parte rei, cum idemmet prædicatum realiter affirmatur, & realiter negatur de illo: sed implicat in vna, & eadem re capacitas ad hoc, vt à parte rei, seu realiter, idem prædicatum affirmetur, & negetur realiter de ipsa: ergo implicat in vna, & eadem re capacitas ad eiusmodi prædicata contradictoria, ac proinde implicat distinctio virtualis in tali capacitate consistens. Prob. min. Prædicatum, quod realiter affirmatur de subiecto, realiter identificatur cũ illo, & prædicatum, quod realiter negatur de subiecto, realiter distinguitur ab illo: sed implicat, quod idem prædicatum realiter identificetur, & realiter distinguatur ab vno, eodemque subiecto, seu ab vna, eadẽque re: ergo implicat in vna, & eadem re capacitas ad hoc, vt idem prædicatum realiter affirmetur, & negetur de ipsa. Cætera patent, & mai. ex sola terminorum explicatione fit manifesta, nam tunc prædicatum realiter affirmatur de re, quando res est realiter illud prædicatum, & tunc realiter negatur de re, cum res non est realiter tale prædicatum: sed esse realiter illud prædicatum est cum illo realiter identificari, & non esse realiter illud est ab illo realiter distingui: ergo prædicatum, quod realiter affirmatur, & realiter negatur de subiecto, realiter identificatur, & realiter distinguitur ab illo.

77 *Confirm.* Propositiones cõtradictoriæ non possunt esse simul veræ: sed propositiones contradictoriæ sunt affirmatio, & negatio eiusdẽ prædicati de eodem subiecto: ergo affirmatio, & negatio eiusdem prædicati de eodem subiecto non possunt esse simul veræ: sed distinctio virtualis consistit in eo, quod de vno, eodemque subiecto, seu re, vere affirmetur, vereque negetur idem prædicatum, ac proindè consistit in capacitate, vt affirmatio, & negatio eiusdem prædicati de eodem subiecto, seu re, sint simul veræ: ergo implicat eiusmodi distinctio virtualis.

78 *Dices*: non dari capacitatem, vt de re omnino eadem verificentur prædicata contradictoria, dari tamen capacitatem, vt verificentur de re solùm realiter eadem, virtualiter tamen distincta, quia tunc casus subiectum affir-

firmationis, & negationis non est omnino idem, vt exigit contradictio.

79 *Sed contra est*. Distinctio virtualis est capacitas vnius, & eiusdem rei ad suscipienda prædicata contradictoria: ergo dicere, quod eadem res, quia virtualiter distincta, est capax suscipiēdi prædicata contradictoria, nil aliud est dicere, quam quod est capax suscipiendi prædicata contradictoria, quia est capax suscipiendi prædicata contradictoria, quod est idem omnino, mutata voce, repetere; *&* *vlterius* sed argumentum factum probat repugnare eiusmodi capacitatem: ergo probat repugnare eiusmodi virtualem distinctionem. Vnde sententia opposita sistit tota in vitioso circulo; suadet enim sibi eandem rem esse virtualiter distinctam, quia est capax suscipiendi prædicata contradictoria, & rursus persuadet esse capacem suscipiendi prædicata contradictoria, quia ex virtualiter distincta.

80 *Confirm.* & explicatur. Res non ideo sunt distinctæ, quia capaces suscipiendi sine contradictione prædicata ex se contradictoria, sed ideo sunt capaces suscipiendi sine contradictione prædicata ex se contradictoria, quia sunt distinctæ: ergo iuxta præsentem materiam distinctionis virtualis prius debet intelligi, & suaderi rem esse virtualiter distinctam, vt inde inferatur, quod sit capax suscipiendi sine contradictione prædicata ex se contradictoria. *Quid est ergo*, vel in quo cōsistit illa distinctio virtualis præintellecta ad eiusmodi capacitatē? Ea namque consistere nequit in capacitate suscipiendi sine contradictione prædicata ex se contradictoria. *1um* quia nequit consistere in eo, quod est posterius ipsa, & quod datur, quia præintelligitur ipsa: sed res ideo est capax, quia virtualiter distincta, & non è conuerso: ergo non consistit formaliter in capacitate. *2um* quia ratio facta probat repugnantiam capacitatis, quia est ad terminum repugnantem, nimirum, quod eadem res sit, & non sit in sensu reali idem prædicatum, quo nil repugnantius ex se, cum impossibile sit idem, & in eodem sensu, simul esse, & non esse: ergo ne tota solutio sistat in hoc, quod illa res est capax; quia est capax, distinctio virtualis præintellecta consistere debet in aliquo a capacitate illa distincto: quid est ergo illud?

81 *Si dicas* talem distinctionem virtualem consistere in eminentia rei, vi cuius habet plures formalitates, seu virtualitates, non formaliter, sed æquiualenter, vel virtualiter.

82 *Contra est*. Nam solutio nouas quidem exhibet voces, sed in quibus nil additur supra primam solutionem, quod vere sit argumenti facti solutio. Quid enim est habere à parte rei (nam in

in hoc sensu procedit dubium) plures formalitates, seu virtualitates? Nam vel illæ virtualitates sunt plures formaliter à parte rei, vel plures solum virtualiter: *Si plures formaliter*: ergo à parte rei hæc virtualitas non est formaliter illa, & sic distinguetur ab illa, vel distinctione absolutè reali, vel distinctione media ex natura rei, & vtrumque reputatur, etiàm ab exhibentibus solutionem, falsum, & in præcedentibus manet impugnatum. *Si plures* solum virtualiter, aut æquiualenter; vel per hoc denotatur pluralitas solum fundamentalis, idest, fundamentum distinctionis per intellectum, & hoc non sufficit ad verificationem duplicis prædicati contradictorij ante omnem operationem intellectus, quia alias verificarentur de re ante omnem sui actualem distinctionem, cum tamen prædicata contradictoria nequeant verificari nisi de actu distinctis; nec de distinctione virtuali in hoc sensu procedit dubium.

Restat ergo vt illæ virtualitates, vel formalitates sint à parte rei plures virtualiter, aut æquiualenter, quia cum sint vna, & eadem res, æquiualent tamen pluribus realiter distinctis in munere suscipiendi prædicata ex se cōtradictoria, nam in alijs muneribus æquiualere, & res est certa, & à præsenti dubio extranea, vt ab initio notauimus. Sed implicat vnam, & eandem rem æquiualere pluribus in hoc munere, quia implicat vnam, & eandem rem esse, & non esse realiter idem prædicatum: ergo de primo ad vltimum nil aliud exhibetur pro solutione illis vocibus, *eminentia, æquiualentia*, quam ipsa capacitas, quàm implicantem probat argumentum factum.

83 *Confirm.* 1. Quia nulla res eadem realiter potest producere se ipsam, qui diceret vnam, & eandem rem æquiualere pluribus realiter distinctis in munere productionis, ita, vt se ipsam realiter produceret, ac si plures realiter forent, æquiualentiam poneret repugnantem: sed eandem rem idē tificari realiter, & realiter distingui ab eodem prædicato, esse, & non esse realiter idem prædicatum est repugnās: ergo qui quoad hoc munus asserit vnam, & eandem rem æquiualere pluribus realiter distinctis, ita, vt realiter sit, & non sit idem prædicatum, ac si plura realiter distincta forent, æquiualentiam asserit rēpugnantem.

84 *Confirm.* 2. Eminentia rei sufficit, vt res eadem æquiualeat pluribus quoad operationes, & effectus valde diuersos, & in hoc consistit eminentia rei: sed æquiualentia ad plura quoad operationes, & effectus valde diuersos non infert æquiualentiam in munere suscipiendi prædicata contradictoria: ergo eminentia rei non suadet æquiualentiàm, quam contraria sentētia intendit. Prob. min.

Prob. min. Anima rationalis, vna, & eadem forma, æquiualet animæ Plantæ, quæ est principium vegetandi, & non sentiendi, & animæ Bruti, quæ est principium sentiendi, & non intelligendi, nec non suam habet æquiualentiam respectu formæ Angelicæ, quæ est principium intelligendi, non vegetandi, aut sentiendi: & tamen de anima rationali non verificatur, quod ea vegetamus, & non vegetamus, sentimus, & non sentimus, intelligimus, & non intelligimus: ergo æquiualentia quoad operationes, & effectus diuersos non suadet æquiualentiam quoad munus suscipiendi prędicata contradictoria.

85 *Vrgetur*. Vnum non potest æquiualere alteri in eo, quod alteri conuenit sub ea ratione, sub qua differt ab illo, seu ob quam differt ab illo, hoc enim non esset æquiualere alteri, sed esse formaliter alterum; v. g. Sol æquiualet igni quoad calefacere, non tamen ita, quod Sol sit formaliter calidus, quia calefacere medio calore in se formaliter habito est proprium ignis ea ratione, qua differt a Sole, vnde illud non esset æquiualere igni, sed esse formaliter ignem: sed suscipere in sensu reali sine contradictione prædicata ex se contradictoria conuenit pluribus realiter distinctis, quia realiter distinctis; ex hoc enim prouenit, quod non sit idem in re, de quo realiter affirmatur, & realiter negatur prædicatum, quo solo modo impeditur realis contradictio: ergo vni, & eidem rei differenti à pluribus realiter distinctis ex eo, quod est vna, & eadem realiter, nequit cõuenire suscipere in sensu reali sine contradictione prædicata ex se contradictoria.

86 *Prob. insuper* conclusio exẽplificando assignatam rationem repugnantiæ in prædicatis, circa quæ potissimè excitatur hoc dubium. Eatenus de animali, & rationali sumptis à parte rei verificarentur in sensu reali sine contradictione prædicata ex se contradictoria, quatenus à parte rei rationale non esset realiter ratio conueniendi cum Equo, cum tamen animal à parte rei sit ratio conueniendi cum Equo: sed falsum est, quod rationale à parte rei non sit realiter ratio conueniendi cum Equo: ergo non verificantur de illis gradibus prædicata ex se contradictoria in sensu, in quo dubium procedit. Prob. min. 1. Si rationale à parte rei non esset, seu non esset realiter ratio conueniendi cum Equo, rationale distingueretur realiter à ratione conueniendi cum Equo, vnum enim esse à parte rei, & non esse à parte rei, seu realiter, aliud, est ab illo realiter distingui: sed falsum est, quod rationale distinguatur realiter à ratione conueniendi cum Equo, aliàs distingueretur realiter ab animali, quod est ratio conueniendi cum Equo: ergo falsum est, quod rationale non

sit

sit realiter ratio conueniẽdi cum Equo. *Explicatur*,& vrgetur: animal, & ratio conueniendi cum Equo nec virtualiter distinguuntur in opposita adhuc sententia: ergo quod non est realiter ratio conueniendi cum Equo, non est realiter animal: sed rationale non est realiter ratio conueniendi cũ Equo: ergo rationale non est realiter animal; quo nil falsius, & contra identitatem realem animalis,& rationalis,quam opposita etiam sententia supponit.

87 *Prob.2.eadem min.* Animal est ratio conueniendi cum Equo: sed rationale est realiter animal: ergo rationale est realiter ratio conueniendi cum Equo.Prob.cõseq.*Tùm* ex illo notissimo principio: *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, vnde quod realiter identificatur cum animali, quod se ipso est ratio conueniendi cũ Equo, nequit non identificari realiter, ac proinde nequit non esse realiter ratio conueniendi cum Equo.*Tùm* quia alias nullus syllogismus ex vi formæ rectè concluderet, nisi procederet ex propositionibus omnino identicis, siquidem nequit concludere nisi in vi medij virtualiter indistincti,& præmissæ,in quibus medium est virtualiter in distinctum in sensu oppositæ sententiæ ab extremis,sunt propositiones omnino identicæ,v.g.hæ,aut aliæ similes,*Ensis est instrumentum aptum ad feriendum; sed gladius est ensis*,ex quibus inferatur identitas gladij cum instrumento apto ad feriendum; nec aliorum, nisi nomine solo differentium, identitas posset ex vi formæ rectè vnquam concludi. *Ex quo* vlterius infertur,quod ars syllogistica est omnino inutilis ad probandam,aut identitatem realem, aut distinctionem realem extremorum, quæ non sit identitas, aut distinctio virtualis, cũ realis identitas, aut distinctio realis, vt talis, inferri debeat ex identitate,aut distinctione realiter tali cum medio, quæ ex vi formæ est iuxta sententiam oppositam inutilis ad inferendum: vnde solùm, quia res sic se habent, non vero ex vi formæ probat distinctionem realem extremorum hic syllogismus, *Petrus non est Equus; Bucephalus est Equus; ergo Bucephalus non est Petrus*,quod est reddere prorsus inutilem artem syllogisticam.

§. II.

Soluuntur argumenta.

88 OBijcies 1. Prædicata essentialia Petri,scilicet animal, & rationale, sunt vna,& eadem res: sed hæc suscipiunt prædicata contradictoria à parte rei:ergo vna, & eadem res est capax suscipiendi à parte rei, seu realiter, prædicata contradictoria, ac proinde datur distinctio intrinseca virtualis in huiusmodi capacitate consistens. Prob. min. animal à parte rei est ratio assimi-

milandi hominem Equo, & rationale a parte rei non est ratio assimilandi hominem Equo: ergo suscipiunt à parte rei prædicata contradictoria. Antec. quoad 1. partem constat, & quoad 2. prob. Rationale à parte rei est ratio dissimilandi hominem Equo, cum homo à parte rei sit dissimilis Equo, & non ratione alterius, quã rationalitatis; ergo rationalitas à parte rei non est ratio assimilandi hominem Equo. Patet conseq. *Tùm* quia idem prædicatum nequit esse ratio assimilandi, & dissimilandi. *Tùm* quia rationale ita dissimilat hominem Equo, vt nullo modo conueniat Equo: ergo ita dissimilat, vt nullo modo assimilet, nam ratio assimilandi debet vtrique extremo conuenire.

89 *Resp.* neg. min. Ad prob. neg. antec. quoad 1. partem, & ad eius prob. concesso anteced. neg. conseq. Ad eius 1. prob. disting. antec. idem prædicatum *metaphisicè, & præcisiuè sumptum* nequit esse ratio assimilandi, & dissimilandi omnitt. antec. idem prædicatum *realiter sumptum* sub dist. nequit esse ratio assimilandi, & dissimilandi, *si sit ratio assimilandi perfectè*, conced. antec. *si sit ratio assimilandi imperfectè*, neg. antec. Imò cũ similitudo propriè sumpta, & vt ab identitate differens, debeat esse inter distincta, non possunt duo inter se assimilari, quin in ratione, in qua sunt similia (si de ea, vt à parte rei existit, ut sermo) sint etiam dissimilia; vnde quod rationale à parte rei sit ratio dissimilãdi in gradu specifico, non obest, vt sit ratio assimilandi in gradu generico animalis vt identificato cum gradu specifico, hoc enim aliud non est, quàm rationale esse realiter animal. *Omissimus* autem antec. intellectum de prædicato; seu formalitate præcisiuè sumpta; nam cum iuxta D. Thomæ sententiam propugnandam infra quæst. 7. quælibet differentia etiam metaphisicè, & reduplicatiuè accepta, sit formaliter ens, est dissimilis, etiã metaphisicè sumpta, alteri differentiæ simul cum similitudine cum illa in ratione entis; & ideo, vt ab hoc præscindamus modo, omissimus anteced. restringentes præsentem doctrinam ad prædicatum realiter sumptum.

90 *Ad 2. conseq.* prob. dist. antec. Ita dissimilat, vt nullo modo cõueniat Equo, *nec rationale, nec aliquid rationali simile* neg. antec. *rationale præcisè*, conced. anteced. & neg. conseq. quæ etiam apud Aduersarios debet esse nulla, siquidem iuxta ipsos, & iuxta veritatem, animalitas hominis realiter sũpta est ratio assimilandi hominem Equo, cum tamen animalitas hominis realiter sumpta non conueniat Equo, alias eadem realiter forma creata esset in pluribus, non solum realiter, sed specificè distinctis. Sicut ergo animalitas hominis realiter sumpta est ratio assimilandi illum Equo, quia & si ta-

talis animalitas realiter sumpta non sit in Equo, est tamen in illo alia animalitas animalitati hominis similis, ita rationalitas hominis realiter sumpta est ratio assimilandi hominem Equo, quia & si Equo non conueniat rationalitas, conuenit tamen aliquid simile rationalitati realiter sumptæ, animalitas scilicet, in qua Equus est similis hominis animalitati, quæ à parte rei est ipsa hominis rationalitas.

91 *Si dicas*. Vt animalitas sit ratio assimilandi hominē Equo, necessum est, quod homo, & Equus sint animalia: ergo vel homo, & Equus sunt rationalia, vel rationalitas non est ratio assimilandi hominem Equo. Deindè sequitur ex solutione, quod hæc sit vera, & concedenda. *Equus est similis homini in rationalitate*, quo nil falsius videtur, & absurdius.

92 Pro solutione horum, & plurium, quæ sola æquiuocatione vocum sunt difficilia, obserua 1. quod rationalitas (idem de animalitate) potest sumi dupliciter, vel absolute, & prout significatur à nobis hac voce *rationalitas*, vel cum illo addito, *à parte rei*, seu, *realiter sumpta*; & licet vtroque modo sit vera rationalitas, primo tamen modo solum dicit cōceptum metaphisicum, & proprium rationalitatis præcisiue ab omni eo, quod solum identice est rationalitas; nominamus enim sicut concipimus, & concipimus rationalitatem præcisiue ab omni eo, quod non est metaphisicè rationalitas. Secundo vero modo, & cum illo addito dicit rationalitas omne id, cum quo à parte rei identificatur, seu quod realiter est rationalitas. Hinc absolute debet concedi hæc, *rationalitas non est ratio conueniendi hominem cum Equo*, debet tamen negari hæc, *rationalitas à parte rei, seu realiter non est ratio conueniendi cum Equo*; quia in prima denotatur, quod rationalitas vt significata per illud nomen, & vt præcisiue concepta, non est ratio conueniendi hominem cum Equo, quo nil verius, cum non constituatur metaphisicè per rationem conueniendi, sed disconueniendi, imò sit metaphisicè ipsa ratio disconueniendi; in secundo vero denotatur, quod rationalitas non identificatur realiter cum ratione cōueniendi, quo nil falsius, cum realiter sit animalitas. Propter eandem rationem hæc est absolute vera, *Animalitas non est ratio dissimilandi hominem Equo*; hæc autem falsa, *Animalitas à parte rei, seu realiter sumpta, non est ratio dissimilandi hominem Equo*.

93 Obserua 2. quod Equum esse similem homini in rationalitate potest dupliciter accipi, vel ita, vt ly *in rationalitate* denotet id, in quo stat ex parte Equi similitudo cum homine, & sic est falsa, cum Equus non sit rationalis, vel ita vt denotet id, quod ex parte hominis terminat similitudinem Equi cum ipso, qua ratione ra-

rationalitas est ratio assimilandi hominem Equo, non Equum homini, hęc enim est animalitas Equi similis animalitati, quæ est realiter rationalitas.

94 *Ex his habetur* solutio primę, & secundæ instantiæ. *Ad 1. enim resp.* disting. ant. *Vt animalitas præcisiue etiam sumpta* sit ratio assimilandi hominem cum Equo, necessum est, quod homo, & Equus sint animalia conced. antec, vt sit ratio assimilãdi *animalitas solũ realiter sumpta* neg. antec. & neg. conseq. quia de rationalitate hominis non verificatur esse rationem assimilandi, nisi cum illo addito *realiter*, in quo solo sensu procedit dubium, non de rationalitate prout à nobis per illam vocem significatur, prout sic enim inuoluit distinctionem rationis, cum qua illam concipimus, de quo in art. sequente. Vt autem rationalitas sit à parte rei ratio assimilandi hominẽ Equo, non requiritur, quod Equus sit rationalis, sed quod sit aliquid realiter simile rationalitati hominis phisicę sumptæ. *Hinc* colliges de animalitate, & rationalitate, vt significatis præcisiue per illas voces, verificari prædicata ex se contradictoria, de quo iterum, vt diximus, in art. seq. de ipsis, vero, vt in re sunt, non verificari: vnde Deus enuntiat illa prædicata contradictoria de animalitate, & rationalitate, vt à nobis distinctis, vel signatè, vel exercitè; ipse tamen ratione sui ea non affirmat, quia ipse nequit distinctionem rationis formare, & aliàs ille formalitates nulla in re gaudẽt actuali distinctione.

95 *Hinc ad 2. Instantiam* neg. sequelam. Esset tamẽ concedenda illa propositio, si ly *in rationalitate* non construatur cum Equo, sed cũ homine, & accipiatur non de rationalitate absolutè, & vt significatur per illud nomen, sed præcisè vt est à parte rei; est enim rationalitas realiter sumpta, vi cuius homo assimilatur Equo, & est realiter sumpta, vi cuius terminat similitudinem Equi cum ipso, ad quod non requiritur aliud, quam quod Equinitas sit in re similis humanitati etiam prout in re sumptæ, nam sic sumpta est realiter ipsa rationalitas: Hinc est falsa hæc, *homo & Equus assimilantur in rationalitate*, denotatur enim rationalitas vtrique communis, & cum nec à parte rei (hoc enim in quacumque forma creata repugnat) sit communis vtrique, nec per intellectum, & præcisiuè sumpta sit ipsis communis, quia Equus non est rationalis, hinc est propositionẽ illam esse absolutè falsam; est tamen vera hęc, *in rationalitate realiter sumpta homo est similis Equo*, ex cuius solius falsitate poterat rectè inferri verificatio intenta duplicis prædicati ex se contradictorij.

96 *Obijcies 2.* Rationalitas à parte rei fundat distinctionem rationis ab animalitate, licet enim non sit à parte rei distinctio rationis, fundamentum tamen illius est à parte rei: sed animalitas à parte rei non fundat distinctionem rationis à se ipsa: ergo de ipsis à parte rei ve-

verificantur prædicata ex se contradictoria, scilicet fundare, & non fundare distinctionem rationis. *Explicatur.* Animalitas ante operationem intellectus potest concipi sine rationalitate, licèt enim non concipiatur sinè rationalitate ante operationem intellectus, posse tamen concipi sine illa conuenit ei ante operationem intellectus: sed rationalitas non est conceptibilis sine rationalitate; ergo de eis ante operationē intellectus verificatur esse, & non esse conceptibiles sine rationalitate.

97 *Resp.* disting. mai. fundat distinctionem rationis ab animalitate *præcisiue sumpta* conced. mai. *realiter sumpta* neg. mai. & neg. in hoc sensu min. quia etiam rationalitas provt à parte rei fundat distinctionem rationis à se ipsa præcisiuè cōsiderata, vnde eandem distinctionem, quam fundat, vel non fundat à parte rei animalitas à rationalitate, fundat, vel non fundat rationalitas à se ipsa; tota namque realitas fundat distinctionē, cum tota præbeat occasionē intellectui, vt eam in plures formalitates diuidat *Nec ex hoc* sequitur, quod rationalitas præcisiue sumpta non sit rationalitas; sed solum sequitur, quod non sit rationalitas provt est à parte rei, ly *non* negante identitatem rationis; distinguitur enim rationalitas præcisiuè sumpta distinctione rationis à se ipsa provt invenitur à parte rei, sicut & ab animalitate provt est à parte rei; nam licèt rationalitas præcisiue accepta sit rationalitas, quæ est à parte rei, non est tamen rationalitas provt à parte rei.

98 *Ad explicationem* resp. quod ante operationē intellectus exercite, & effectiue sumptā, siue sumptā vt exercite efficientem distinctionē rationis, animalitas est conceptibilis sine rationalitate, non tamen ante operationem intellectus obiectiuè, & signatè sumptam, siue vt signatè involuentem distinctionem rationis; sicut supra diximus Deum affirmare prædicata contradictoria de animali, & rationali vt involuentibus saltim signate nostram distinctionem rationis, non de ipsis provt à parte rei: si enim concipiātur vt à parte rei, vnum sine altero nequit concipi: sed de his in art. seq. vbi iterum materiam præsentis instantiæ attingemus.

99 *Obijcies* 3. In actu contritionis, qui est odium peccati propter Deum summè dilectum, reperitur ratio amoris, & odij; amoris quidem Dei, & odij peccati: sed amor terminatur realiter ad Deum, & odium non terminatur realiter ad Deum: ergo cum formalitas odij, & amoris sit in illo actu eadem realitas, de eadem realitate verificatur terminari, & non terminari realiter ad Deum. Min. pro prima parte est certa, & pro 2. prob. Odium denominat odio habitum obiectum, ad quod realiter terminatur: sed Deus non denominatur odio habitus ab actu contritionis: ergo formalitas odij

In illo actu non terminatur realiter ad Deum.

100 *Resp.* concessa mai. neg. min. Ad eius prob. disting. mai. Odium denominat odio habitum *aliquod* obiectum, ad quod terminatur, conced. mai. *Omne obiectum*, ad quod terminatur, sub disting. odium, *quod purè, seu adequatè sit odium*, conced. mai. *quod in adæquate tantùm est odium*, neg. mai. & concessa min. neg. conseq. Idem actus formaliter, si æquivalenter sit multiplex, diversis obiectis diversas potest attribuere denominationes, quin verificetur, quod totus in re terminetur, & non terminetur ad illa; denominatio enim non correspondet actui adæquatè sumpto, vt est in re, sed vt inadæquatè considerato à nobis sub vna formalitate, sub qua illum nominamus *Odium*, vel sub alia, sub qua ipsum dicimus *amorem*, qua ratione idem etiam virtualiter actus intellectus divini dissentientis ab aliquo obiecto propter motivum Divinum omnino verum, est dissensus obiecti, quod denominat negatum, & assensus motiui, quod affirmat.

101 *Denique* obijcies. Si ratio conclusionis esset efficax, etiam non esset admittenda distinctio virtualis inter prædicata diuina identificata, cum ab ipsis omnis implicatio, & contradictio sit excludenda: sed hoc est falsum: ergo vel datur distinctio virtualis inter prædicata creata identificata, vel ratio conclusionis est nulla. Prob. min. intellectus, & voluntas identificantur in Deo, & similiter essentia, & Paternitas; & tamen filius non procedit per voluntatem, & procedit per intellectum, similiterque Paternitas non est filiatio, cum tamen essentia sit filiatio: ergo respectu divinorum hoc est falsum.

102 *Resp.* concessa mai. neg. min. Ad eius prob. disting. min. quoad 1. partem: filius non procedit per voluntatem, *vt hoc nomine significatur à nobis voluntas* conced. min. non procedit per voluntatem *realiter sumptam* neg. min. & similiter disting. min. quoad 2. partem. Paternitas non est filiatio, *sumpta filiatione prout significatur illa voce* filiatio conced. min. *sumpta adæquate prout in re existit*, neg. min. & conseq. In sensu enim adæquante illa prędicata prout sunt in re, falsum est, *Tùm* quod filius non procedat per voluntatem, aliàs non procederet per realitatem, quæ est voluntas, & sic nec per intellectum procederet; *Tùm* quod Paternitas non sit filiatio, aliàs non esset realitas, quæ est filiatio, & sic non esset essentia: vnde illæ propositiones verificantur de illis prædicatis vt ab intellectu creato inadæquatè conceptis, & per illas voces significatis; repugnante enim intellectu creato, repugnarent etiam in Deo intellectus, voluntas, essentia, & relatio vt diversimodè nominabiles,

les, & conceptibiles, ac proinde repugnarent cum diversiate necessaria, vt de illis verificentur prædicata contradictoria. *Sed* de his satis, sunt enim (vt diximus) Theologica, & in Theologia maximè difficilia.

ART. IV.

An inter prædicata identificata detur præcisio obiectiua?

103 **L**Atissimè de huius dubij materia agunt logici RR. nil non necessarium putantes in dubio hac tempestate satis celebri, & varijs arguendi formulis implicato: nos tamen, quantùm fas sit, alibi dicta perstringemus, nec persequentes omnia, nec necessariora ommittentes. Negauerunt præcisiones obiectiuas Nominales, quorum doctrinam iterum Scholis invexerunt Hurtado, Arriaga, Tellez, Oniedo, Quirós, Bonæ Spei, & alij RR. Cęteri AA. eas propugnant cum D. Thoma in locis infrà citandis.

104. *Pro intelligentia* tamen dubij nota, quod præscindere (cum separare sonet) prædicata identificata nil aliud est, quam ex duobus realiter identificatis attingere vnum, alio prætermisso; vnde præcisio est duplex, formalis scilicet, & *obiectiva*, formalis est actus intellectus attingens quidem totum obiectum quoad omnes suas formalitates, sed non ita clarè quoad omnes, vt de illis omnibus possit reddere rationem: obiectiva est divisio vnius formalitatis ab alia exparte obiecti correspondens, ita, vt vna formalitate attacta, siuè cognita, alia formalitas ex parte obiecti verè maneat incognita.

105 *Rursus* præcisio alia est negativa, alia positiva. *Negativa*, vt cum cognoscitur vnum nil cogitando de alio identificato cum ipso; *Positiva*, vt cum cognoscitur vnum, ipsum discernendo, & vt distinctum cognoscendo ab alio identificato cum ipso.

§. I.

Inter prædicata identificata datur præcisio obiectiua.

106 **D**Ocet D. Thomas conclusionē hanc sępissime nàm prętor testimonia in art. anteced. insinuata, in quibus ad verificanda sine contradictione prædicata ex se contradictoria de extremis identificatis recurrit ad distinctionem, & præcisionem rationis; eam apertè tradit 1. p. q. 40. art. 3. dicens: *Duplex est abstractio per intellectum, vna quidem secundum quod vniversale abstrahitur à particulari, vt animal ab homine, & in hac abstractione non remanet id, in quo fit abstractio, remota enim ab homine differentia rationali, non remanet in intellectu homo, sed solum animal:*

sed

sed remanere in intellectu solū animal, remoto rationali, est præscindi obiectiuè animal à rationali : ergo iuxta D. Thomam præscinditur obiectiuè animal à rationali. Alia sunt plurima S. Doctoris testimonia apud AA. nostræ sententiæ videnda, ex quibus aliqua inter disputandum subijciemus.

107 *Ratione* prob. 1. conclusio. Præcisio obiectiva datur, cum cognoscitur vna formalitas, altera non cognita identificata cum ipsa; sed cognoscitur vna formalitas, altera non cognita identificata cum ipsa : ergo datur præcisio obiectiua. Prob. min. Principium sentiendi in homine est formalitas identificata cum principio ratiocinandi ; sed cognoscitur principium sentiendi in homine, non cognito principio ratiocinandi : ergo cognoscitur vna formalitas, altera non cognita identificata cum ipsa. Prob. min. Non cognita ratiocinatione, non cognoscitur principium ratiocinandi; sed cognoscitur principium sentiendi in homine, non cognitá ratiocinatione : ergo cognoscitur principium sentiendi in homine, non cognito principio ratiocinandi. Cætera patent, & maior constat ex eo, quod nequit cognosci aliqua habitudo, non cognito termino habitudinis; sed principium ratiocinandi est habitudo quædam ad ratiocinationem : ergo non cognita ratiocinatione, non cognoscitur principium ratiocinandi.

108 *Si dicas*, quod cognoscitur principium sentiendi in homine, non cognito *claré* principio ratiocinandi, non tamen non cognito absolutè principio ratiocinandi; hoc autem secundum erat necessarium, vt daretur præcisio obiectiva, nam primum solam probat præcisionem formalem, quam Adversarij non negant, sed propugnant.

109 *Contra est* 1. Sed cognoscitur principium sentiendi in homine, non cognito absolutè principio ratiocinandi : ergo præscinditur obiectiue principium sentiendi à principio ratiocinandi. Prob. min. subsumpta. Cognoscitur principium sentiendi in homine, non cognita absolutè ratiocinatione : ergo cognoscitur principium sentiendi in homine, non cognito absolutè principio ratiocinandi. Patet conseq. ex dictis : quia non cognito absolute termino habitudinis, non cognoscitur absolutè habitudo; sed principium ratiocinandi est quædam habitudo ad ratiocinationem : ergo hac absolutè non cognita, non cognoscitur absolutè principium ratiocinandi.

110 *Contra* 2. & roboratur precedens probatio. Ideo cognito homine per hanc cognitionem *animal* cognosceretur saltim confusè rationale, quia per illam cognitionem attingitur tota entitas ex parte obiecti, & si non in ordine ad omnia connotata, in ordine tamen

men ad sensationem, quæ est proprium connotatum animalis: sed falsum est, quod tota adæquatè entitas ex parte obiecti attingatur per illam cognitionem: ergo cognoscitur animal, non cognito absolutè rationali. Prob. min. Tota entitas ex parte obiecti non cognoscitur absolutè, dum absolutè ignoratur aliqua formalitas illius entitatis: sed dum absolutè ignoratur connotatum rationalitatis, absolutè ignoratur aliqua formalitas illius entitatis, nimirum rationalitas, quæ absolutè ignorata manet, ignorato absolutè illius connotato: ergo falsum est totam entitatem attingi ex parte obiecti, cum homo cognoscitur per illam cognitionem *animal*.

111 *Contra* 3. Cum ex aliquibus signis, vel ex aliqua operatione communi, seu simili in homine, & Bruto, cognoscitur homo, vt cum ex motu à longe viso, vel ex alia sensatione cognoscimus illud obiectũ esse animal, ignorãtes quodnam sit animal; in hoc (inquam) casu ita cognoscimus animal in homine, ac si nullatenus illud esset rationale: ergo ita cognoscimus animal, vt absolute, sine nullo modo cognoscatur rationale. Antec. patet *Tùm* quia ita obijcitur, & immittit speciem in eo casu obiectũ media illa operatione, seu signo, ac illam immitteret, & obi ceretur, si non esset rationale: sed ita cognoscitur, vt obijcitur, & vt speciē immittit: ergo ita cognoscitur, ac si non esset rationale. *Tùm* quia ex vi medij, ex quo nequit intellectus immediate colligere, nisi quod obiectum sit animal, ita immediate cognoscit illud, ac si solùm esset animal, & consequenter, ac si non esset rationale: sed ex vi illius signi siue operationis nequit intellectus immediatè colligere, nisi quod obiectum sit animal: ergo ita cognoscit immediatè illud, ac si solùm esset animal *Conseq. vero prob.* Ita cognoscere obiectum, ac si non esset rationale, est ita cognoscere illud, ac cognosceretur, si non esset rationale: sed si cognosceretur, ac si non esset rationale, nullo modo cognosceretur rationale: ergo dum cognoscitur obiectum, ac si non esset rationale, ita cognoscitur, vt nullo modo cognoscatur rationale.

112 *Confirm.* 1. Attingere obiectum per ordinem ad vnam operationem, & ipsum non attingere per ordinem ad aliam, quando ordo ad vnam, & alteram operationem est idē realiter, est ex parte obiecti præscindere: sed attingitur homo per hanc cognitionē *animal* in ordine ad vnam operationem, nempe sensationem, & non in ordine ad aliam, scilicet discursum, & aliàs ordo ad vnam, & aliam est idē realiter: ergo ex parte obiecti præscinditur. Min. quoad 1. partem est ipsa solutio, & quoad 2. patet ex eo, quod entitas constitutiva hominis, quæ realiter est vna, & eadem, est

quæ

quæ se ipsa talem ordinem dicit. Mai. autem non minus certa videtur; nam attingere entitatē per ordinem ad vnā operationem, & non per ordinem ad aliam est attingere ordinem ad vnam, non attacto ordine ad aliam: ergo si ordo ad vtramque est idem realiter, attingitur vnum, alio non attacto identificato cum ipso, ac proinde præscinditur obiectiuè. *Quod si dicas* totum ordinem attingi ex parte obiecti, & absolutè cognosci, & si non cognoscantur omnia connata illius. *Inquiram* ex dictis, quomodo cognoscatur absolute ordo ad discursum, cum nullo modo cognoscitur discursus?

113 *Confirm.* 2. Dum homo cognoscitur hac cognitione *animal*, aliquid ex parte obiecti apparet, quod ex parte obiecti non apparet, dum cognoscitur hac cognitione *rationale*, & è conuerso: ergo præcisio non est pure formalis, seu ex parte actus, sed etiam obiectiua, siue ex parte obiecti se tenens. Patet conseq. & antec. prob. Ita cognoscitur homo hac cognitione *animal*, vt ex vi illius possis affirmare de homine *animal*, & non possis affirmare rationale, & è conuerso, ita cognoscitur hac cognitione *rationale*, vt ex vi illius possis affirmare rationale, & non possis affirmare animal: ergo aliquid ex parte obiecti apparet ex vi vnius cognitionis, quod ex vi alterius nō apparet ex parte obiecti. Antec. continet ipsam doctrinam oppositæ sententiæ, & conseq. prob. Nam si nihil apparet ex parte obiecti per vnam cognitionem, quod non apparet per alterā, vel irrationabiliter procedet intellectus affirmando vnum præ alio, vel æquè poterit affirmare vnum, ac aliud.

114 *Si dicas*, idem apparere ex vi vnius cognitionis ex parte obiecti, ac ex vi alterius, tota enim entitas obiecti apparet ex vi vtriusque, seu perquamlibet, licèt non eodem modo attingatur per vnam cognitionem, ac per alteram, tota diuersitate se tenente ex parte cognitionum, non ex parte obiecti.

115 *Contra* obstat 1. ex dictis, nàm quoties ex parte obiecti nulla apparet ratio vnius præ alio, æquè poterit intellectus affirmare vnū, ac aliud. *Obstat* 2. Modus, qui non competit purè entitatiuè cognitioni, sed etiam repræsentatiuè idest, qui non solum est modus essendi, seu in essendo, sed etiam in repræsentando, correspondet ex parte obiecti, quidquid enim competit repræsentatiue cognitioni, correspondet ipsi ex parte obiecti: sed modus ille diuersus, quo cognoscitur homo ea duplici cognitione, est modus diuersus, qui competit cognitioni repræsentatiuè: ergo modus ille diuersus se tenet ex parte obiecti: ergo per illas cognitiones cognoscitur homo non solum diuerso modo, sed vt diuerso modo se habens: ergo aliquid cognoscitur per vnam, quod non cognoscitur per alteram.



116 *Explicatur*. Intellectus cognoscens hominem hac cognitione *animal*, solam animalitatē expresse cognoscit, de illa entitate, alias etiā ex vi talis cognitionis poterit affirmare rationale: ergo talis cognitio exprimit solā animalitatem: ergo sola animalitas correspondet pro expresso ex parte obiecti, ac proinde ex parte obiecti etiam est aliqua præcisio. Prob. hæc vltima conseq. Intellectum exprimere sua cognitione aliquod prædicatum non est illud exprimere entitatiuè, sed repræsentatiuè, idest, est expressio cognitionis in esse repræsentantis: sed quod cōpetit cognitioni in esse repræsentantis, correspondet ex parte obiecti: ergo si cognitio illa solam animalitatem exprimit, sola animalitas correspondet pro expresso ex parte obiecti. Recolantur dicta tùm quæst. 1. art. 2. Tùm tota fere quæst. præced. de ente rationis.

117 *Vrgetur*. Vel cognoscere confusè rationalitatem cognitione, per quam tota entitas hominis cognoscitur hac expressione *animal*, est absolute cognoscere rationalitatem, vel non est absolute cognoscere illam? Si hoc secundum: ergo animalitas est absolutè cognita per illam cognitionem, & non est absolutè cognita rationalitas identificata cum ipsa, ac proinde, vel datur præcisio obiectiua, vel hæc inutiliter impugnatur ex contradictione cognoscendi, & non cognoscendi eandem realiter entitatem. Si cognoscitur absolute; ergo Philosophus, qui solo lumine naturali cognoscit Dei vnitatem, solo lumine naturali cognoscit absolute Trinitatem, cum Personarum Trinitas sit summè identificata cum Dei vnitate: *Et vlterius*, cum quilibet & cuiuscumque potentiæ actus, vel omnes obiecti formalitates realiter identificatas attingat absolutè, vel nullam, debet concedi, quod homo potest viribus naturæ absolute diligere Deum finem supernaturalem, cum naturæ viribus possit diligere Deum finem naturalem, & vterque finis sit idem realiter: Consequens vtrumque est falsum, & quod nullus Theologus concedet: ergo falsum est antecedens.

118 *Prob* 2. conclusio. Animal distinguitur à rationali distinctione rationis: sed hæc distinctio est obiectiua: ergo cum distinctio eo insensu, in quo est distinctio, sit quædam separatio, aut præcisio, datur inter animal, & rationale præcisio obiectiua. Mai. est certa, & min. prob. Ea distinctio talis est, vt vi ipsius animal, & rationale sint plura obiecta, seu sint plura ex parte obiecti: ergo est distinctio rationis obiectiva. Prob. antec. Ea distinctio rationis talis est, vt vi ipsius repræsententur ab intellectu animal, & rationale, vt distincta, aliàs nullo modo cognoscerentur, vt distincta, ac proindè distinctio rationis suo effectu careret: sed quod repræ-

præsentatur vt distinctum, ex parte obiecti est distinctum, & consequenter ex parte obiecti est plura: ergo distinctio illa rationis talis est, vt vi ipsius animal, & rationale sint ex parte obiecti plura.

119 *Si dicas*, quod ex vi distinctionis rationis animal, & rationale non sunt revera plura, sed sunt plura apparenter, quatenus apparent, vt plura, nec intellectus cognoscit animal, & rationale vt quid distinctum, licet distincto modo cognoscat vtrumque.

120 *Contra est* 1. Nam quid est esse plura, non reverà, sed apparenter? Si enim his terminis intenditur, quod animal, & rationale non sunt in re, sivè realiter, plura, hoc idem, & nos asserimus qui distinctionem realem ab ipsis relegamus, & consequenter in hoc sensu solutio erit extra rem dubij. Si verò eis terminis intenditur, quod non sunt plura ex parte obiecti, licet pluralitate, & distinctione per rationem ficta, in quo sensu procedimus; *in contrarium* obstat. Distinctio, quæ repræsentatur per cognitionem, est distinctio se tenens ex parte obiecti: quidquid enim per cognitionē repræsentatur, correspondet ex parte obiecti: sed distinctio animalis à rationali repræsentatur per cognitionē: ergo se tenet ex parte obiecti. Prob. min. Distinctio illa rationis talis est, vt vi ipsius sint apparenter plura animal, & rationale: ergo talis est, vt sint plura repræsentatiue: ergo talis est, vt pluralitas repræsentetur per cognitionē, sive per cognitionem repræsententur, vt plura; quid enim aliud est respectu cognitionis esse ex vi illius apparenter tale, quàm esse tale repræsentatiuè ex vi illius, & consequenter ex vi illius repræsentari vt tale?

121 *Contra* 2. & roboratur impugnatio precedens. Distinctio rationis inter animal, & rationale talis est, vt non consistat formaliter in ipsis diversis cognitionibus, quibus diversimode cognoscuntur: ergo talis est, vt ex parte obiecti se teneat. Patet conseq. & antec. prob. Distinctio consistens formaliter in diversitate cognitionum est distinctio realis, cum diversitas vnius cognitionis ab alia sit realis: ergo vel distinctio inter animal, & rationale non consistit formaliter in diversis cognitionibus, vel distinctio rationis est realis. *Explicatur.* Vel distinctio inter animal, & rationale est distinctio per rationē, ly *per* denotante causam efficientem, vel denotante causam formalem: si denotante causam efficientem; ergo cognitio est causa effectiva distinctionis inter ipsa vt obiecta, ac prinde distinctio se tenet ex parte obiecti. Si causam formalem; ergo distictio rationis inter animal, & rationale, est formaliter ipsa divesitas cognitionū, quibus distincto modo denominatur cognita eadem entitas animalis rationalis: sed

sed hæc diversitas est realis, cum sit diversitas duplicis cognitionis distinctæ realiter: ergo distinctio rationis est realis, quod evertit bonam partem Metaphisicæ.

122 *Contra 3.* Distinctio animalis à rationali talis est, vt non solum cognoscatur distincto modo, sed cognoscatur vt distinctum: ergo est distinctio, quæ se tenet ex parte obiecti. Prob. antec. Intellectus vere cognoscit, & iudicat, quod homo sentit, *quia animal*, & non sentit, *quia rationalis*; similiterque cognoscit, quod, *quia rationalis*, discurrit, & non discurrit, *quia animal*: ergo non solum cognoscit ea prædicata distincto modo, sed cognoscit ea vt distincta. Antec. continet propositiones verissimas, quę vt tales conceduntur ab omnibus, & conseq. prob. Tunc intellectus cognoscit aliqua prædicata non solum distincto modo, sed vt distincta, quando cognoscit convenire vni ex parte obiecti aliquid, quod alteri cognoscit non convenire: sed esse id, vi cuius homo sentit, & vi cuius homo discurrit, est aliquid conveniens animalitati, & rationalitati ex parte obiecti: ergo intellectus cognoscens, quod animal, & non rationale, est id, cur homo sentit, & è converso, quod rationale, & non animal, est id, cur discurrit, cognoscit prædicata non solum distinctio modo, sed vt distincta.

123 *Nec dicas*, quod sensus illarum, & similium, propositionum accipiendus est ita, vt non de prædicatis sumptis obiectivè, sed vt substant cognitibus diversis, & per eas apparent, propositiones illæ verificentur; sensus enim est; *homo per cognitionem animal apparet principium sentiendi, & non apparet principium sentiendi per cognitionem rationale*, & simili modo exponitur secunda propositio, aliæque similes sensum formalem importantes.

124 *Nam contra obstat*, quod expositiones istæ sunt alienæ à communi modo concipiendi prædictas propositiones, vnde vel hoc solo titulo sustinenda non esset opposita sententia; asserens enim quod homo, quia animal, sentit, non quia rationalis, & similiter, quod discurrit, quia rationalis, non quia animal, non intendit exprimere nostrum modum intelligendi, sed modum, quo hominis animalitas, hominisque rationalitas se habent circa exercitium sentiēdi, & discurrendi, quasi dicat; animalitas est homini ratio sentiendi, & non est homini ratio sentiendi rationalitas, vt præcisa, & divisa accepta ab animalitate: verificantur ergo illæ propositiones de animalitate, & rationalitate sumptis obiectiuè.

125 *Obstat 2.* Hominem apparere per cognitionem animal vt principium sentiendi, & non sic apparere per cognitionem rationale, est per primam cognosci, vt principium sentiendi, & non sic cognosci per secundam, sed vt principium ra-

ratiocinandi, quid est enim apparere per cognitionem vt tale, nisi cognosci vt tale? aliter tota illa apparentia non est aliud, quam cognitio ipsa, seu modus illius purè entitativè acceptus, & sic voce tenus dicitur apparere: sicut, quod entitas imaginis sit lapidea, vel lignea, dum in esse repræsentativo sint pares, non notificant diverso modo Prototypum, nec per vnam alio modo apparet in esse formali imaginis, ac per aliam: si ergo homo apparet per vnam cognitionem vt principium sentiendi, & non sic apparet per aliam, cognoscitur, & repræsentatur per vnam vt principiũ sentiendi, & non sic repræsentatur per aliam: ergo ex parte obiecti præsciinditur homo, vt principium sentiendi, à se ipso vt principio ratiocinandi.

126 *Obstat 3.* Si sensus illarum propositionũ esset ille, quem eiusmodi circumloqutionibus solutio intẽdit, nõ posset asserere tales propositiones, qui non cognosceret cognitiones, quibus illa prædicata diversimode cognoscuntur, cum homo in ratione apparẽtis vt principium formaliter sentiendi, & non ratiocinandi, constituatur iuxta oppositam sententiam per extrinsecam denominationem apparentis indistinctam pro formali ab hac cognitione *animal*: ergo si præcisè vt apparet per illam est principium sentiendi, non ratiocinandi, qui hoc asserit de homine, non solum cognoscit animal, sed & cognitionem, qua vt principium sentiendi apparet: at hoc est falsum, & satis absurdum, cum cognitio, sivè iuditium illud directè tendat in hominis prædicata, non in cognitionem ipsam, per quã apparet. ergo sensus illarum propositionum non est ille, quem solutio intendit, & sic predicata illa concipiuntur, vt obiectivè distincta.

127 *Confirm. 1.* Differentiæ sunt extra essentiam generis, rationale, v. g. extra essentiam animalis: sed si genus, & differentia nõ distinguerẽtur obiectivè, hoc esset falsũ: ergo non distinguuntur distinctione, quæ præcisè sit talis ex parte actus, sed etiã quæ talis sit ex parte obiecti. Mai. est expressa Philosophi lib. 3. metaphis. text. 10. nec nõ D. Thomæ 1. p. q. 3. art. 1. & q. 85. ar. 1. ad 1. & in lib. de ente, & essentia cap. 3. vbi ait: *Genus non est in differentia, sicut pars essentiæ eius, sed solum sicut ens extra quidditatem, & essentiam, & ideò genus non prædicatur de differentia per se loquendo.* Min. autem prob. quia ideo *ens* non potest esse genus, quia differentiæ nõ sunt extra essentiam illius iuxta expressam D. Thomæ doctrinam, 1. p. q. 3. art. 5. sed si genus, & differentia non distinguerentur nisi distinctione, quæ talis esset ex parte actus, nulla esset ratio, vt *ens* non esset genus, siquidem ens, & differentiæ diversis etiam actibus cognoscuntur, in qua cognitionum diversitate consistit tota distinctio generis, & differentiæ iuxta sententiam oppositam: ergo vel ratio ge-

ge-

generis non petit, quod differentiæ sint extra essentiam illius, vel differunt distinctione, quæ se teneat ex parte obiecti.

128 *Confirm.* 2. Ita differunt genus, & differentia, vt ex illis fiat compositio metaphisica: ergo differunt obiectivè. Antec. ex Philosopho, & D. Thoma communiter recipitur, & conseq. prob. tùm quia compositio metaphisica; quia compositio, est distinctorum vnio, & quia compositio purè metaphisica, vt à phisica compositione diversa, non est vnio distinctorum realiter: sed si distinctio generis, & differentiæ sit purè ex parte actus, consistens scilicet in diversis cognitionibus, esset distinctio realis, ac proinde genus, & differentia formaliter vt talia distinguerentur realiter: ergo non est distinctio ex parte actus, sed ex parte obiecti. *Tùm* quia talis compositio est vnio generis, & differentiæ, animalis scilicet, & rationalis, non cognitionum, cognitio enim animalis non est genus, nec cognitio rationalitatis est differentia hominis. *Tùm* quia compositio metaphisica est compositio ex duobus, velut ex actu, & potentia: sed vna cognitio non se habet vt potentia, & altera vt actus, bene verò ratio obiectiva animalis comparatur vt potentia ad rationem obiectivam rationalitatis, quæ se habet vt actus: ergo ea compositio (ac proindè distinctio) se tenet ex parte obiecti.

§. II.

Solvitur, & instatur præcipuum oppositæ sententiæ argumentum.

129 OBijcies 1. Data præcisione obiectiva, verificarentur de eadē entitate prædicata contradictoria: sed talis verificatio est impossibilis: ergo & præcisio obiectiva. Prob. mai. cognosci, & non cognosci sunt prædicata contradictoria; sed data præcisione obiectiva, verificaretur de eadem entitate, quod cognosceretur, & non cognosceretur, nam cognosceretur animal, & non cognosceretur rationale, cum tamen animal, & rationale sint eadem entitas: ergo data præcisione obiectiva, verificarentur de eadem entitate prædicata contradictoria.

130 *Resp* disting. mai. verificarentur prædicata contradictoria de eadem entitate, *eadem realiter, & distincta per rationem* conced. mai. *eadem realiter, & per rationem*, neg. mai. & disting. min. Est impossibilis talis verificatio de eadem entitate, *eadem realiter, & per rationem*, conced. min. *eadem realiter, & per rationem distincta*, neg. min. & conseq. Quia cum omnis distinctio includat affirmationem, & negationem (id enim quod distinguitur ab altero, est ipsummet, & non alterum) fit consequens, quod de extremis quibuslibet inter se distinctis possint verificari prædicata contradictoria: cum ergo animal, & rationale, & si identificata realiter

ter sint tamen extrema per rationē distincta, possunt de eis enunciari prædicata contradictoria; quia solutione perpetuò vsus est Angelicus Præcep.dū diluit argumentū intendens suadere aliquā implicationem in Divinis ex verificatione duplicis prædicati contradictorij, vt in art. preced. insinuavimus, & generaliter approbat doctrinam solutionis in quæst 7.de potentia. art.1.ad 5. dicens: *De eo, quod est idem re, & differens ratione, nihil prohibet contradictoria prædicari, vt dicit Philosophus 3. Phisic., sicut patet, quod idem punctum re, differens ratione, est principium, & finis, & secundū quod principium, nō est finis.*

131 *Instas* 1. Non minus contradicunt cognosci, & non cognosci, quā existere, & non existere, produci, & non produci: sed distinctio rationis non sufficit, vt de animali, & rationali realiter idētificatis verificetur, vnum produci, & alterum non produci, vnum existere, & alterum non existere: ergo nec sufficiet, vt ex eis vnum cognoscatur, & non alterum.

132 *Instas* 2. Distinctio rationis nō sufficit, vt vnū extremū non sit realiter alterū: ergo non sufficit, vt vnum extremum non sit realiter id, quod realiter est alterum: sed si sufficeret, vt verificarentur prædicata contradictoria, cognosci scilicet, & non cognosci, vnum extremum non esset realiter id, quod realiter est alterum: ergo distinctio rationis non sufficit, vt verificentur prædicata contradictoria. Prob. min. subsumpt. Animal, data illa præcisione, & distinctione, esset realiter cognitum, & rationale non esset realiter cognitum: ergo rationale non esset realiter id, quod realiter esset animal, nempè cognitum, ac proinde vnum extremū non esset realiter id, quod realiter est alterū.

133 *Instas* 3. Distinctio rationis non sufficit, vt de eadē entitate verificentur, nec prædicata cōtraria, nec privative opposita, eadē enim entitas ratione diversarum formalitatum nequit esse albedo, & nigredo, sciētia, & error, cæca, & videns: ergo nec sufficit, vt ratione plurium formalitatū per intellectū tantùm distinctarum, verificentur prędicata contradictoria, cū maior oppositio sit contradictoria, quàm contraria, & privativa.

134 *Confirm.* Si sola distinctio rationis sufficit, vt de extremis realiter identificatis verificentur prædicata contradictoria, ruit ars syllogistica innixa illis principijs: *Quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se, dici de omni, & dici de nullo*, horum enim principiorum veritas consistit in eo, quod quidquid affirmatur de subiecto, affirmetur de omni identificato cum illo, & quidquid negetur de subiecto, negetur de omni identificato cum illo: sed verificari contradictoria de identificatis est quod id, quod affirmatur de subiecto, seu de vno extremo, non affirmetur, sed negetur de alio identificato cum ipso: ergo si distinctio sola rationis ad hoc sufficit, ruit ars syllogistica.

Vr-

Vrgetur. Extrema non ideò sunt distincta, quia de ipsis verificentur sine contradictione prædicata ex se contradictoria, sed ideò sine contradictione verificantur, quia sunt distincta, vt nos ipsi propugnavimus art. præced. ergo vt de animali, & rationali verificetur sine contradictione cognosci, & non cognosci, debent animal, & rationale præsupponi distincta: Sed distinctio rationis non præsuponitur, cum resultet ex cognitione ipsa præscindente, qua vnum cognoscitur, & aliud non cognoscitur: ergo vel animal, & rationale plusquam per intellectum differunt, vel cognosci, & non cognosci, nequit sine contradictione verificari de ipsis.

136 *Resp ad* 1. instantiam concessis præmissis, neg. conseq. redditur enim non causa pro causa; tunc enim prædicata cotradictoria possunt verificari de extremis sola ratione distinctis, quando vnum prædicatum convenit vni extremo secũdum eam rationem, in qua distinguitur ab altero; & quia cognosci, & non cognosci sic verificantur de animali, & rationali, nam animal cognoscitur secundum rationem conveniendi cum Equo, in qua ratione differt à rationali, quod per illam cognitionem non cognoscitur, ideo sine contradictione potest verificari cognosci, & non cognosci de ipsis sola ratione distinctis: at existere nequit competere animali, nisi secundum eam rationem, in qua convenit cũ rationali, cum competat ipsi capacitas ad existendum (sicut, & cuilibet enti) ex conceptu possibilis, vt à Chimera distincti, vnde de nullis identificatis potest verificari existere, & non existere; & idem respectu animalis, & rationalis de produci, & non produci, cum esse producibile proveniat ex conceptu vtrique communi: quia tamen produci convenit filio in Divinis secundum rationem relativam, in qua differt ab essentia, esto filiatio, & essentia identificentur; filius producitur, & essentia Divina non producitur. Quæ doctrina est D. Thomæ in 1. dist. 1. q. 5.

137 *Ad 2. instantiam* concesso anteced. disting. conseq. vt vnum extremum *prout est à parte rei* non sit id realiter, quod est realiter alterum, conced. conseq. *precisivè acceptum*, neg. conseq. nequit beneficio distinctionis rationis fieri, vt vnum extremum prout à parte rei non sit quidquid à parte rei, seu realiter est alterum; potest tamen vi illius fieri, quod vnum extremum præcisivè sumptum, & vt sic præcisum non sit realiter id, quod est realiter alterum, cum prædicatum tale est, vt conveniat vni extremo secundum eam rationem, in qua differt ab alio extremo, præsertim cum illud prædicatum, scilicèt cognitum, nil reale ponat in obiecto, præter extrinsecam denominationẽ: vndè animal, vt distinctum formaliter à rationali, esse realiter cognitum, nil aliud est, quàm esse id, supra

quod

quod præcisivè acceptum cadit immediatè illa denominatio, quę immediatè non cadit supra rationale.

138 *Hinc inferes*, quo modo accipiendum sit, cum dicitur quod animal est realiter cognitũ, & quod rationale non est realiter cognitum, potest enim diversimodè accipi, ex cuius diversitatis intelligentia pendet, quod vel concedatur vt verum, vel negetur vt falsum. Pro quo nota, quod inter nomina substantiva, & adiectiva hoc est ex D. Thoma in 1. dist. 5. q. 1. art. 1. discrimen, quod substantiva supponunt, idest, afferunt secum suppositum, seu subiectum cum forma, adiectiva verò nõ afferunt suppositum, sed applicant immediatè formam, seu significatum suum formale substantivo. *Hinc* sensus huius propositionis, *rationale non est realiter cognitum*, si cognitum sumatur substantivè, est hic, *rationale non est res, quæ realiter cognoscitur*, & hæc est falsa in casu etiam præcisionis attingentis animal, nam licet rationale non cognoscatur, est tamẽ realiter res, quæ cognoscitur, alias non esset realiter animal. Si verò ly *cognitum* sumatur adiectivè, facit illa propositio hunc sensum, *rationale formaliter non est immediate in se ipso cognitum realiter*, & hæc in casu præcisionis est vera nàm cũ solum animal cognoscatur, non cadit supra rationale immediatè denominatio cogniti de sumpta à cognitione reali, sed supra animal vt obiectivè distinctum à rationali: Sicut in Divinis hæc est falsa, *essentia est realiter generans*, si generans sumatur adiectivè, & est vera, si sumatur substantivè; nam licet essentia non generet, est tamen res, quę generat, vt pote identificata cum Patre generante.

139 *Ex his colligitur*, quod per hoc, quod animal sit realiter cognitum, & rationale non sit cognitum realiter, non ideò habet animal aliquod novum prædicatum, cum quo realiter identificetur, & à quo realiter differat rationale: nam cum ly *cognitum* sumatur adiectivè, esse animal realiter cognitum, addit solum supra animal realem cognitionem denominantẽ, à qua ipsum animal realiter distinguitur, & vnitatem rationis obiectivã, vi cuius animal obiectivè distinguitur à rationali, nã esse realiter cognitum animal, non est esse realiter aliquam rem, quæ nõ sit realiter rationale, sed est pręcisè esse ipsummet animal vt tale formaliter, & vt distinctum distinctione rationis à rationali, supra quod animal sic distinctum cadit realis denominatio cogniti per cognitionem *animal*, quæ non cadit supra rationale. Vnde non valet, si cognitum sumatur adiectivè, *rationale non est realiter cognitum, ergo differt realiter à cognito*, quia per non esse realiter cognitum non denotatur non esse realiter aliquã rem, quæ realiter non sit animal, quod est cognitum; valeret tamen, *rationale non est realiter res, quæ est cognita; ergo, distinguitur realiter* (supposito,

quod

quod rationale sit,& etiam cognitio) *à cognito*, scilicet animali; sed tunc casus antec. erit falsum: sicut non valet, *Essentia Diuina non est realiter generans, ergo distinguitur realiter à generante*; valeret tamen, *Essentia Diuina non est realiter res, quæ generat, ergo differt realiter à generante*, sed antec. est omnino falsum.

140 *Vndè tandem* habetur, quod per hoc, quod animal sit realiter cognitum,& rationale non sit cognitum realiter, non ideo animal identificatur cum duobus extremis realiter distinctis, quę identificatio entitati creatæ repugnat, & solum vt ineffabile quid eam veneramur in Misterio Trinitas, in quo essentia identificatur realiter cum tribus personis realiter distinctis. *Habetur*, inquam, nam & si animal identificetur (vt supponimus) cum rationali, & cum cognito, quod affirmatur de animali, nam propositio affirmatiua vt hæc, *animal est realiter cognitum*, petit identitatem extremorum; hoc tamen non est identificari cum duobus realitèr distinctis, quia esse cognitum dicit pro formali solam denominationem cogniti, quæ pro formali, nec cum animali ipso identificatur, & pro materiali dicit ipsummet animal vt animal, & vt obiectiuè per rationem distinctum, à quo sola distinctione rationis secernitur rationale.

141 *Ad 3. instantiam* principalem concesso antec. neg. conseq. cuius adiuncta probatio oppositum suadet, quia ex eo, quod est maior (intensiuè scilicet) oppositio contradictoria, inter quomodolibet distincta exercetur, nam quævis distinctio cum includat affirmationem, & negationem, facit, vt vnum extremum sit ipsummet, & non alterum; vt autem aliæ oppositiones, vt pote minores intensiuè, dentur, maiorem exposcunt distinctionem, quia ad illas nō sufficit, quod vnum extremum sit ipsummet, & non alterum, sed vltra requiritur, quod sit aliquid oppositum alteri, quæ doctrina traditur expressè à D. Thom. in 1. dist. 5. q. 1. art. 1. ad 1. dicente; *Plura requiruntur ad alias oppositiones, quàm ad oppositionē contradictoriam, quia se habent ex additione ad ipsam; vnde non oportet quod si contrarietas non inueniatur, nisi in diversis realiter, quod affirmatio, & negatio inueniatur in diuersis realiter*, &c.

142 *Ad confirm.* resp. quod ars syllogistica rueret, si prædicatum, quod convenit animali, vt est à parte rei, non conueniret à parte rei omni identificato cum animali, non tamen si prædicatum, quod cōuenit animali formaliter sumpto, & vt obiectiuè præciso, negetur de rationali, vt significatur hac voce *rationale*, & vt formaliter differt ab animali: cum ergo dicitur de animali *cognosci*, & de rationali negatur *cognosci*, rationale non accipitur, vt est à parte rei, nàm vt à parte rei, est animal, de quo falso diceretur non cognosci, sed accipitur rationale vt significatur hac voce *rationale*, hoc est, vt obijcitur intellectui præscindenti, qua ratione

ne non cognoscitur ex vi actus attingentis animal, vt animal.

143 *Dices:* Ergo vt syllogismus rectè concludat, nulla extremitas debet distingui nec per rationem à medio: ergo vna saltim ex premissis debet constare terminis synonomis, aliter distinguetur vtraque extremitas per rationē à medio: consequens evertit vtilitatem artis syllogisticæ: ergo falsum est id, ex quo sequitur. Cætera patent, & prima conseq. videtur ex solutione inferri legitimè; ideò enim non valet hic syllogismus, *hoc animal cognoscitur, hoc animal est rationale, ergo rationale cognoscitur*, quia cum rationale distinguatur per rationem ab animali, quod cognoscitur, potest convenire esse cognitum animali, & non convenire, sed negari de rationali, quia possunt contradictoria verificari de distinctis per rationem.

144 *Resp.* neg. absolutè conseq. Ad cuius prob. disting. antec. ideò *præcise* non valet; quia distinguuntur per rationem neg. antec. ideò, *& quia medium*, cognitū scilicèt, *convenit animali secundum rationem, in qua differt à rationali*, cōced. antec. Vnde vtiliter concludit quilibet syllogismus legitimè constructus, & si non cōstet terminis synonomis, dū medium non affirmetur de vna extremitate secundum illam rationē, in qua differt ab altera. Hinc iste (& similes) syllogismus rectè cōcludit, hoc animal *existit*, *hoc animal est rationale, ergo rationale existit*, quia & si extremitates differāt ratione, existere tamen convenit ipsis ex conceptu vtrique communi. Syllogismus autem, quem affert obiectio, & iste; *res cognita est cognita, rationalitas est res cognita, ergo rationalitas est cognita*, & iste, *omnis animalitas hominis est rationalitas: cognoscitur animalitas hominis, ergo cognoscitur rationalitas*, nec nō iste, *qui cognoscit animalitatem, cognoscit id, quod est animalitas; sed rationalitas est animalitas, ergo cognoscit rationalitatem*, sunt omninò fallaces, & in eis, alijsq; similibus committitur deffectus arguendi ab idētica ad formalem: ex eo enim quod rationale sit animal, quod est verū præcisè in sensu identico, intēditur in omnibus illis, quod conveniat rationali formaliter vt tali, quod animali convenit præcisivè sumpto, & vt obijcitur intellectui distinctum à rationali.

145 *Si instes:* ergo hic syllogismus non concludit, *rationale est discursivum, hoc animal est rationale, ergo hoc animal est discursivum*, convenit enim esse discursivum rationali secūdum rationem, in qua differt ab animali. *Neg. conf.* nā licèt discursivū cōveniat rationali vt differenti ab animali, nō tamen cōvenit ipsi, quia differēti præcisè, ita, vt nisi vt differenti nō cōveniat qua ratione cōvenit animali cognitū hac cognitione *animal*, quod enim illa sit cognitum adiectivè (iuxta superius dicta) cōvenit ipsi vt distincto à rationali, ita, vt ipsi, nisi vt obiectivè distincto nequeat cōvenire; & tunç diversitas per rationem medij ab extremitate impedit identitatem extremitatū, quādo talis est, vt ipsi, quia diversæ, & non aliter, medium

 non

non conveniat, quod alteri extremitati ratione sui formaliter competit; alias de materiali se habet illa diversitas, cum medium competat extremitati etiam vt identificatæ cum alia, & hoc evenit in discursivo, quod, & si proprium rationalis vt distincti specificativè ab animali, non tamen reduplicativè, & præcisè, quia distincti, cum etiam sit discursivum rationale vt identificatum cum animali.

146 *Nec argumentum*, quod ex destructione artis syllogisticæ delumitur, maiorem habet difficultatem in nostra sententia, quàm in opposita, imò alio ex titulo maiorem habet difficultatem. Quod habeat eandē difficultatē prob. in hoc syllogismo, *hæc animalitas clarè, & evidenter cognoscitur, hæc animalitas est rationalitas, ergo rationalitas clarè, & evidenter cognoscitur*, præmissæ sunt veræ, & consequens falsum iuxta doctrinā præcisionis formalis, nàm ex vi huius cognitionis *animal* clarè cognoscitur animalitas, quæ est rationalitas, & tamen rationalitas, & si absolutè cognoscatur, clarè non cognoscitur· si ergo præmissæ sunt iuxta ipsos rectè dispositæ, ex præmissis veris rectè dispositis inferretur falsum, quod destruit principiū bonæ consequentiæ, & ex quo cætera dependent. Idem videre licèt in hoc syllogismo. *Petrū esse animal est illum esse rationalem; sed affirmo Petrū esse animal, ergo affirmo illū esse rationalem*, nam præmissæ sunt veræ, dum animal præscinditur formaliter, & consequens pro eodem casu præcisionis falsum. *Habet* etiam ex alio titulo maiorem difficultatē, nam nil apud Dialecticos magis receptum, quam quod non varietur appellatio, vt syllogismi rectè concludant, qui defectus variationis appellationis in disputationibus frequens, locùm iam non habet, nam si quod convenit quomodolibet, etiam in sensu formali, alicui extremo, debet id ipsum cōvenire alteri, eo solo titulo, quod à parte rei vtrumque est idem realiter, nil intererit, quod arguatur ab identica ad formalem, & consequenter quod varietur appellatio, vt nihilominus syllogismi rectè cōcludāt.

147 *Ad id tandem*, quo vrgebatur argumentum, resp. quod ante cognitionem præscindentem supponūtur animal, & rationale distincta fundamentaliter, & equiualenter, quatenus eadem entitas pluribus equivalet quoad varios effectus præstandos, & diversa munera exercenda; & ratione huius æquivalentiæ præbet intellectui nostro occasionem, vt eam entitatem in plures dividat formalitates, vi cuius divisionis, & distinctionis suscipere potest sine cūtradictione prædicata ex se contradictoria, nàm de ipsis, vt à parte rei, nequeunt verificari, & si in ipsis à parte rei sit fundamentum ad distinctionem, & consequēter ad verificationem, distinctione per intellectū facta: non tamen requiritur, quod distinctio actualis presupponatur independēter à præcisione, sufficit enim, quod fiat per eam, nam cū talis cognitio sit.

sit practica, & effectiva distinctionis, non debet præsupponere independeater ab ipsa, quod ipsa efficit, sicut nec actio calefactiva præsupponit calorem, quem ipsa introducit; si enim præcisio distinctionē efficit, cognosci, & non cognosci nō verificantur nisi de actu distinctis pro aliquo priori *à quo*, & depēdentiæ, licet non propriori *in quo*, & independēter ab ipsa cognitione, quā præcedit, & subsequitur in diverso genere causæ distinctio rationis ob iectiva. Videātur dicta in quæst. 1. art. 2. nam quæ intendunt probare talem distinctionē esse pure extrinsecam cum ipsa cognitione identificatā opportunius solventur. §. 4.

148 *Dices*. Data posšibili præcisione obiectiva, animal est à parte rei cognoscibile sine rationali, quia à parte rei habet aptitudinē, vt præcisum cognoscatnr hac cognitione *animal*, quia cognoscitur sine rationali, & rationale à parte rei non est cognoscibile sine rationali, non enim præbet fundamentū, vt præscindatur à se ipso: sed esse, & nō esse cognoscibile sine rationali sūt prædicata contradictoria: ergo data præcisione obiectiva, verificantur prædicata cōtradictoria de animali, & rationali, vt sunt à parte rei, quod nos ipsi reputavimus impossibile art. præced.

149 *Resp*. disting. mai. animal à parte rei est cognoscibile, *vt à parte rei est*, sine rationali, ne. mai. animal à parte rei est cognoscibile *præcisivè* sine rationali, cōced. mai. ceterū in hoc sensu rationale etiā à parte rei est cognoscibile præcisivè sine rationali, vnde nulla contradictio verificatur. Pro quo observa ex dictis in art. præced. quod ly *à parte rei* potest se tenere, ex parte prædicati, cognoscibilis scilicet, & sic falsum est, quod animal posšit cognosci à parte rei sine rationali, quia non est capax, vt si cognoscatur adequatè, prout est à parte rei, cognoscatur sine rationali. Alio modo potest ly *à parte rei* se tenere ex parte præcisè subiecti, & facit hunc sensū, animal prout à parte rei est capax, vt cognoscatur præcisivè à rationali, ita, vt capacitas sit à parte rei, licet in ordine ad actum præscindentē; cæterum in hoc sensu etiā est capax à parte rei rationale, vt præcisivè à se ipso cognocatur; cum enim ea entitas, prout à parte rei, sit entitas animalis rationalis, sive præcisivè cognoscatur cognitione *animal*, sive cognitione *rationale*, cognoscitur quovis modo præcisivè ab animali, & rationali prout à parte rei, siquidē prout à parte rei, nec est animal sine rationali, nec rationale sine animali, vt per quālibet ex illis cognitionibus repræsentatur: vnde solum prout in voluunt iā aliquomodo distinctionē factam ab actu præscindentè, verificatur, quod animal nō cognoscibile sine se ipso, sit cognoscibile sine rationali.

§. III.

Instatur præcedens argumentum.

150 HÆc pro veræ doctrinæ defensione, & pro solutione ex D. Thoma desumpta subiecimus; modo restat ostendere, quod si aliqua efficatia gaudet argumentum ex contradictione desump-

sumptum, ea minus premitur sententia opposita propugnans precisiones formales: *Sicut* enim sunt prædicata ex se cōtradictoria cognosci, & non cognosci, ita sunt ex se contradictoria, apparere, & non apparere, cognosci clarè, & nō cognosci clarè, esse affirmabile, & non esse affirmabile, sed data præcisione formali per hāc cognitione *animal* apparet, cognoscitur clarè, & est affirmabile ex vi illius animal, & nō apparet, nec clarè cognoscitur, nec ex vi illius est affirmabile rationale: ergo vel ex nostra sentētia nulla reverà contradictio sequitur, vel eadem sequitur ex sententia propugnante præcisiones formales.

151 *Si dicas* 1. relata prędicata verificari quidē de entitate animalis rationalis, cæterū verificātur de ea vt involuente connotata realiter distincta, ac proindè mirū non est, quod vbi realis distinctio intercedit, quę ex se vidētur cōtradictoria, sine cōtradictione inveniātur.

152 *Contra* est. *Tùm* quia ex dictis inter probandā conclusionē constat, eandē implicationē adesse (vel nullam in vtroque casu) in eo, quod res cognoscatur per ordinè ad vnū connotatū, & non per ordinem ad aliud, quando ordo ad vtrūque est idē realiter, ac potest adesse in eo, quod eadē entitas cognoscatur, & non cognoscatur: sed cognosci clarè animal, & nō cognosci clare rationale, est iuxta solutionem cognosci totam entitatē per ordinē ad vnum connotatū, & non in ordine ad aliud, cū tamē ordo ad vtrumq; sit idē realiter: ergo vel eadē entitas potest cognosci, & nō cognosci, vel nequit cognosci clare, & non cognosci clare. *Tùm*, quia viso à longe colorato, albo v.g. potest cognosci clare color, & clare nō cognosci albedo; sed respectu coloris, & albedinis, nū sunt facile assignabilia diversa connotata, imò, nec connotata: ergo inutilis est eiusmodi recursus. *Tùm* quia viso à lōge animali, Equo v.g. cognoscitur clarè animal, quin clare cognoscatur hinnibile; & tamē sēsatio, & hinnitus sūt idē connotatum realiter, hinnitus enim est realiter sensatio. *Denique*, si absq; contradictione verificas cognosci clarè, & nō cognosci clare de eadē entitate per ordinē ad diversa connotata, cur sine cōtradictione verificari non poterit cognosci, & non cognosci eādē entitatē per ordinem ad diversa connotata, & sic dabitur obiectiva præcisio per ordinē ad illa? non enim magis ex se contradicunt cognosci, & nō cognosci, quam cognosci clarè, & non cognosci clarè.

153 *Si dicas* 2. quod instantia cōvincit idē militare incōveniens in verificatione illius duplicis prædicati, scilicèt, *cognosci clare, & nō cognosci clarè*, quod militat in verificādo *cognosci, & non cognosci*; cæterum in sententia præscindentium solùm formaliter non verificantur priora prędicata, quia cognitione, qua clarè cognoscitur animal, etiam cognoscitur clarè rationale; & generaliter, quovis modo cognoscatur vnum prædicatū, cognoscitur eodem modo quidquid identificatur cum ipso.

Contra

154 *Contrà est*. Nam in primis ipsa solutio ex se falsa adeò apparet, vt vix impugnatione egeat; quis enim dicat, quod dum à longe video animal aliquod moveri, eadem claritate, qua percipio ipsum esse animal, percipio ipsum esse tale, vel tale animal? Hoc enim manifestè contradicit experientiæ, cum ex ea constet, me discernere, quod illud obiectum sit animal, & non discernere, quodnam, seu cuiusnam speciei sit animal: at si vtrumque clare cognoscerē, vtrūque discernerem: ergo. *Deinde*: sequitur ex solutione, quod dum ex effectibus naturalibus demonstrat solo lumine naturali Philosophus Deum existere, demonstrat quoque solo lumine naturali Authorem supernaturalem existere, & sicut evidenter solo lumine naturali demonstrat vnitatem Dei, Personarum etiam Trinitatem solo naturali lumine evidenter demonstret, quo nil absurdius. *Denique*. Cognoscere clarè rationale, est discernere rationale: nunc rogo, quomodo ex vi huius cognitionis *animal*, discernas rationale? Discernere quippè rationale, vt animal, est implicatio in terminis, nā sub hac expressione *animal*, rationale non discernitur, sed confunditur, ac proinde discernere ipsum, vt animal, non est ipsum discernere; sed vlterius non minus implicat in terminis, quod ipsum discernas, vt rationale, per cognitionem, qua ipsum exprimis, vt animal: ergo implicat, quod ex vi huius solius cognitionis *animal* cognoscatur clare rationale.

155 *Si tandem dicas*, quod cognosci clarè, & non cognosci clarè, cæteraque prædicata ex se contradictoria adducta in instantia, non verificantur absolutè de entitate obiectiva hominis, sed vt involuente ipsos actus præscindentes formaliter, qui quidem actus realiter differunt.

156 *Contra* est: nam clare cognosci, apparere, affirmari, aliaque huiusmodi, & si demus esse diversos modos tendēdi se tenētes subiectivè ex parte cognitionum, non tamen ita, vt extrinsecè saltim non denominent obiecta clare cognita apparentia, & affirmata: ergo dum cognoscitur homo hac cognitione *animal*, & non cognoscitur hac cognitione *rationale*, denominatur clarè cognitum animal, & non denominatur clare cognitum rationale: sed denominari clare cognitum, & non denominari clare cognitum, sunt prædicata, ex se contradictoria, saltim extrinseca: ergo cum rationale, & animal sint eadē entitas, de eadem entitate verificantur contradictoria extrinseca: *Tunc sic*: sed negantes præcisiones obiectivas, ideò eas negant, quia reputant impossibile, quod de eadem realiter entitate verificentur prædicata contradictoria etiam extrinseca, vt apud ipsos videre licet: ergo vel nulla est contradictio in præcisione obiectiva, vel eadem militat in præcisione formali.

157 *Confirm.* Data præcisione formali, animal præscinditur formaliter à rationali,& non præscinditur formaliter à se ipso: sed præscindi formaliter, & non præscindi formaliter sunt prædicata ex se cōtradictoria: ergo hæc verificantur, data præcisione formali.

158 *Si dicas*, quod animal pręscinditur formaliter à se ipso, in sensu, in quo præscinditur à rationali, & in sensu, in quo nō pręscinditur à se ipso, nec à rationali præscindit: nā præscindi formaliter animal à rationali nil aliud est, quā quod ex vi huius cognitionis *animal*, tota entitas ita appareat, vt nō possis dicere, *est rationale*, & hoc nec de ipso animali potes dicere in vi illius cognitionis *animal*, ac proinde in eo sensu etiam animal præscindit formaliter à se ipso: & similiter animal non præscindi formaliter à se ipso, est, quod ex vi illius cognitionis ita appareat tota entitas, vt possis dicere de illa, *est animal*, hoc autem non solum de animali, sed etiam de rationali potes dicere in vi illius cognitionis *animal*, ac proinde in eo sensu, nec à rationali præscindis.

159 *Contra est.* Nam de conceptu cuiuscumque præcisionis est quod id, quod pręscinditur maneat aliquo modo, quo non maneat id, à quo præscinditur, aliàs quid, & à quo præscinditur? Ergo si in eodem sensu manet animal, quo manet, vel non manet rationale, vel animal non præscindit formaliter à rationali, vel præcisio formalis vocetenus,& sine fundamento, dicitur præcisio. *Ex quo* haberetur, quod ex vi huius cognitionis *sapiens*, v. g. præscinderetur formaliter Diuina Iustitia à misericordia, nam si rationale non apparere per hanc cognitionem *animal*, sufficit, vt dicatur rationale præscindi formaliter, nihil certius, quàm quod per illam cognitionem *sapiens*, nec iustitia, nec misericordia appareant: consequens est absurdum: ergo falsum est id, ex quo sequitur.

160 *Deinde* obstat vrgenter ex dictis; nā iuxta solutionē tota entitas apparet animal ex vi illius cognitionis, & non apparet rationale: sed apparere, & non apparere sunt prædicata contradictoria: ergo cū tota illa entitas animalis rationalis sit vna, & eadem, de vna, & eadem entitate verificantur prædicata contradictoria. *Et ne fiat* recursus ad ipsas cognitiones realiter distinctas, assumo eādem cognitionem, hāc scilicet *animal*, qua cognoscitur homo, vel aliud animal visum à longe moueri, quin cognoscatur hac cognitione *rationale*, vel hac *irrationale*: ea cognitio *animal* talis est, vt media ea de tota entitate obiecti cognoscas clare animal, & nō cognoscas clare rationale: sed tàm entitas, de qua illud clare cognoscis, quam id, quod clare cognoscis; est idem realiter cum rationali, quod non cognoscis clare: ergo media hac cognitione cognoscis clare, & non cognoscis clare de eadem realiter entitate idem realiter prædicatum.

Vi-

161 *Vrgetur.* Cum in dicto casu cognoscis obiectum hac sola cognitione *animal*, non cognoscis clare ipsam cognitionem, qua illud cognoscis, non est enim ille actus cognitio reflexa cognitionis, sed immediatè, & directè est cognitio obiecti: vel ergo ea cognitio denominat clare cognitum, *vt quod* rationale, vel ipsum non denominat clare cognitum, *vt quod*: Si primum; impugnandus eris ex dictis contra solutionem positam, num. 153. Si secundum; ergo ea cognitione denominatur clare cognitum *vt quod* animal, & non denominatur clare cognitum *vt quod rationale*: sed denominari ab vna forma clare cognitum *vt quod*, & non sic denominari ab eadem sunt contradictoria: ergo de eodem realiter prædicato verificatur prædicata contradictoria; & consequēter, vel nulla sequitur ex præcisione obiectiva contradictio, vel eadem sequitur ex præcisione formali.

162 *Ex dictis* inferuntur duo. Primum est, quod minus rectè aliqui deffendentes cum Thomistis præcisiones obiectivas, excludunt ab extremis, inter quæ datur præcisio, distinctionem rationis obiectivam, sola extrinseca denominatione contenti. *Tùm* quia iuxta dicta inter probandam conclusionem distinctio consistens formaliter in diversitate cognitionum est realis, ac proinde distinctio rationis erit distincto realis, sicque nec cōpositio metaphisica subsistet, vel ea erit compositio cognitionum, non prædicatorū obiecti, quæ omnia, vt satis absurda reiecimus. *Tùm* quia ea distinctio purè extrinseca, & si realis, non minuit, sed auget difficultatem argumenti ex contradictione desumpti; nam cum prædicata contradictoria nequeant verificari de re, nisi vt aliquo modo distincta, vel cognosci, & non cognosci verificarentur de ipsis cognitionibus, in quibus consistit distinctio, & sic ea cognitio, præscindens esset semper reflexa, nec esset præcisio obiecti, sed cognitionis contra ipsam sententiam, quam nobiscum propugnant: vel committeretur circulus nugatorius: eo enim posset cognosci animal, & nō cognosci (sine contradictione) rationale, quia sunt aliquo modo sufficiente distincta, & ideo essent aliquo modo sufficiente distincta, quia cognoscitur animal, & non cognoscitur rationale.

163 *Infertur 2.* quod inutilem faciant aliqui recursum ad diversa phantasmata, in quibus asserunt intellectum cognoscere obiecta, vt media distinctione reali phantasmatum, contradictionis nodum dissolvant. *Tùm* quia & si intellectus non intelligat pro hoc statu nisi dependenter à phantasmate, non tamen in ipso, aut medio ipso, sed medio conceptu spirituali res intelligit, de quo in lib. 3. de anima. *Tùm*, quia assumo idem phantasma, hoc scilicèt phantasma *animal*, & propono respectu illius argumentum factum: hoc Phantasma *animal* substituit pro ani-

mali, & non substituit pro rationali: sed substituere, & non substituere sunt prædicata ex se contradictoria: ergo de eodem realiter phantasmate, & respectu eiusdem realiter obiecti verificantur prædicata contradictoria. *Deinde*. In illo Phantasmate *animal* cognoscitur animal, & in illo eodem non cognoscitur rationale: sed rationale, & animal sunt idem realiter: ergo idem realiter cognoscitur, & non cognoscitur in eodem realiter phantasmate. Quare standum est solutioni, quam ex D. Thoma desumpsimus supra num. 130. quamque alibi sæpe tradit, vt constat ex dictis in art. præcedente.

§. IV.

Reliqua argumenta soluuntur.

164 OBijcies 2. Intellectus media hac cognitione *ens* nullo modo intelligit connotata propria substantiæ, & accidẽtis, scilicet, *existere per se, vel in alio*; & tamẽ aliquo modo intelligit media illa cognitione *ens* substantiam, & accidens, cum non admittatur à Thomistis conceptus obiectiuus entis ab inferioribus præcisus: ergo ratio conclusionis est nulla. *Et quidẽ* omnia argumenta pro nostra sententia facta manifestè instantur in ente; apparet enim esse per hanc cognitionem *ens*, quin per illam appareat tale, vel tale esse: & tamen hęc apparentia non est ex parte obiecti, aliàs ex parte obiecti præscinderet à tali, vel tali esse: ergo ex hoc, quod appareat, repræsentetur, discernaturque animal per hanc cognitionem *animal*, quin appareat, repræsentetur, aut discernatur rationale, non bene infertur, quod tota hæc præcisio non se teneat purè ex parte actus, sed etiam sit præcisio ex parte obiecti.

165 *Confirm.* Visus (idem de qualibet potentia materiali) est incapax præcisionis obiectiuæ, aliàs posset suo actu facere vniversale: & tamen viso à longe colorato, percipit colorem, & discernit, quin percipiat aut discernat talem, vel talem colorem: ergo ex rationibus pro conclusione propositis non infertur præcisio, quę sit obiectiva.

166 *Resp.* quod ex rationibus propositis pro conclusione infertur legitimè præcisio, quæ non sit purè formalis, sed se teneat etiam ex parte obiecti, ac proinde sit præcisio obiectiva: quænam autem præcisio obiectiua debeat esse; perfecta scilicet, an imperfecta, hoc ex alijs principijs ab his, quę in præsenti firmauimus, pendet. *Pro quo* observa, quod præcisio obiectiua est duplex, alia perfecta, & quæ solet dici præcisio *penès excludens, & exclusum*, alia imperfecta, & quæ solet dici præcisio *penes explicitum, & implicitũ*. Primi generis pręcisione præscindit genus à differentijs, quælibetque ratio superior vniuocas à suis inferioribus, vt insinuatũ manet num. 127. & ex

pro-

professo propugnabitur infra q. 4. de Genere: diciturque præcisio hęc penes *excludens, & exclusum*, quia non solum intellegitur animal v. g. sine rationali, verùm excludit à suo conceptu obiectivo metaphisico rationale, ita, vt licet propter identitatem vtriusque sit verū absolute, quod animal est rationale, in sensu tamē reduplicatiuo, & formaliter sit falsū, animal enim in quātū animal, nec est rationale, nec irrationale, sed pręcisè viuēs sēsibile.

167 *Secundi* generis præcisione præscindit ens à modis, seu differentijs entis, licet enim qui intelligit ens, vt exprimitur hac voce *ens* non intelligat differentias substantiæ, & accidentis, vt argumentum recte probat, sunt tamen de conceptu obiectiuo entis sub quacumque reduplicatione cognito: nam cum quælibet differentia, in quantum talis etiam, sit ens, nequit ens esse extra conceptum illius, nec differentia quælibet potest esse extra conceptum entis, quod sub quavis consideratione in se includit. *Hinc* dicitur hæc præcisio penes *explicitum, & implicitum*, quia licet ens, vt ens, differentias non exprimat; eas tamen vt ens imbibit, & in se implicat, qua ratione nec ens dicit conceptum vnivocum, sed analogum; nec ex ente, & eius differentia fit cōpositio metaphisica, qualis fit ex genere, & differentia, quia talis compositio fit ex duplici conceptu, seu prædicato, quorum vnum non habeat in se aliud, vel includat; & idem dicendum de prædicatis Divinis, quibus compositio metaphisica repugnat, licet enim vnum non exprimat aliud, & intelligatur sine alio, aliud tamen propter sui illimitationem includit.

168 *Hinc* cum postea quæst. 7. de transcendentia, analogia, & præcisione entis dicitur à nostris, quod dum intelligitur ens, ibi intelliguntur *implicitè* substantia, & accidens, non hoc intendunt, quod ibi aliquo vero modo intelligantur: aliter, si implicitè intelligere, sit verè, & absolute intelligere, qui lumine naturali solo demonstrat Dei vnitatem, vere, & absolute intelligeret eodem actu Trinitatem, cum in sententia Thomistica nullum predicatum diuinum præscindat præcisione excludentis & exclusi ab alio prædicato identificato cum ipso. *Sensus* ergo est, quod substantia, & accidens sunt de conceptu metaphisico entis pro implicito, ita, vt quacumque præcisione vtaris, ens imbibat ea inferiora, & si ea non exprimat, cum enim inferiora sint metaphisicè formaliter entia, nequeunt esse extra quemcumque conceptum, qui sit conceptus entis.

169 *Ex his* constat solutio ad argumentum, qui enim intelligit pręcisiue ens hac cognitione *ens*, nullo vero modo intelligit propria connotata inferiorum entis; sicque nullo vero modo intelligit media ea cognitione substantiam, & accidens; ex hoc autem malè contra conclusionem insurgis, cū

Tho-

Thomistæ non negent præcisionem obiectiuam entis, sed talem præcisionem, qualem habet ratio generica à differentijs, scilicet, *penes excludens*, *& exclusum*, non tamen quæ sit penes *implicitum*, *& explicitum*, non quia intelligendo ens, intelligantur eadem cognitione eius inferiora, sed quia sunt de essentia metaphisica pro implicito entis præcisi, ita vt de ipso nequeant negari, sicut vere negatur, & quod animal, vt animal, sit rationale, & quod rationale formaliter, vt tale, sit animal.

169 *Ad confirm.* resp. quod visus, cæterique sensus non dicuntur præscindere obiectiue, nisi tantùm occasionaliter, prebent enim occasionem intellectui, vt inter rationes sensibiles identificatas distinctionem faciat, & sic vnam ab altera præscindat. *Hinc* in casu colorati a longe visi dicimus, quod visus vtramque attingit, & colorem, & talem colorē, sicut semper attingit colorem in singulari; propter distantiam tamen, ita remissè informatur speciei repræsentatione, vt discernere vix percipiatur albedinem, & si eam, tenuissimè saltim discernat. *Et quidem* sensus externi capaces non sunt præcisionis formalis, quæ vere sit talis, aliàs sensus externi operatione fieret vniversale, quod est absurdum: quod ergo AA. oppositi respondeant pro neganda præcisione formali, quam concedunt intellectui, idem nos respondebimus pro neganda sensui præcisione obiectiua, quam intellectui concedimus.

170 *Obijcies 3.* Qui indiuisibile attingit, aut totum, aut nihil attingit. sed animal & rationale sunt ex parte obiecti entitas indivisibilis: ergo vel animal non attingitur, vel animal rationale attingitur. *Confirm.* Qui concipit hoc obiectum, *substantia supernaturalis*, nequit affirmare, an sit verum ens, vel Chimera; & tamen nequit præscindere ex parte obiecti substantiam supernaturalem ab ente, & Chimæra, repugnat enim, quod non sit verum ens, vel Chimæra: ergo & si intellectus possit cognoscere animal, ita, vt nequeat affirmare rationale, vel irrationale, non ideò sequitur, quod cognoscens animal, præscindat à rationali, & irrationali.

171 *Resp.* distin. mai. si sit indivisibile, *tam realiter*, *quàm per rationem*, conced. mai. si sit indiuisibile, *solum realiter* neg. mai. aliàs non posset etiam attingi clarè vnū, quin clarè attingeretur aliud, quod Adversarii negant. *Ad confirm.* concessa mai. distingu. min. nequit præscindere, *perfectè*, *& quoad implicitū*, conced. min: *imperfectè*, *& quoad explicitū* neg. min. & neg. conseq. quia de essētia metaphisica animalis non est rationale, vel irrationale, sicut est de essentia metaphisica substantiæ supernaturalis, si hæc nō repugnat, ratio entis illam transcēdens, vel ratio Chimeræ, si eiusmodi substantia repugnet; quo tamen non obstante, potest quoad expli-

citum ab vtroque præscindi, quia nec explicat esse proprium entis, nec repugnantiam propriam Chimæræ.

172 *Denique* obijcies. Distinctio rationis inter animal & rationale, non est obiectiva, seu non se tenet ex parte obiectorum:ergo nec præcisio. Patet conseq. ex dictis, & antec.prob.1. Per hoc præcise, quod intellectus distinguat animal a rationali, animal est per ratione distinctum ab illo: sed vt intellectus distinguat animal, nulla ex parte obiecti desideratur distinctio, intellectum quippè distinguere consistit formaliter in actu distinguente, scilicet, in cognitione attingente animal sine rationali :ergo nulla desideratur distinctio ex parte obiecti, vt animal distinguatur per ratione à rationali. *Prob.* 2. idem antec. Talis distinctio rationis est vnitas rationis, qua scilicet animal obijcitur, vt in se vnum, & distinctum ab omni non ipso: sed eiusmodi vnitas non se tenet ex parte obiecti, *Tùm* quia non facile assignabitur in quo consistat. *Tùm* quia si se teneret ex parte obiecti, attingeretur per cognitionem præscindentem: sed per hanc cognitionem *animal* eiusmodi vnitas non attingitur, sed solum animal:ergo non se tenet ex parte obiecti.

173 *Confirm.* 1. Maiorem connexionem habet animal cum vnitate reali, quam cum vnitate rationis ficta obiectiue : sed potest animal cognosci præcisiuè sine prima alias non posset cognosci sine rationali:ergo potest etiam cognosci sine secunda. *Confirm.* 2. Distinctio rationis talis est, qualis compositio per rationem, seu metaphisica ; sed hæc compositio non est obiectiua, cum prædicata diuina per rationem distincta nequeant subire obiectiuam compositionem : ergo nec distinctio rationis est obiectiua.

174 *Argumenti* materiam sæpe tetigimus tùm quæst. 1. art. 2. vbi ex professo ostendimus obiectum Logicæ non consistere formaliter in ipsis actibus diffinientibus, aut diuidentibus, nec in denominatione extrinseca ab ipsis desumpta. Tù tota quæst. 2 nec non inter probãdam præsentem conclusionẽ. *Quare* neg. ante. Ad eius 1. prob. disting. mai. Per hoc præcisè, quod intellectus distinguat, animal est per rationem distinctum *extrinsecè* cõced. mai. *intrinsecè* sub disting. *vialiter, & in fieri* conced. mai. *formaliter, & in facto esse* neg. mai. Distinctio inter animal, & rationale nequit esse realis, ac proindè nequit formaliter cõsistere in ipsis cognitionibus, sed solum effectiuè, quatenus per cognitionẽ introducitur, seu ex vi illius resultat distinctio, qua obiecta formaliter ; & complete denominentur, distincta quæ vialiter solum, & in fieri denominabantur distincta per actionem distinguentem; quæ doctrina exemplo cuiuscunque actionis introducentis formam in materia inuenitur roborata, & explicata in cit. quæst. 1. art. 2.

Ad

175 *Ad 2. prob. antec.* concessâ mai. neg. min. Ad cuius primam, prob. dicimus, quod vnitas positiva obiecti præcisiuè attacti animalitatis v. g. consistit in carentia pluralitatis, vt concepta per modum formæ afficientis positiue animal, illudque reddens positiue formaliter vnũ in se, & distinctũ a differentijs, per quas cotrahitur. Vnitas vero negativa consistit in eo, quod obiiciatur, ipsũ animal, nõ obiectis differentijs, quibus diuersificatur, siuè ac si solum esset animal; sicut in sententia opposita consistit talis vnitas in eo, quod per cognitionẽ appareat animal, & non appareant differentiæ. Prior vnitas signate attingitur, & exprimitur hac cognitione *Genus*, & per vocem secundæ intentionis significatur; secunda vero exercité solum, & ex consequenti attingitur per cognitionẽ, qua signate, & directè attingitur animal, eo modo, quo supra quæst. 1. art. 2. diximus attingi respectus subiecti, & prædicati per iuditium signate enuntians animal v. g. de homine; vnitas enim negativa non tam consistit in exclusione pluralitatis, quam in præcisione ab illa, quæ exercite, in concreto repræsentatur per cognitionem signate repræsentantem solum animal, per quod constat ad 2. prob.

176 *Ad 1. Confirm.* resp. disting. mai. Maiorem connexionem *in esse rei*, conced. mai. *in esse obiecti* neg. mai. & concessa min. neg. conseq. sicut in sententia opposita, & si maiorem habeat connexionem animal cum vnitate reali intrinseca, quam cum extrinseca desumpta ab apparentia, seu repræsentatione clara cognitionis, potest nihilominus apparere, seu clare cognosci sine prima vnitate, & non potest apparere, seu clare cognosci sine secunda.

177 *Ad 2. confirm.* concessa mai. neg. min. nec inferta probatio illam suadet, quia licet compositio metaphisica exigat extrema per rationem distincta, non tamen potest talis compositio resultare ex extremis quomodolibet per rationem distinctis; requiritur enim talis distinctio, vt vna ratio obiectiua aliam non includat in suo conceptu metaphisico, & nõ sufficit, quod illam non exprimat, qua ratione, nec vnum prædicatum Divinum, & si ab alio penes explicitum distinctum obiectiue, facit compositionem metaphisicam cum illo, nec ens cum differentijs, à quibus solùm pro expresso præscindit obiectiuè.

178 *Ex dictis* infertur, quod gradus superiores, & inferiores sola distinctione rationis actu formaliter distinguantur; non enim distinguuntur actu à parte rei distinctione reali simpliciter, cum sint gradus ab eadem indiuisibili entitate provenientes in genere causæ formalis; nec distinguuntur actu formaliter à parte rei distinctione media, seu formali ex natura rei, vt ostendimus art. 2. nec distinctione virtuali; quæ sit distinctio actu, & cuius beneficio suscipiant à parte

rei

rei prædicata contradictoria vt art. 3. monstravimus: solum ergo ex dictis ibi distinguuntur à parte rei virtualiter, in hoc sensu, quod ratione æquiualentiæ ad plura eadem entitas præbet nostro intellectui fundamentum, vt eam in plures formalitates diuidat, seu distinguat, quæ distinctio est actu formaliter distinctio per intellectum tantum: differunt ergo distinctione formali actuali solum per rationem, & si fundamentum distinctionis sit actu à parte rei.

ART. V.

In quonam statu sit natura vna, & communis pluribus?

179 OStendimus supra art. 1. huius quæst. quod natura vna, & pluribus communis, qua vnitate, & communitate est vniuersalis, non datur realiter separata à singularibus; modo restat indagare, an prædictis gaudeat, vel in statu contractionis ad singularia, vel in alio statu ex his, in quibus Logici, nec non Metaphisici solent cōsiderare naturam. Et quia communitas, quasi cōsequitur vnitatem, ex eisdemque principijs vtrumque determinatur, vt ex dicendis constabit, ideo, non diuisim, sed simul pro vnitate, & communitate naturæ vniuersalis præsens dubium excitatur.

§. I.

Prænotantur aliqua.

180 NOtandum est 1. quod vnitas potest sumi, vel latè, vel strictè: accipitur latè, cum accipitur pro conformitate, vel similitudine, aut proportione duorum in aliquo prædicato, seu munere, qua ratione plura similia, in ratione, in qua sunt similia, reputantur vnum, & hæc conformitas dicitur *latè* vnitas, cum reuera distinctionem, & diuersitatem includat, vnde solet propriùs dici vnitas fundamentalis, quatenus similitudo plurium in aliqua ratione fundamentum est, vt intellectus concipiat ea vt vnum. *Vnitas* strictè sumpta est carentia distinctionis, aut diuisionis, vnde quot modis fuerit distinctio, tot modis erit vnitas. *Distinctio* autem est duplex, formalis, & materialis: *Distinctio* formalis est distinctio per principia formalia, hoc est, per prædicata essentialia, qualiter dicuntur formaliter differre homo, & Equus. *Distinctio* materialis, quæ etiam solet dici distinctio numerica, est distinctio per principia materialia, idest, per prædicata indiuiduantia, qua ratione differunt numericè Petrus, & Paulus.

181 Hinc consequenter vnitas est duplex, formalis scilicet, & materialis: *Vnitas formalis* est carentia diuisionis per principia formalia, quæ sunt prædicata essentialia rei,

rei, qua ratione duo indiuidua eiusdem speciei solent dici vnum formaliter. *Vnitas materialis* est carentia diuisionis per principia materialia, seu indiuiduantia, qua ratione Petrus est vnus numero, quia est materialiter indistinctus. *Et quia* diuisio formalis subdiuiditur in genericam, & specificàm, vnitas etiàm formalis alia est generica, alia specifica: *Generica* est, quæ distinctionem genericam excludit, vt homo, & Equus, qui non differunt genere, sunt vnum generice. *Vnitas specifica* est, quę excludit distinctionem specificam, vt Petrus, & Paulus, qui specie non differunt, dicuntur vnum specifice. *Ex his* vnitatibus illa dicitur maior, quæ magis excludit de distinctione, sicut minor, quæ minus de distinctione excludit; vnde vnitas generica, quæ nec distinctionem specificam, nec numericam excludit, est minor vnitas, quam specifica, quæ solam distinctionem numericam secum compatitur; specifica autē est minor, quam vnitas numerica, quæ est omnium maior, cum excludat distinctionem genericam, specificam, & numericam.

182 *Notandum est* 2. quod natura, quæ denominatur vniuersalis, potest in triplici statu considerari, scilicet, *secundùm se*, vt contracta ad *singularia*, & *prout in intellectu*. Primus status dicitur status solitudinis, in quo solū considerātur prædicata essētialia naturæ, vnde quod positiuè conuenit naturæ secūdum se, in omni statu ei competit, cum in quocumque statu comitentur naturam eius prædicata essentialia. Secundus status est status concretionis ad singularia, & ad exercitam naturę existentiam, in quo statu plura ei conueniunt, quæ ipsi secundum se, aut in alio statu non competunt, nam in tali statu plùra habet accidentalia, quæ ipsam necessario non comitantur. *Tertius* status est status præcisionis, in quo considerantur, quę vltra prędicata essentialia, ei conueniunt beneficio intellectus, vt ratio generis, speciei, & similium; & quia hęc accidentalia quoque sunt, sicut & ipse status, non petunt adesse semper naturæ in quouis statu.

183 *Vt igitur* ad id, in quo est difficultas, deueniamus, supponendum est 3. quod natura prout in intellectu gaudet vnitate positiua, & communicabilitate, seu aptitudine ad essendum in multis: qua vnitate, & aptitudine (in quocumque pro nunc consistant) est vniuersalis. Ratio est quia natura prout in intellectu habet statum, vi cuius sit, aut denominetur vniuersalis formaliter: sed vt sit formaliter vniuersalis, requiritur, quod gaudeat vnitate positiva, & aptitudine ad essendum in pluribus, vt ex diffinitione vniuersalis explicata supra art. 1. manifestè constat: ergo eiusmodi vnitate, & aptitudine gaudet natura prout in intellectu. Mai. constat ex eo, quod licèt impugnetur ab omnibus natura vniver-

versalis Platonica separata realiter à singularibus, & aliqui videantur tribuere vniuersalitatem naturæ, vel secundum se, vel etiam provt contractæ ad singularia, conveniunt tamen omnes in eo, quod saltim provt in intellectu sit vniversalis; licet sub dubio sit, in quo talis vniversalitas consistat, de quo, prȩter dicta tùm in artic. immediatè præced. tùm art. 1. ex professo disputabitur in art. sequentibus.

184 Similiter, vt indubium debet supponi, quod natura provt in singularibus est vna vnitate similitudinis, & conformitatis, quā initio art. descripsimus, quæque dicitur vnitas fundamentalis; hæc enim consistit in eo, quod natura reperta in vno singulari sit similis naturæ repertæ in altero: sed natura reperta in Petro v. g. est similis naturæ Pauli; nam sicut Petrus est homo, ita Paulus est homo: ergo natura provt in singularibus est vna fundamentaliter, hoc est, est vna vnitate similitudinis, & conformitatis.

185 *Reducitur* ergo litigium ad vnitatem propriè sumptam, pro carentia scilicet distinctionis, aut diuisionis, & inquiritur, an prȩter vnitatem numericam, qua in vnoquoque indiuiduo gaudet natura, Petrus enim est vnus numero, habeat quoque vnitatem formalem à numerica distinctam, & vi cuius natura provt in Petro, in Paulo, & cæteris indiuiduis sit vna, & eadem natura formaliter, ita, vt licet numerice multiplicetur in illis, illęsam nihilominus retineat vnitatem formalem. Et idem etiam est litigium respectu naturæ *secundum se*, an scilicet gaudeat secundum se, seu essentialiter considerata, aliqua vnitate. Et quia vnitas alia est positiva, vi cuius scilicet excluditur pluralitas, alia negativa, & quæ consistit in eo, quod natura non dicat pluralitatem, de vtraque procedit prȩsens dubium, sicut & de duplici naturȩ communitate; alia negatiua, quæ consistit in eo, quod natura nulli sit indiuiduo apropriata, vnde ipsi non repugnet esse in pluribus, alia positiua, & vi cuius natura sit absolutè, & positiuè apta ad essendum in pluribus.

§. I.

Excluditur vnitas, similiterque communitas tàm positiua, quàm negatiua, à natura in statu contractionis.

186 Sit prima conclusio. *Natura, vt à parte rei existens in singularibus, non est vna vnitate formali positiua.* Opposita sententia tribuitur communiter Scoto in lib. 2. sent. dist. 3. quæst. 6. quia licèt non dubitet quamvis naturam creatam numerice multiplicari, & diuidi in singularibus, docet nihilominus illæsam remanere vnitatem formalem, quia diuisionem numericam non habet natura ex se, sed à singularitate, à qua diuin-

distinguitur distinctione formali ex natura rei, licet alij contendant solam vnitatem negativam propugnasse Subt. D. in natura contracta. Conclusio tamen proposita prob. Natura provt in singularibus est multiplex, & diuisa : ergo provt in singularibus non est vna vnitate positiua. Antec. patet, nam in Petro, & Paulo sunt duæ naturæ, in creatis enim nequit vna, & eadẽ natura esse in pluribus suppositis, conseq. vero prob. Naturam esse vnam vnitate positiua, est naturam excludere sui diuisionem, cũ vnitas positiua diuisionem excludat : sed natura multiplex, & diuisa non excludit diuisionem, siquidem illam habet: ergo si provt in singularibus est multiplex, & diuisa; provt in singularibus non est vna vnitate positiua.

187 *Dices*, quod natura in statu contractionis est diuisa realiter, & numericè, est tamen vna formaliter, quia diuisio numerica non opponitur vnitati formali, sed solum vnitati reali numericæ.

188 *Sed contra est* 1. Illa vnitas formalis vere est talis à parte rei, vereque à parte rei existit : ergo est vnitas realis: ergo natura vna illa vnitate positiva est absolute vna, & eadem natura realiter: sed vlterius est absolute multiplex realiter, cum à parte rei sit diuisa diuisione, quæ absolute facit naturam multiplicem realiter : ergo est absolutè eadem realiter natura, & multiplex natura realiter, consequens est falsum, & manifestè implicans: ergo falsum est id, ex quo sequitur. Omnia constant ex dictis in art. 2. contra distinctionem mediam, cuius impugnationibus hæc quoque impugnatur sententia de vnitate formali naturæ, vt pote quæ ex distinctione media ortum trahit.

189 *Contra* 2. Naturam prout in Petro, & prout in Paulo seruare illæsam vnitatem formalem, est, quod natura prout in Petro, & prout in Paulo sit natura eadem aliqua identitate verè, & in re tali, aliter, vel vnitas illa formalis non erit propriè vnitas, vel non manebit à parte rei illæsa in statu contractionis : sed repugnat, quod natura creata in pluribus sit suppositis realiter distinctis, & quod sit eadem natura identitate, vere, & in re tali : ergo repugnat quod natura prout in singularibus seruet illæsam vnitatem formalem. Min. constat ex eo, quod naturam vera identitate eandem esse in pluribus realiter distinctis, est proprium naturę Diuinę, quæ eadem est in tribus diuinis personis.

190 *Nec sufficit* si dicas, quod natura Diuina est eadem indiuidualiter in tribus Personis, natura vero humana v.g. est eadem formaliter, secus tamen indiuidualiter, in Petro, & Paulo.

191 Nam contra est, quia indiuiduationes diuersas cum natura identificatas ipsam non diuersificare realiter in esse naturæ, non minus difficile apparet, & excellens, quã quod plures personalitates cum natura identificatę ipsam rea-

realiter non distinguant: sed primum aperte fatetur solutio, propugnatq; ie in natura creata: ergo nec minus difficile, nec minus excellens quid fatetur de natura creata, quam quod in supremo Trinitatis Mysterio fatemur catholice de natura Diuina. *Explicatur*. Iuxta doctrinam solutionis natura creata nullam accipit in se diuersitatem ex diuersis indiuiduationibus, quibus indiuiduatur, sed manet à parte rei illæsa in sua vnitate propria naturæ, sicque est vna natura cum pluribus indiuiduationibus realiter distinctis: sed non minus difficile est, quod sit vna à parte rei natura cum pluribus singularitatibus realiter distinctis, quam quod sit vna & eadem natura cum pluribus personalitatibus distinctis; ergo non minus excellens quid fatentur de natura creata, quam quod veneramur in natura Diuina.

192 *Confirm*. Natura in Petro, & Paulo, vt distincta in re distinctione illa media, est in re eadem omnino natura: ergo in Petro, & Paulo solæ singularitates sunt distinctæ, natura vero manet in re indistincta: ergo Petrus, & Paulus non sunt plures homines, sed vnus homo. Prob. conseq. *Tum* quia ideo tres Personæ in diuinis non sunt plures Dij, sed vnus Deus, quia licet personalitates sint plures, natura diuina est eadem realiter in illis: ergo si in Petro, & Paulo est eadem in re natura, cestò singularitates sint plures, Petrus, & Paulus non erunt plures homines, sed vnus homo. *Tum* quia ideo primum est verum, quia quæ significantur nomine substantiuo, quale est ly *Deus*, non dicuntur plura, nisi forma plurificetur, nomina enim numeralia adiuncta nomini substantiuo numerant formas iuxta D. Thomam 1.p.q.39. art.3. sed *homo* est nomen substantiuum, formaque significata est natura humana: ergo Petrus, & Paulus non sunt plures homines, si natura humana est in illis vna, & eadem natura.

193 *Vrgetur*. Natura Petri perseuerat in re vna, & eadem cum natura Pauli aliqua identitate vere tali, & si non identitate numerica, & materiali: ergo cum desinit esse, vel incipit existere Petrus, incipit esse, vel desinit esse in re aliquid Pauli. Patet conseq. nam quid magis Pauli, quam eius natura; at incipiente existere, vel desinente Petro, incipit esse, vel desinit natura Pauli, siquidem incipit, vel desinit esse natura Petri, quæ aliqua vera identitate est natura Pauli: ergo incipit, vel desinit esse aliquid Pauli. Consequens autem, quàm absurdum sit, satis patet, ex eo enim sequitur, quod solum indiuiduum primo existens in aliqua natura, simpliciter incipiat, similiterque solum desinat simpliciter esse, indiuiduum, quod vltimo perijt; nam

nam alia indiuidua, præter primum, iam supponebant sui propriam naturam à parte rei existentem, sicut & illam relinquunt existentem; quæ aliud post se relinquunt existens indiuiduum.

194 Secunda Conclusio. *Nec vnitas formalis negatiua competit naturæ in statu contractionis.* Prob. Natura vna vnitate negatiua est natura nulli indiuiduo appropriata: sed natura prout in statu contractionis est natura appropriata indiuiduis: ergo natura prout in statu contractionis non est natura vna vnitate negatiua. *Confirm.* Natura vna vnitate negatiua est natura, cui non repugnat esse in pluribus, & identificari cum illis: sed naturæ in statu contractionis repugnat esse in pluribus, & identificari cum illis: ergo natura in tali statu non est vna vnitate negatiua. Prob. min. Natura in statu contractionis est natura in singulari, natura scilicet, quæ est in Petro, vel quæ est in Paulo: sed naturæ, quæ est in Petro, repugnat esse, & identificari cum pluribus: ergo repugnat esse, & identificari cum pluribus naturæ in statu contractionis.

195 *Si dicas*, quod naturę Petri repugnat identificari cum pluribus, non ex se, & ratione naturæ, sed ratione hæcceitatis, cum qua de facto identificatur in Petro. *Contra est.* Naturę Petri ratione identitatis cum hęcceitate, siue singularitate Petri repugnat identificari cum pluribus, sed naturæ Petri repugnat casus, in quo non identificetur cum singularitate Petri: ergo repugnat absolutè casus, in quo natura Petri identificetur cum pluribus: ergo ipsi naturæ Petri repugnat ex se identificari cum pluribus, cum ipsi ex se repugnet non identificari cum singularitate, ex qua iuxta solutionem habet non posse identificari cum pluribus.

196 *Confirm.* & explicatur. Naturæ Petri *ex se* non repugnare, quod identificetur cũ natura Pauli, vel denotat, quod repugnantia non oritur ex natura metaphisicè, & pręcisiuè considerata, vel quod non oritur ex ipsa, vt in re distincta (distinctione scilicet media) à Petreitate: si primum, non est ad rem; si secundum, est omnino falsum: ergo solutio ex omni parte est nulla. Min. quoad 1. partem est certa, nam natura sub illa pręcisione est natura, vel secundum se, vel prout in intellectu, de quo statu modo non disputamus. *Quoad* 2. verò partem prob. Naturæ Petri, vt in re distinctæ à Petreitate, repugnat non esse naturam Petri: ergo ipsi, vt in re distinctæ à Petreitate, repugnat identificatio cum natura Pauli. Prob. conseq. cui conuenit antecedens, conuenit consequens, quod ex antecedente legitimè infertur: sed ad repugnantiam cum eo, quod non sit natura Petri, sequitur legitimè repugnantia cum eo, quod identifice-

ficetur cum natura Pauli: ergo si naturę Petri, vt in re distinctæ a Petreitate, convenit repugnantia ad primam, convenit quoque ipsi, vt in re distinctæ a Petreitate, repugnantia ad secundam.

197 *Confirm.* 2. Naturæ Petri, vt est in re, non repugnat ex se, quod identificetur cū natura Pauli: ergo natura Petri, vt in re est, potuit ex se realiter separari ab eo, cum quo realiter identificatur, & identificari cum eo, à quo est realiter separata: Consequens est manifeste implicatorium: ergo falsum est antecedens. Prob. 1. conseq. quæ sola probatione eget. Natura Petri est realiter identificata cum singularitate Petri, & est realiter separata à singularitate Pauli: sed vt sit natura Pauli, requiritur, quod identificetur cū singularitate Pauli; & sit realiter separata à singularitate Petri: ergo si naturę Petri, vt in re est, non repugnat ex se, quod identificetur cū natura Pauli, potuit, quantum est ex se, separari ab eo, cum quo identificatur, & identificari cum eo, à quo est separata.

198 *Vrgetur* Naturæ Petri non convenit realis identitas cum singularitate ratione ipsius singularitatis, cum identitas duorum ex natura vtriusque proueniat: ergo natura Petri petit identitatem realem cum singularitate Petri, ratione sui, & non ratione singularitatis: sed quod ratione sui petit identitatē cum singularitate Petri, ratione sui habet repugnantiam, vt sit natura Pauli, vt ex dictis patet: ergo ipsi naturæ Petri, vt a singularitate distinctæ, repugnat identificatio cum natura Pauli.

199 *Hinc infertur*, quod non solam vnitatem negativam, sed vnitatem etiam positiuam teneantur propugnare in natura contracta AA. oppositi, quidquid in contrarium plures reclament. Naturam quippe esse vnam vnitate positiva, est, quod natura Petri, & Pauli sit vna, & eadem natura, identitate aliqua in re tali: sed si natura Petri, vt à Petreitate distincta, non habet per quid distinguatur (in quo consistit vnitas negativa) à natura Pauli, natura Petri, & Pauli est eadem natura, identitate aliqua in re tali: ergo vel non est vna negatiuè natura Petri, & Pauli, vel est vna positiue. Prob. min. Hoc esse, & illud esse, & hoc non esse distinctum ab illo in aliqua ratione ab extremis participata, est esse idem in tali ratione cum illo, cum carentia distinctionis in ratione vtrique extremo conueniente sit identitas in tali ratione, supposita extremorum existētia: sed natura Petri, vt distincta à Petreitate, est in re, sicut & natura Pauli, vt à sua singularitate distincta, & aliàs prout sic existentes non habent per quid distinguantur in ratione naturæ, quam vtraque participat: ergo natura Petri, & Pauli est vna, & eadem natura identitate aliqua in re tali.

200 *Explicatur* ideo non valet. *Ens rationis non distinguitur realiter à ente reali, ergo est idem realiter cum illo,*

 quia

quia ens rationis non est extremũ reale, aut realiter existens, sicque antecedens negatiuum, quod verificatur per non suppositionẽ extremorum, non infert consequens illud affirmativũ: Similiter non valet; *Lapis est, & homo est, & homo, & Lapis non distinguuntur in ratione accidentis: ergo in ratione accidentis sunt idem*; quia cum ab ipsis non participetur ratio accidẽtis, verificatur non distingui in tali ratione, per nõ suppositionem illius, ex quo male infertur affirmatio identitatis in tali ratione: at si Petrus est homo, Paulusque est homo, & Petrus, & Paulus non essent in re distincti homines, Petrus, & Paulus (per legitimam consequentiam) essent in re vnus homo: *Tunc sic*. Sed natura humana Petri, & Pauli, vt formaliter in re distincta à singularitatibus, est in re, & vt formaliter in re distincta à singularitatibus non habet in re per quid distinguatur in esse naturæ: ergo à parte rei est eadem natura humana, identitate in re tali, identitate scilicet formali, quæ sicut distinctio formalis media, est vere identitas à parte rei.

101 *Ex his* habetur, quod à parte rei nõ detur vnitas formalis distincta in re ab vnitate numerica; talis enim vnitas formalis esset vnitas, qua natura, vt à sua indiuiduatione distincta, esset vna formaliter à parte rei in omnibus indiuiduis, aliter natura omnium indiuiduorum est multiplex, & diuisa realiter secundum omnem sui rationem prout à parte rei, sicque nullam aliam habet in re vnitatem, quàm numericam, qua gaudet in hoc indiuiduo, distincta ab alia vnitate numerica, qua gaudet in alio: sed probatum est nullam dari vnitatem, qua natura sit à parte rei vna formaliter, vel positiuè, vel negatiuè in omnibus indiuiduis: ergo non datur à parte rei vnitas formalis distincta in re ab vnitate numerica.

102 Tertia conclusio. *Natura in statu contractionis non est communis pluribus, nec positiuè, nec negatiuè, consequenterque non datur vniuersale formaliter à parte rei.* Conclusio hæc legitime deducitur ex præcedentibus, vnde brebiter probatur, & primò prob. quoad 1. partem. Natura cõmunis pluribus positiuè est natura, quæ in se vna existens, potest identificari cum pluribus realiter distinctis: sed natura in statu contractionis non est natura, quæ vna existens, possit identificari cum pluribus realiter distinctis: ergo in statu contractionis non est communis pluribus positiuè. Min. prob. ex dictis. *Tùm* quia à parte rei non datur natura vna *Tùm* quia à parte rei natura Petri v. g. ita est natura Petri, vt non possit esse natura Pauli. *Tùm* quia in eo, quod natura seruans omninò illæsam vnitatẽ naturæ communicetur pluribus realiter distinctis per identitatem cum illis, consistit Mysterium ineffabile Trinitatis, in qua natura Diuina in multiplicata iden ificatur cũ tribus personis realiter distinctis, quod de nulla natura creata fas est dicere,

Probi

203 *Prob. deinde* Conclusio quoad 2. partem. Natura communis negatiue est natura ex se nulli appropriata, ac proinde est natura, cui ex se non repugnat identificari cum pluribus: sed ex dictis cõstat, quod natura in statu contractionis est ex se (hoc est, vt à singularitate distincta) appropriata indiuiduo, & cui ex se (in eodem sensu) repugnat identificari cum pluribus: ergo in statu contractionis non est communis pluribus negatiue. *Confirm.* naturæ Petri repugnat identificari cum alijs à Petro, divisiue ab identitate cum Petro, repugnat etiam identificari cum alijs in sensu composito identitatis cum Petro: ergo repugnat absolute identificari cum pluribus: Min. constat: nam in sensu composito identitatis cum Petro est Petrus, cui essentialiter repugnat identificari cum alijs indiuiduis. Mai. autem prob. cui repugnat diuidi ab identitate cum Petro, repugnat aliquid diuisiuè ab identitate cum Petro: sed naturæ Petri repugnat diuidi ab identitate cum Petro: ergo repugnat identificari cum alijs diuisiuè ab identitate cum Petro. *Ex quo* probatũ manet, quod eiusmodi repugnantia conuenit in re naturæ ex se, vt distinctæ scilicet à Petreitate, nam repugnantia, vt non identificetur cũ Petreitate, nequit ratione Petreitatis convenire, vnde vel ipsa natura, sine vlla in re distinctione (vt nos dicimus) est Petreitas, vel si in re distinguitur, ipsi, vt in re distinctæ convenit repugnantia.

204 *Ex his probata* manet tertia pars conclusionis, quæ per modum corollarij infertur ex alijs; nam vniversale formaliter est natura, quę vna, & eadem existens identificatur cum pluribus: sed probatum est, quod nulla natura in re vna manens potest identificari cum pluribus, & natura provt in statu contractionis est natura provt in re, siuè realiter sumpta: ergo natura provt in statu contractionis, ac proinde natura vt à parte rei existens nequit esse formaliter vniuersalis. *Quod* confirm. ex D. Thoma 1. part. quæst. 85. art. 2. ad 2. asserente, quod denominatio vniuersalis competit rebus ratione solius abstractionis intellectualis: non ergo convenit ipsis prout in re.

§. III.

Solvuntur argumenta.

205 OBijcies 1. contra primam conclusionem. Vnitas formalis est carentia diuisionis penes principia formalia: sed Petrus, & Paulus à parte rei carent diuisione penes principia formalia naturæ humanæ: ergo à parte rei sunt vnum formaliter in natura humana, ac perconsequens natura humana vtriusque est à parte rei eadem formaliter natura Prob. min. Petrus, & Paulus à parte rei carent distinctione specifica, non sunt enim distinctæ speciei: sed carentia

 tia

tia distinctionis specificæ est carentia distinctionis penes principia formalia naturæ, in his quippè consistit species rei: ergo Petrus, & Paulus carent diuisione penes principia formalia.

206 *Confirm.* Quia homo, & Equus à parte rei non sunt eiusdem speciei, distinguuntur realiter formaliter: ergo si Petrus, & Palus à parte rei non sunt distinctæ speciei, à parte rei sunt vnum formaliter.

207 *Resp.* concessa mai. neg. min. Ad eius prob. disting. mai. carent à parte rei distinctione specifica, *sumpta specie fundamentaliter*, conced. min. *sumpta specie formaliter*, sub disting. carent distinctione specifica, *per negationem suppositi*, per hoc scilicet, quod species formaliter non datur à parte rei, conced. mai. *per participationem rationis, in qua non differunt* neg. mai. Tunc enim carentia distinctionis in aliqua ratione infert identitatem in illa, cum eiusmodi ratio participatur ab extremis, si autem non participatur ab extremis, carentia distinctionis non infert identitatem, qua ratione diximus num. 200. non valere. *Homo, & Lapis non differunt in ratione accidentis: ergo sunt idem in ratione accidentis*, & similiter non valet, *Deus non est distinctæ speciei à creatura, ergo est eiusdem speciei cum illa*, quia scilicet Deus in nulla est specie: Similiter ergo Petrum, & Paulū carere à parte rei distinctione specifica, seu non esse distinctę speciei, non infert, quod à parte rei sint idem in specie, nisi tantùm fundamentaliter, quia à parte rei non datur species formaliter, cum species formaliter sit secunda intentio, quæ independenter ab operatione intellectus non datur; datur tamen fundamentaliter, sed cum fundamentaliter sumpta nil aliud sit, quam similitudo naturæ huius induidui cum natura alterius, ex huius diuisionis carentia solum infertur vnitas proportionis, & conformitatis, quæ impropriè est vnitas iuxta notata in initio dubij.

208 *Hinc cum* dicitur, quod carentia distinctionis specificæ est carentia diuisionis penes principia formalia. *Resp.* quod in eodem sensu, in quo est carentia distinctionis specificæ est carentia diuisionis penes illa principia; carentia enim distinctionis specificæ sumpta specie formaliter, est carentia diuisionis penes principia formalia metaphisice, vel præcisiuè considerata, quia solum pręcisiuè sumpta denominantur à secunda intentione speciei; vnde sicut verificatur, quod Petrus, & Paulus carent à parte rei distinctione specifica, per negationem suppositi, scilicèt, quia nec vnitas, nec distinctio in specie formaliter sumpta datur à parte rei, ita verificatur, quod carent diuisione penes principia formalia præcisiuè sumpta, quia prout sic sumpta non dantur illa prædicata à parte rei: Et sicut verificatur, quod carent distinctione specifica, sumpta specie fundamentaliter, quia à parte rei sunt

idem

idem in specie fundamentaliter, ita verificatur, quod carent diuisione penes principia formalia, sumpta diuisione pro dissimilitudine, sunt enim à parte rei vnum in principijs formalibus, vnitate similitudinis, ex qua sumit fundamentum intellectus, vt Petrum, & Paulum concipiat vt vnum, & idem in ratione hominis.

209 *Dices*: ergo Petrus, & Paulus sunt à parte eiusdem speciei fundamentalis: sed species fundamentalis nil aliud est, quam natura eorū specifica: ergo à parte rei est eadem in vtroque natura specifica. *Vlterius*. Petrus & Paulus à parte rei non sunt actualiter eiusdem speciei: ergo à parte rei sunt actualiter distinctæ speciei: consequens est falsum: ergo falsum est id, ex quo sequitur.

210 *Resp.* ad 1. instantiam concessa cōseq. disting. min. sub sumptam: species fundamētalis nil aliud est, quam natura specifica, *præcisiue considerata* neg. min. *considerata, vt est in re*, sub disting. *considerata, vt est in re absolutè*, neg. min. *vt est in re, relatè ad naturam ad alterius indiuidui*, conc. min. & disting. conseq. est eadem à parte rei, *vnitate similitudinis* natura specifica conced. conseq. est eadem, *vnitate identitatis* neg. conseq. natura specifica præcisiue sumpta, & in qua sic præcisiue sumpta sunt Idem Petrus, & Paulus, non est species fundamentalis, sed formalis; est autem species fundamentalis vt est realiter à parte rei, non quidem absolute sumpta natura Petri, nec absolute sumpta natura Pauli, sed natura Petri vt similis, & proportionem habens cum natura Pauli, sic enim, & si multiplex sit realiter, fundat rationem proportionis, & convenientiæ vnam secundam intentionem speciei, qua apprehenditur ab intellectu vt vna, & eadem natura communis Petro, & Paulo.

211 *Ad* 2. *instantiam* concesso anteced. neg. conseq. quę eodem vitio laborat, ac pręcedentes, nam cum species actu talis non detur à parte rei; Petrus, & Paulus à parte rei nec sunt actu, siue actualiter eiusdem, nec diuersæ speciei; nisi speciem sumas fundamentaliter, tunc enim concedendum est, quod actualiter sunt eiusdem speciei fundamentalis, sed hęc identitas impropriè est talis, cum solum sit vnitas, seu identitas similitudinis, & proportionis iuxta iam dicta.

212 *Hinc ad Confirm.* principalis argumenti *Resp.* quod Homo, & Equus sunt distinctæ speciei, tàm considerata specie formaliter, quàm fundamentaliter, vnde non mirum, quod distinguantur formaliter à parte rei; cæterum Petrus, & Paulus à parte rei sunt eiusdem speciei solum fundamentaliter, quod præcise arguit vnitatem formalem impropriè talem, vnitatem scilicet proportionis, & conformitatis.

213 *Si dicas*, Quod homo, & Equus non sint à parte rei eiusdem speciei, nec actualiter, nec fundamentaliter, infert, quod à parte rei ne-

non sint idem realiter formaliter: ergo quod Petrus, & Paulus non sint à parte rei distinctæ speciei, nec actualiter, nec fundamentaliter, infert, quod à parte rei sint idem realiter formaliter. Neg. conseq. quæ manifestè instatur. Nam quod Homo, & Equus non sint à parte rei eiusdem speciei, nec actualiter, nec fundamentaliter, infert, quod non sint idem realiter formaliter; & tamen, quod Deus, & creatura non sint a parte rei distinctæ speciei, nec actualiter, nec fundamentaliter, non infert, quod à parte rei sint idem realiter formaliter. Deffectus ergo consistit in eo, quod sæpè diximus, nam cum ratio speciei actualis, ex qua sola potest inferri identitas formalis, non detur à parte rei, male colligitur ex eo, quod Petrus, & Paulus a parte rei non sint distinctæ speciei actualis (quod verificatur per non suppositionem speciei) quod sint idem formaliter à parte rei, cum aliàs ex non distinctione in specie fundamentali, quam Petrus, & Paulus à parte rei participant, sola vnitas proportionis colligatur.

214 *Si instas.* Hominem, & Equũ non esse à parte rei eiusdem speciei fundamentalis, infert, quod realiter formaliter differat à parte rei: ergo Petrum, & Paulum esse à parte rei eiusdem speciei fundamentalis, infert, quod à parte rei sint idem realiter formaliter.

215 *Resp.* disting. antec. Infert, quod realiter formaliter differant à parte rei, *differentia sumpta pro disconuenientia, & dissimilitudine,* conc. antec. *differentia sumpta, pro carentia identitatis* neg. antec. & disting. conseq. Esse eiusdem speciei fundamentalis infert, quod a parte rei sint idem realiter formaliter, *vnitate similitudinis, & conuenientiæ* conced. conseq. *vnitate identitatis* neg. conseq. Duo esse idem in specie fundamentaliter sumpta solum infert esse idem impropriè, vnitate scilicèt conformitatis, & similitudinis, quæ impropriè est vnitas, & consequenter ab opposito non esse eiusdem speciei fundamentalis, ex suppositione, quod extrema dentur, solum infert, quod non sint vnum formaliter, vnitate solius disconuenientiæ, & dissimilitudinis, non vnitate identitatis.

216 *Quod si* tandem instes: ergo Petrus, & Paulus à parte rei distinguuntur realiter formaliter, ita, ac realiter formaliter differunt Petrus, & Bucephalus, siquidem ex maiori illa vnitate inter Petrum, & Paulum, nulla carentia distinctionis proprie talis infertur iuxta solutionem *Resp.* disting. conseq. distinguuntur realiter formaliter, ita, *sumpta distinctione pro carentia identitatis in re talis,* conced. conseq. *sumpta pro diuersitate, seu dissimilitudine* neg. conseq. est inter Petrum, & Paulum maior à parte rei similitudo, at non est à parte rei maior vnitas propriè talis, siue identitas, ita enim potest adæquate produci, & annihilari Petrus nec producto, nec annihilato

Pau-

Paulo, sicut potest adæquate produci, aut annihilari, intacto Bucephalo; contrariaque apprehensio ortum trahit ex illa voce *formaliter*, falso apprehensa, vt denotante aliquam à parte rei vnitatem ab vnitate numerica in re distinctam; cum à parte rei talis vnitas distincta non detur. Hinc Petrus, & Paulus sunt magis idem, imò sunt idē in natura specifica præcisivè considerata; & non sunt idem in natura specifica sic cōsiderata Petrus, & Bucephalus; in ipsa vero, prout à parte rei est adæquatè, nec sunt magis, nec minus idem, cum adæquatè non sint idem, nisi vnitate similitudinis; iuxta quem sensum (& si improprium) dici solet, quod Petrus, & Paulus non differunt realiter formaliter, cum realiter formaliter differant homo, & Equus.

217 *Obijcies* 2. Natura hominis, vt diffinitur, est vna: sed diffinitur, vt est à parte rei: ergo à parte rei est vna. *Confirm.* Inter Petrum, & Paulum intercedit similitudo realis vt nos fatemur: sed similitudo fundatur in vnitate iuxta Philosophum lib. 5. metaph. cap. 15. ergo inter Petrum, & Paulum datur vnitas realis: non numerica: ergo formalis *Resp.* concessā mai. neg. min. nām licet diffiniatur natura, quæ est à parte rei, non tamen prout est adæquatè à parte rei, sed vt præcissa à singularibus. *Ad confirm.* concessa mai. disting. min. fundatur similitudo in vnitate conformitatis, quæ impropriè est vnitas, conced. min. in vnitate identitatis, quæ est vnitas propriè, neg. min. imò cum similitudo petat versari inter distincta, potius ex similitudine colligitur carentia identitatis.

218 *Contra* 2. conclusionem obijcies. Naturam esse vnam negativè nil aliud est, quàm quod ex se, & ratione sui divisionem non habeat: sed natura humana in Petro, & Paulo non habet ex se, & ratione sui divisionem, alias eam in omni statu haberet, & sic nō esset vna in intellectu: ergo natura humana in Petro, & Paulo est vna negativè. *Confirm.* Quod convenit naturæ secundum se, in omni statu debet ei competere: sed natura secundum se est vna negative, vt propugnabitur statim: ergo in statu contractionis est vna negativè.

219 *Resp.* concessa mai. disting. min. non habet ex se, idest, *ex sui essentia metaphisica præcisivè accepta, divisionem*, cōnced. min. ex se, idest, *ex ipsa phisicè sumpta*, neg. min. Ly *ex se*, & ly *secundum se*, qui termini frequentes sunt apud AA. oppositos in præsenti, si denotent, divisionem non oriri ex essentialibus naturæ præcisivè sumptæ in sui consideratione metaphisica, verum habent, sed extra rem, cum de natura prout sic non procedat disputatio præsens; si vero denotent, quod naturæ prout in re accidat divisio, est falsum, *tum* quia natura provt in re est singularitas ipsa sine vlla in re distinctone actuali. *Tùm*, quia distinctione in re permissa, ipsa vt à singularitate distincta formaliter in re,

re, petit realem identitatem cum singularitate, repugnatque ipsi non identificari cum singularitate, ac proinde ex se est natura multiplex realiter.

220 *Ad confirmat.* constabit plenè §. sequente, pronunc. respond. quod quidquid convenit naturæ secundum se, ratione status, & præcisionis, non convenit ei in omni statu, & eiusmodi est vnitas negativa, vt per propositionem affirmativam enuntiata de natura secundum sè.

221 *Contra* 3. conclusionem obijcies. Natura humana v. g. actu existit in pluribus à parte rei: ergo datur in re natura potens existere realiter in pluribus, ac proindè positivè communis. *Prob.* 1. conseq. ab actu ad potentiam valet consequentia: ergo si in re datur natura existens realiter in pluribus, datur in re natura potens existere realiter in pluribus. *Prob.* 2. eadem conseq. Actus, & potentia sunt in eodem genere: sed actus existentiæ in pluribus est realis: ergo potētia, seu aptitudo ad essendum in pluribus. *Prob.* 3. eadem conseq. Actus non destruit, sed perficit potentiam, vnde intellectio non destruit, sed perficit intellectum: sed status contractionis est status, in quo natura reducitur ad actum existendi in pluribus: ergo in statu contractionis retinet natura aptitudinem, vt sit in pluribus.

222 *Confirm.* Sicut natura determinatur per singularitatem, ita materia determinatur per formā: sed materia determinata per vnam formam est realiter capax, vt habeat alias formas: ergo natura determinata per vnam singularitatē, seu ad vnum singulare, est realiter capax, vt sint in alijs singularibus.

223 *Ex his* formatur argumentum pro suadendo vniversali formaliter à parte rei. Natura enim vniversalis formaliter est natura vna, & apta, vt sit in pluribus; sed à parte rei datur natura vna, & apta, vt sit in pluribus, vt ex argumento præcedente constat: ergo à parte rei datur vniversale formaliter. *Quod confirm.* ex D. Thoma 1. p. q. 86. art. 1. asserente, quod obiectum nostri intellectus est quidditas vniversalis: sed obiectum nostri intellectus datur à parte rei: ergo à parte rei datur natura vniversalis. *Vrgetur.* Datur à parte rei particulare; ergo vniversale, nam sunt mutuo correlativa particulare, & vniversale.

224 *Resp. disting.* antec. Natura humana, *vna in re existens*, actu existit in pluribus, neg. antec. Natura humana, *in re divisa*, *& multiplex* actu existit in pluribus conced. antec. & dist. conseq. ergo datur in re natura, *multiplex*, *& divisa*, potens existere in pluribus, conc. conf. Natura *in re vna*, potens existere in pluribus, neg. conseq. quia vt natura, esset in se positivè communis, necessium erat, quod vna existens in re, posset esse in pluribus, nam hoc ipso, quod in re sit multiplex natura, non detur in re natura pluribus communis.

Dices.

225 *Dices.* Naturam esse vnam, & potentem esse in multis sine sui divisione, & multiplicatione in illis non sufficit, nec requiritur ad rationem vniversalis, aliàs natura Divina, quæ vna, & eadem est in pluribus, sine sui divisione, esset logicè vniversalis: sed naturam esse communem pluribus positivè requiritur, vt natura sit vniversalis: ergo non debet esse ita communis pluribus, vt immultiplicata possit esse in pluribus. *Præter quam quod*, natura nequit vnitatem retinere simul cum sui multiplicatione in pluribus, vnum, enim, & plura opponuntur: ergo, vel requiruntur duo contradictoria ad rationem vniversalis, vel natura, quæ à parte rei est in pluribus per sui divisionē, & multiplicationem in illis, à parte rei est vniversalis.

226 *Resp.* posse in primis omitti totum syllogismum primæ instantiæ, nam licet non requiratur quod natura vna possit esse in pluribus retinendo cum actu essendi in pluribus vnitatem, requiritur tamen, quod cum vnitate componat potentiam ad essendum in pluribus, quod non verificatur de natura à parte rei, cum non sit vna à parte rei. *Deinde resp.* concessis præmissis, disting. conseq. non debet ita esse communis pluribus, vt immultiplicata *phisicè* possit esse in pluribus conced. conseq. *Vt per rationem immultiplicata* possit esse in pluribus neg. conseq. Requiritur ad rationem vniversalis iuxta dicta art. 1. quod natura vna possit esset in pluribus per sui divisionem, & multiplicationem realem in illis, quod cum incompossibile sit cum vnitate reali, seu quæ à parte rei sit talis, repugnat, quod à parte rei divisa, & multiplicata natura cōcipiatur vt vna, & eadem propter omnium illam participantium similitudinem, sicque per intellectum, & præcisivè vna prædicetur de pluribus, in quibus actu est multiplicata, de quo in art. vltimo huius quæst. ex professo agemus. *Ex hoc* autem constat ad 2. instantiam; nam unitatem rationis, & præcisiuè talem bene potest retinere natura cum sui reali multiplicatione in individuis.

227 *Ad* 1. conseq. principalis argumenti prob. disting. antec. Ab actus ad potentiam *logicam, & obiectivam* valet consequentia conced. antec. ab actu ad potentiam *phisicam, & subiectivam*, neg. antec. & disting. conseq. ergo si datur natura realiter existens in pluribus, datur in re natura, *quæ in re vna*, possit esse in pluribus, neg. conseq. quæ in re *multiplex* possit esse in pluribus, conced. conseq. Potentia phisica, & subiectiva est potentia realiter perfectibilis per suum actum à potentia distinctum, qua ratione intellectus noster est potentia phisica subiectiva respectu intellectionis. Potentia autē obiectiva, & logica est non repugnantia imbibita formaliter in actu, cuius est potentia, qua ratione ipsa intellectio v. g. habet eiusmodi potentiam respectu sui, si enim intellectio exercetur, ergo non

non repugnat exerceri, & similiter, si existentia existit, ergo nō repugnat, vt existat: Ab actu ergo ad potentiam phisicam non valet semper consequentia, vt patet in adductis exemplis existentiæ, & intellectionis, valet tamen ab actu ad potentiam logicam, & obiectiuam, quia si res est, ergo non repugnat esse: ex hoc autem solum infertur, quod si, à parte rei existit natura multiplex, & divisa in pluribus, non repugnat à parte rei talis natura multiplex, & divisa existens in pluribus, non tamē infertur, quod detur vna a parte rei natura realiter potens esse, seu exerceri per actum existendi in pluribus.

228 *Ad 2. conseq.* prob. disting. mai. Actus, & potentia *logica, seu obiectiva*, & actus sunt in eodem genere conced. mai. Actus, & potentia *phisica, seu subiectiva*, neg. mai. quia cum actus non semper arguat potentiam phisicam, hæc non erit, nec eiusdem, nec diversi generis cum illo actu, vt pote potentia de subiecto non supponente respectu talis actus. *Nec* cum hic audis potentiam *logicam, & obiectivam*, vocibus his intelligas potentiā aliquam *fictam*, vt ly *logica* solet frequenter vsurpari in hoc tractatu; accipitur enim pro non repugnantia, quæ quia imbibita formaliter in ipso actu, contraponitur potentiæ phisicę, & subiectivę realiter perfectibili per actum à potentia distinctum, licet talis nō repugnantia realis, sit, sicut & actus, cum quo est formaliter identificata; in re quippe datur non repugnantia, vt multiplex in re natura sit in pluribus.

229 *Ad 3. conseq. prob.* resp. quod actus nullam destruit potentiam; nam si actus non arguat potentiam phisicam, illam non destruit, siquidem talis potentia numquam extitit, potentia autem logica est formaliter ipse actus, qui nequit se ipsum destruere; ex hoc autem male infertur, quod cum actu existendi in pluribus retineat natura aptitudinem phisicam, vt sit in pluribus; potentia enim, quæ numquam potuit existere, nec retineri potuit, nec destrui per actum, sicut nec perfici.

230 *Ad confirm.* disting. mai. Sicut natura determinatur per singularitatē, ità materia per formam *sicut, & eodem modo* neg. mai. Sicut, *& diverso modo*, conced. mai. & concessa min. neg. conseq. Materia determinatur per formam, vt per aliquid à se realiter distinctum, & à quo entitas intrinseca materiæ non dependet, vnde non mirum, quod perseverante entitate materiæ sub hac forma, perseveret realis subiectiva capacitas materiæ cum eius entitate identificata ad alias formas; at natura solum per rationem contrahitur, & determinatur ad singularitatem, cum qua realiter identificatur, & qua ablata, perit entitas intrinseca naturæ; vnde repugnat, quod natura determinata per hanc singularitatem ad hoc individuum habeat veram capacitatem, quia possit esse in alijs.

Si

231 *Si dicas*,& si naturę repugnet esse in alijs individuis, non tamen repugnat illi ex se, seu ratione sui, sed ratione singularitatis, à qua determinatur : ergo permanet in re communis, saltim negativè. *Resp.* vt supra, quod si ly *ex se* denotet prędicata specifica naturæ conceptę præcisivè à singularitate, anteced. est verum, sed non ad rem; si autem denotet essentiam naturę, vt in re existit, est ad rem, sed tamen est falsum, quia prout in re, seu realiter est ipsa singularitas, cui esse in alio manifestè repugnat.

232 *Ex his constat* solutio ad argumentū intendens suadere, quod detur vniversale formaliter à parte rei, procedit enim ex his, quæ falso supponit vera, cum naturam à parte rei vnam non suasserint præcedentes probationes. *Ad confirm.* ex D. Thoma resp. quod obiectum intellectus est quidditas vniversalis, vniversalitate fundamentaliter sumpta, nam sumptà formaliter, solum est obiectum particularis actus pręscindentis imperfectè ens, seu quidditatem ab hac, vel illa quidditate, de quo ex professo agimus lib. 3. de anima, nec nō postea quęst. 7. art. vltimo aliquid attingimus; ex quo autē detur vniversale solum fundamentaliter à parte rei, nil infertur contra conclusionem.

233 *Ad id*, quo argumentum vrgetur, disting. antec. datur à parte rei particulare *phisicè* cōc. antec. datur à parte rei particulare *logicè* neg. antec. & conseq. quia correlativum vniversalis solum est particulare logicè, quod non datur in re, quia constituitur per respectum ad vniversale, qui respectus à parte rei non existit, datur tamen particulare phisicè, quod nil est aliud, quam ipsa natura individua.

§. IV.

Decernitur vnitas, & communitas naturæ secundum se.

234 Sit quarta conclusio. *Natura secundum se non est vna vnitate positiva*, vnde *secundum se non est communis pluribus positivè.* Conclusio quoad secundam partem infertur ex prima, vt constabit infra, & quoad 1. partem prob. 1. ex Angelico Pręcept. cap. 4. de Ente, & essentia, vbi sic habet: *Si quæratur, vtrum ista natura sit vna, vel plures, neutrum dicendum est, quia vtrumque est extra intellectum humanitatis, & vtrumque potest sibi accidere: si enim pluralitas esset de ratione eius, numquam posset esse vna, cum tamen vna sit secundum quod est in Socrate: similiter, si vnitas esset de intellectu, & ratione eius, tunc esset vna, & eadem natura Socratis, & Platonis, nec posset in pluribus purificari*: sed esse naturam secundum se vnam positivè, est, quod vnitas sit positivè de ratione, idest, de essentia naturæ: ergo iuxta D. Thomam natura secundum se non est vna positivè.

235 Prob. 2. ratione ex his verbis elicita. Naturam secundum se

se esse vnam positivè est quod ipsa essentialiter sit vna: sed natura non est essentialiter vna; ergo secundū se nō est vna positivè. Mai. constat ex prenotatis initio dubij, cum natura secundum se solum dicat prædicata essentialia, idemque sit natura secundum se, ac natura essentialiter sumpta. Min. autem prob. 1. si natura esset essentialiter vna, pugnaret essentialiter cum sui multiplicatione, & pluralitate, repugnaretque eam multiplicari, sicut hac ratione repugnat homo hinnibilis, quia titulo rationalis pugnat essentialiter cum hinnibilitate; sed natura non pugnat essentialiter cum sui multiplicatione, siquidem de facto multiplicatur in individuis: ergo non est essentialiter vna. Prob. 2. eadem min. Quod essentialiter covenit alicui, in omni statu ipsi convenit, cum essentia rei sit in quocumque statu, in quo sit res: sed naturæ in statu contractionis nō competit vnitas, vt probatum manet: ergo non est essentialiter vna.

236 *Ex his prob.* secunda pars conclusionis, quam etiam probat D. Thomas vbi supra his verbis: *Si communitas esset de essentia hominis, tunc in quocumque inveniretur humanitas, inveniretur etiam communitas*: ex quibus verbis elicitur ratio, quæ eadem est cum precedente. Naturæ in statu contractionis non cōpetit communitas, vt probatum manet: ergo natura essentialiter sumpta non est communis. Patet conseq. Nam quod essentialiter competit naturæ, in omni statu cōpetit ipsi. *Tunc sic.* sed naturam secundum se esse communem positivè est quod essentialiter sumpta sit communis: ergo non est secundum se communis.

237 *Confirm.* Natura pluribus positivè communis est natura, quę vna in se existens, potest communicari pluribus: sed natura secundum se non est huiusmodi: ergo nō est communis pluribus positivè. Prob. min. tùm quia natura non est essentialiter vna, vt probatum est: ergo nō est essentialiter natura vna, & apta, vt sit in pluribus. *Tùm* quia natura, quæ vna existens, possit communicari pluribus, est natura vniversalis: sed natura non est essentialiter vniversalis, aliàs in nullo statu posset esse singularis, & ad vnū tantùm determinata: ergo idem quod prius. *Tùm* quia natura non est essentialiter vna, & apta, vnitate, & aptitudine, quę sint talia solùm per rationem, ens enim rationis nequit esse prædicatum essentiale naturæ humanæ, v.g. sed vlterius, non est essentialiter vna, & apta vnitate, & aptitudine, quæ sint talia realiter, cum probatum sit, quod omnis vnitas realis est numerica, cum qua repugnat cōiungi aptitudinem, vt sit in pluribus: ergo natura non est essentialiter vna, & apta, vt sit in pluribus.

238 *Vrgetur.* Natura humana essentialiter apta, vt sit in pluribus, est natura, cui in aliquo statu reali posit competere aptitudo ad essendum in pluribus, cum omnia prædi-

dicata essentialia talis naturæ sint prædicata realia: sed in nullo statu reali potest naturę humanæ competere aptitudo, vt sit in pluribus, nam omnis status realis naturæ humanæ est status contractionis, in quo repugnat ipsi (vt probatum manet) esse in pluribus: ergo natura humana non est essentialiter apta, vt sit in pluribus.

239 *Si dicas*, quod aptitudo illa competit naturæ pro priori ad singularitatem, in quo priori natura est indifferens, vt contrahatur ad hoc singulare, vel illud: *Contra est*. Nihil est realiter prius se ipso: sed natura est realiter ipsa singularitas: ergo non est realiter prior singularitate: ergo si solū in illo priori competit aptitudo, in nullo statu reali competit ipsi aptitudo, & consequenter non competit ipsi essentialiter. *Deinde*. Vel naturam Petri, v.g. in illo priori esse indifferentem est, quod pro illo priori non explicet determinationem ad hanc singularitatem, vel est, quod explicet positivam aptitudinem ad plures singularitates: Si primum, ea indifferentia est pure negativa, de qua modo non litigamus, non dicere quippè determinationem est præcisè non exprimere repugnantiam, vt sit in pluribus, quę non expressio repugnantiæ est indifferentia purè negativa. Si secundum: ergo natura pro illo priori est positive potens realiter, vt separetur à Petreitate, cum qua realiter identificatur: & vt identificetur cum alia singularitate à qua realiter distinguitur, & separatur. Consequens manifestè implicat: ergo falsum est id, ex quo sequitur.

240 Vltima conclusio *Natura secūdum se est vna negativè, ac proinde secundum se est communis pluribus negativè*. Prob. conclusio quoad 1. partem. Naturā esse vnam negative est naturā non esse plures, seu non dicere pluralitatem: sed natura secūdum se non dicit pluralitatem: ergo natura secundū se est vna negativè. Mai. ex sæpè dictis cōstat, nam vnitas negativa non tàm est vnitas, quàm præcisio à pluralitate, vnde quod pluralitatem non dicit, est vnum negativè. Min. autem prob. Natura essentialiter sumpta non dicit pluralitatem: ergo cum natura secundum se sit natura essentialiter sumpta, natura secundum se non dicit pluralitatem. Prob. antec. 1. Si natura essentialiter sumpta diceret pluralitatem, in quovis statu, & vbicumque esset natura, pluralitatē diceret: sed hoc est falsum, cum natura, nec provt in intellectu, nec provt in hoc singulari, Petro scilicèt, pluralitatem dicat: ergo essentialiter eam non dicit. *Prob.* 2. antec. ex illis verbis D. Thomæ supra positis: *Si quæratur, vtrum ista natura possit dici vna, vel plures neutrum dicendum est, quia vtrumque est extra intellectus humanitatis*: ergo natura essentialiter sumpta nec dicit, vnitatem, nec pluralitatem: ergo essentialiter sumpta non dicit pluralitatem. Patet hæc conseq. *Tùm* ex ipsa forma arguendi anegatione vtriusque partis ad negationem alterius.

terius. *Tùm* quia hominem secundū se nec esse album, nec esse non album, infert bene, quod homo secundum se non sit albus idest, non dicat esse album; ergo naturam secundum se nec esse vnam, nec esse plures, bene infert, quod secundum se non sit plures, idest, non dicat esse plures, seu pluralitatem.

241 *Explicatur*, quod aer secundum se, seu essentialiter, non sit lucidus, nihil aliud est, quam quod essentialiter non dicat lucem, nec requiritur, quod essentialiter dicat aliquid excludens lucem; per hoc enim præcisè, quod essentialiter nō dicat, nec tenebras, nec lucem, sed ab vtroque pręscindat, verum est, quod essentialiter nō dicit esse lucidum; ergo vt natura essentialiter non sit plures, non requiritur, quod essentialiter excludat pluralitatem, sed sufficit, quod nec pluralitatem, nec exclusionem illius dicat, nam hoc ipso, essentialiter sumpta non dicit esse plures, seu non est plures.

242 *Confirm.* Natura secundum se diffinitur diffinitione, quæ est vna, & simplex diffinitio; significatur insuper per terminum vnivocum v. g. per ly *homo*: sed quod significatur termino vnivoco, & quod vna diffinitione diffinitur, est aliquomodo vnum: ergo natura secundum se est aliquomodo vna: non positivè, vt probatum est: ergo est vna negativè. Qui discursus est D. Thomæ opusc. 42. cap. 7. dicentis, *Est tamen in ipsa natura absolutè accepta, secundum quod non est inferioribus considerata, aliqua vnitas, cum diffinitio eius sit vna, & nomen vnum, vt patet.*

243 *Hinc prob.* 2. pars conclusionis. Naturam esse communem negativè, est eam nulli individuo esse appropriatam: sed natura secundum se, seu essentialiter, nulli est individuo appropriata. *Tùm* quia si essentialiter esset alicui individuo appropriata, nō posset cōcipi, vt indifferēs ad plura individua, cū eius essentia nō esset tūc casus, quæ cōciperetur, quod patet quàm sit falsum. *Tùm* quia natura essentialiter non dicit determinationem ad aliquam singularitatem, ac proinde, nec appropriationem: ergo essentialiter, seu secundum se est communis pluribus negativè.

§. V.

Soluuntur argumenta.

244 Obijcies 1. contra primam conclusionem. Potest aliquid convenire alicui essentialiter, & ei in omni statu non competere: ergo ex eo, quod natura in statu contractionis non sit vna positivè, male intulimus, quod ipsa essentialiter, seu secundum se, non sit vna positivè. Prob. antec. Habitui convenit essentialiter esse difficile mobilem à subiecto, & similiter quantitati competit essentialiter exigentia divisibilitatis: & tamē habitus potest per accidens, & in aliquo statu, non esse difficile, sed facile, mobilis à subiecto, similiterque quantitas in minimo

mo naturali non exigit divisibilitatem, cum quantitati minimi naturalis divisio repugnet: ergo quod alicui competit essentialiter, potest per accidens, & in aliquo statu ei non competere.

245 *Resp.* neg. antec. Ad eius prob. ex natura habitus desumptam disting. mai. Habitui convenit essentialiter esse difficile mobilem *exactivè*, *& radicaliter*, conced. mai. *proximè*, *& formaliter* neg. mai. & disting. min. Habitus potest in aliquo statu non esse difficile mobilis, *proximè*, *& formaliter* cōced. mai. *radicaliter*, *& exactivè*, neg. min. & conseq. Habitus essentia consistit in eo, quod petat diù durare, quæ exigentia non deficit illi, etiam quando ab extrinseco, & per accidens, nec diù durat, nec potest diù durare. *Ad alteram* prob. ex natura quantitatis formatam disting. mai. Quantitati competit essentialiter exigentia divisibilitatis *phisicæ*, neg. mai. exigentia divisibilitatis *mathematicæ*, conced. mai. divisibilitas phisica est capacitas divisionis, & separationis realis partium, quæ capacitas in minimo naturali non est, cui repugnat in partes dividi, & separari realiter; cæterum cum huius generis divisibilitas, non sit quę exigitur essentialiter à quantitate, mirum non est, quod ipsi, provt in minimo naturali non competat, competit tamen ipsi in minimo naturali divisibilitas mathematica consistens in eo, quod diversę partes posint per intellectum designari, quæ divisibilitas, sive eius exigentia, est essentia quantitatis.

246 *Dices.* Stat quod aliquid non conveniat alicui secundum se, & quod ei in aliquo statu conveniat; & similiter stat, quod aliquid non repugnet alicui secundum se, & tamen ei in aliquo statu repugnet: ergo stat, quod aliquid conveniat alicui secundum se, & quod in aliquo statu illi non conveniat.

247 *Resp.* Concesso antec. quoad vtramque partem, neg. conseq. nam cum status hic, vel ille, plura addat supra prædicata essentialia, quæ sola dicit natura secundum se, potest ratione superadditi aliquid convenire, vel repugnare, quod naturæ secundum se ab omnibus illis præscindenti, nec conveniat, nec repugnet: qua ratione homo, cui in singulari convenit albedo, & repugnat esse in pluribus, secundum se non est albus, nec repugnantiam habet cum esse in pluribus: at si quod convenit essentialiter alicui, in aliquo statu non competeret, periret essentia rei, vt pote suis predicatis essentialibus destituta.

248 *Obijcies* 2. Adens positivum reale sequitur vnitas positiva realis; sed natura secundum se est ens positivum reale: ergo natura secundum se gaudet vnitate positiva reali. *Confirm.* Vnum ex prædicatis essentialibus naturę est vnitas positiva realis: sed natura secundum se dicit omnia sua prædicata essentialia: ergo dicit vnitatem positivam realem.

T *Resp.*

249 *Resp.* disting. mai. Ad ens positivum reale *in statu existentiæ* sequitur vnitas positiva realis, conced. mai. *in statu præcisionis* neg. mai. cum enim alia vnitas realis non sit, nisi numerica, natura, quæ secundum se præscindit à singularitate, vnitatem realem non dicit, quam tamen dicit in statu existentiæ; sicut bonitas, estò sit passio entis, solum sequitur ad ens sub existentia. *Ad confirm.* resp. quod vnitas positiva realis est predicatum essentiale phisicum naturæ, nam pertinet ad essentiam illius, vt in re existit; non vero est prædicatum essentiale metaphisicum, nam natura secundum prædicata essentialia metaphisica, tam ab vnitate, quàm à pluralitate præscindit.

250 *Obijcies* 3. Natura præcedit singularitatem, cum sit prior accidentibus, cuius generis est singularitas: sed natura, vt præcedens singularitatem, est vna per se ipsam, & non per singularitatem: ergo natura ex se, sive ratione sui, est vna. *Confirm.* Id, quod multiplicatur, prius erat vnum; sed natura multiplicatur in singularibus: ergo pro priori ad singularia erat vna.

251 *Resp.* disting. mai Natura præcedit *realiter* singularitatem, neg. mai. *per rationem*, conced. mai. & neg. min. quia dum intelligitur præcedens, intelligitur præcisè non explicans pluralitatem, quod est esse vnam purè negativè. *Nec obstat*, quod singularitas sit accidens, est enim accidens metaphisicum, quia est extra conceptum metaphisicum naturæ, non tamen est accidens phisicum, ac proindè natura realiter non præcedit singularitatem. *Ad confirm.* disting. mai. id, quod multiplicatur, prius erat vnum, *nostro modo concipiendi*, conced. mai. *in re* neg. mai. nos enim concipimus, quasi prius fuisset vnum, quod multiplicatur in pluribus, ad quod præbet fundamentum vnitas conformitatis inter illa plura; in re tamen nulla præcedit vnitas, sed eatenùs duntaxat dicitur multiplicari, quatenùs producuntur in multis multæ naturæ realiter.

252 *Obijcies* tandem contra eandem conclusionem. Natura secundum se est vna negativè, vt in vltima conclusione propugnavimus: ergo natura secundum se est vna positivè. Prob. conseq. Naturam esse vnam negativè est non esse divisam, esse verò vnam positivè est naturam esse non divisam, seu (quod idem est) est excludere divisionem: sed si natura secundum se non est divisa, secundum se est non divisa: ergo si secundum se est vna negativè, secundum se est vna positivè. *Prob. min.* 1. quia benè valet, *Natura secundum se non est divisa, ergo secundum se est non divisa*, arguitur enim à negativa ad affirmativam variato prædicato penes finitum, & infinitum; qui modus arguendi rectus est, vt constat ex Dialectica, capit. 18. sed antecedens est verum: ergo consequens etiam est verum. *Prob.* 2. eadem min. Vtrumque contradictorium ne-

inesset simul alicui deficere: sed *divisum*, & *non divisum* sunt contradictoria: ergo si de natura secundum se negatur esse divisam, debet affirmari esse non divisam. *Prob.* 3. Quod caret divisione, est non divisum: sed si natura secundum se non est divisa, secundum se caret divisione: ergo secundum se est non divisa. *Prob.* denique, si natura secundum se non est divisa, necessariò nō est divisa: sed quod necessariò non est divisum, necessariò est non divisum: ergo si secundum se non est divisa, secundum se est non divisa.

253 *Resp.* neg. conseq. Ad prob. concessa mai. neg. min. *Ad eius* 1. prob. neg. mai. nam ille locus arguendi non tenet in reduplicativis, vt patet (pluribus instantijs omissis) in hac communi instantia, *Homo secundum se non est albus, ergo secundum se est non non albus*, quæ consequentia est nulla, cum homo secundum sua essentialia, nec dicat albedinem, nec illam excludat. Ratio autem, quare dum cum aliqua reduplicatione, seu præcisione arguitur, non teneat (& sic resp. secundæ min. probationi) consequentia, est, quia ille locus arguendi fundatur in eo, quod vtrumque contradictorium nequeat *absolutè* deficere rei; & cum in reduplicativis non negetur, vel affirmetur *absolutè* prędicatum de subiecto, sed sub interposita reduplicatione, aut pręcisione, fit consequens, quod rei possit sub illa reduplicatione deficere vtrumque contradictorium, quia sub illa reduplicatione deficere, non est deficere absolutè. Hinc homini secundum se, nec albedo, nec non albedo cōvenit, quia sub illa reduplicatione, *secundum se*, seu ex vi prædicatorum essentialiũ, ab vtroque præscindit.

254 *Ad* 3. *prob. min.* disting. mai. quod caret *contrariè*, & *repugnanter* divisione, est non divisum, conced. mai. quod caret *solum præcisivè*, neg. mai. & disting. min. natura secundum se, caret pręcisivè divisione, conced. min. caret *repugnanter* neg. min. & conseq. carere pręcisivè divisione, est pure eam non dicere, seu non habere; carere divisione repugnanter, est dicere aliquid divisionem excludens; ex eo autem, quod natura non dicat (quod præcisè requiritur, vt non sit divisa) divisionem, male infertur, quod dicat aliquid divisionē excludens, quod erat necessariũ, vt esset non divisa:

252 *Ad vltimam* min. prob. resp. quod hæc propositio *natura necessariò* (seu essentialiter) *non est divisa*, potest dupliciter accipi, vel ita, quod per eam denotetur naturam esse necessitatam, vt non sit divisa, seu quod sit necessarium, eam non esse divisam, & sic est omnino falsa, numquam enim posset esse divisa, & consequenter necessario esset non divisa, siquidem necessario excluderet sui divisionē. Alio modo potest ita intelligi, *natura non est necessario divisa*, sive, *non est necessarium*, quod

quod sit diuisa, & ex hoc minimè infertur, quod necessario sit non diuisa, quia ex quo non habeat necessitatem, seu non sit prędicatum eius necessarium diuisio, perperàm infertur, quod sit eius prædicatum necessarium non diuisio, seu exclusio diuisionis, vt constat ex dictis: Naturam ergo secundum se non esse diuisam, non est idem, ac necessarium esse, quod non sit diuisa, quo solo modo valeret argumentum; est tamen idem, ac non esse necessariò diuisam, sed ex hoc non colligitur alia propositio, quam argumentum intendit: vnde si ly *non* cadat etiam supra ly *necessario*, propositio est vera, sed consequentia indè deducta est mala; si verò cadat præcisè supra *esse diuisam*, cōsequentia est bona, sed propositio, cui nititur, est falsa.

256 *Obijcies* contra vltimam conclusionem. Quod convenit naturę secundum se, in omnī statu ei convenit: sed esse vnam negativè non convenit naturæ in statu contractionis: ergo natura secundum se non est vna negativè. *Confirm.* Natura secundum se nulli individuo est appropriata: ergo vel natura secūdum se est positive communis pluribus, vel nullo modo est communis secundū se. Prob. cōseq. Ideò natura provt in intellectu est positivè communis pluribus, quia provt in intellectu nulli individuo est appropriata: ergo nulli individuo esse appropriatā secundū se, vel infert in natura secundum se positivam communitatem, vel nullam.

257 *Resp.* disting. mai. quod *positivè* convenit naturæ secundum se, ei convenit in omni statu, conced. mai. quod ei convenit *negativè*, neg. mai. & huiusmodi est vnitas negativa, quæ dicitur naturæ secundum se convenire, non per hoc, quod aliquod eius prædicatum essentiale sit vnitas, sed quia nullum eius prædicatum essentiale est pluralitas, nam per hoc præcisè quod non dicat essentialiter pluralitatem, dicitur natura vna negativè. *Sed observa*, quod licet hoc ita sit, & legitimè deductum ex D. Thoma dicente vbi supra, quod natura ista, *nec est vna, nec est plures*, quod idem est, ac non dicere pluralitatem; nihilominus cum natura secundum se dicat prædicata essentialia metaphisica, non quomodocumque, sed ita solitariè, & nude accepta, ac si non essent identificata cum singularitate, fit consequens, quod licèt *signate* dicat prædicata essentialia, *exercitè* tamen dicit statum præcisionis, & solitudinis, sub quo concipitur, dum sola, & nuda cognoscuntur essentialia, & ratione huius præcisionis est ibi exercitè, & obiectivè quædam vnitas rationis, quæ resultat ex cognitione attingente signate prædicata essentialia, non attacta singularitate, cum qua identificantur, iuxta dicta supra articul. 4. Hinc naturam essentialiter esse vnam negative, nil aliud est, quam non esse essentialiter plu-

plures, quod non tàm est convenire ei aliquam vnitatem, quam nō convenire ei pluralitatem: esse vero vnam ex parte status, sub quo sola, & nuda essentia consideratur, est habere vnitatem obiectivam, quæ est aliqua forma rationis, quę ad singularia non descendit, sicut nec status solitudinis.

158 *Si dicas*: ergo iam aliquid convenit naturæ secundū se, quod non convenit ei in omni statu, illa scilicet vnitas rationis. *Resp.* disting. conseq. secundum se, idest, *ex vi prædicatorum essentialium*, neg. conseq. secundum se, idest *ratione status solitudinis*, sub quo considerātur prædicata essentialia, conced. conseq. quia status solitudinis non est prædicatum essentiale, sed modus præcisionis ibi exercitus, qui ad singularia non descendit. *Nec obstat*, quod natura secundū se pręscinditur ab omni prædicato sibi accidentali, ac proinde nequit dicere illam vnitatem, quæ sibi accidit, sicut, & status solitudinis, ad quem consequitur. *Nàm* sicut natura secundum se nequit præscindi ab eo, quod sit cognita, & si cognosci sit prædicatum ipsi accidentale, ita nequit pręscindi ab vnitate, quæ necessario consequitur cognitionem, qua cognoscitur, dum secundum se, idest, dum prædicata essentialia sola, & nuda attingūtur. Præscinditur ergo natura secūdum se ab omni sibi accidentali, tamquā a prædicato signate, cognito, nā signate sola essentialia apparēt, nequeunt tamen signate apparęre essentialia sola, quin ibi vnitas attingatur exercitè.

159 *Si vlterius* instes. Natura cum illa vnitate rationis consequta ex vi status pręcisionis, est natura prout in intellectu: sed natura secundum se non est natura provt in intellectu: ergo natura secundum se nullo modo dicit, illā vnitatem. *Resp.* disting. mai. est natura provt in intellectu, *secundum, quod natura in intellectu contraponitur naturæ secundum se*, neg. mai. *alio modo, quo non opponitur ipsi* conced. mai. & concessa min. disting. conseq. ergo natura secundum se, idest, *essentialiter*, nullo modo dicit illam vnitatem conced. conseq. secūdum se, idest, *ratione status comitantis sola, & nuda prædicata essentialia*, neg. conseq. Natura provt in intellectu differt à natura secundum se in eo, quod provt in intellectu dicit signatè non solam rei essentiam, sed etiam ipsa accidentia rationis, quibus essentia rei substernitur, qua ratione significatur per has voces, *genus, species*, & similes, natura vero secundum se dicit signate sola prædicata essentialia rei, qua ratione significatur per hęc nomina primæ intentionis, *animal, homo*, & similia; sed cum necesse sit, quod dum sola, & nuda cognoscuntur pręedicata metaphisica, attinguntur pręcisivè à singularibus cum quibus sunt in re identificata, necessum quoq; est ibi exerceri, & resultare vnitatē pręcisioni correspōdentē, quę tamen signatè non apparet inter rei pręedicata essētialia, ideoque dicitur, & vere, quod

quod natura non est essentialiter, nec vna, nec plures, ac proinde, quod non dicit essentialiter pluralitatem.

260 *Si tandem dicas.* Illa vnitas cōpetens naturæ ex vi status solitudinis est vnitas positiva: ergo vel male conceditur naturam secundum se esse vnam negativè, vel falso negatur esse vnam positivè. *Resp.* quod & si illa vnitas sit positiva, nam est carentia pluralitatis, quam ibi cōcipit exercitè intellectus, vt quid positivum, dum attingit signatè nudam essentiam rei; cum tamen inter essentialia naturæ non appareat, vi illius non exprimit natura *secundum se*, idest, *essentialiter* aliquid repugnans multiplicationi, sed manet natura essètialiter sumpta indifferens, vt vel sit vna positivè, vel plures, in qua non determinatione consistit esse essentialiter vnam negativè: de quo statim amplius art. sequente.

261 *Hinc* ad confirm. argumenti *resp.* concesso antec. neg. conseq. Ad prob. disting. antec. Ideo natura provt in intellectu est, positivè communis, quia nulli est appropriata, *exclusivè, & repugnanter* conced. antec. *purè præcisivè*, neg. antec. & conseq. quę solutio constat ex dictis.

****
***

ART. VI.

In quo consistat, & per quem actum fiat vniversale metaphisicum?

262 EX dictis in hac quęst. art. 1. constat, quod vniversale metaphisicum est natura abstracta ab inferioribus, vnde duo dicit, & naturam, quæ cognoscitur, non cognitis differentijs, quæque est substractum vniversalitatis, & ipsam abstractionem, quæ est forma constitutiva huius concreti, *vniversale*. Certum est naturam in nulla re determinatè consistere, sed posse esse, vel ens reale, vel rationis; quęlibet enim natura, sivè realis, sivè rationis, sivè substantia, sivè accidens, dum plura habeat sub se inferiora vnivocè similia, potest esse subiectū vniversalitatis metaphisicæ. Devoluitur ergo difficultas ad formam, qua cōstituitur vniversale, in quonam scilicet hæc forma consistat?

264 *Circa actum* vero, quo fit vniversale metaphisicum, vnum est certum, fieri scilicet per actum abstrahentem naturam ab inferioribus, cum tale vniversale sit natura abstracta ab inferioribus; quia tamen duplex est abstractio, alia intellectus agentis, qui cognoscitivus non est, & cuius munus sistit in producendo, seu educendo ex phantasmate species intelligibiles; alia abstractio intellectus possibilis, sive passibilis, qui recipiens species ab intellectu agente pro-

productas, elicit cum eis intellectionem; ideò de vtriusque potentiæ abstractione procedit dubium, cum aliqui AA. sentiant fieri vniversale per primam abstractionem alijs necessariam iudicantibus abstractionem intellectus possibilis. *Rursus* abstractio intellectus possibilis est duplex; alia negativa, qua scilicèt cognoscitur natura, non cognitis singularibus; alia positiva, qua cognoscitur natura cognoscendo etiam singularia, à quibus natura abstrahitur.

§. I.

Determinatur forma vniversalis Metaphisici.

264 Sit prima conclusio, *forma constitutiva vniversalis metaphisici non est cognitio confusa, qua singularia indistinctè cognoscuntur.* Hæc conclusio satis, superque videtur probata ex dictis tùm art. 1. de vniversali in essendo distincto ab vniversali in repræsentando, tùm art. 4. de præcisionibus obiectivis. *Primi* enim generis probationes poteris in præsenti adducere, si ita arguas: Cognitio confusa singularium est vniversalis solum in repræsentando: ergo quod in ratione vniversalis constituitur per talem cognitionem, non distinguitur pro formali ab vniversali in representando: ergo si vniversale metaphisicum constituitur per eiusmodi cognitionem, non admittitur vniversale in essendo, quod formaliter differat ab vniversali in representando. *Quod* si ita est, redeunt impugnationes ibi positæ, quibus nominalium sententia impugnatur. *Secundi* generis probationes ex art. 4. desumptæ suadent etiam præsentem conclusionem; cognitio enim abstrahens rationem superiorem à differentijs inferiorum, animal v. g. à differentijs hominis, & Equi, aut hominem à differentijs Petri, & Pauli, præscindit obiectivè rationem superiorem à differentijs inferiorum: sed cognitio illa confusa non sic præscindit obiectivè rationem superiorem à differentijs inferiorum: ergo vel vniversale metaphisicum non constituitur ipsa cognitione abstrahente, vel hæc non est cognitio confusa singularium, seu inferiorum. Huius discursus mai. prob. omnibus rationibus pro præcisione obiectiva factis.

265 *Sed ex his* prob. insupèr conclusio. Vniversale metaphisicum dicit pro formali vnitatem positivam: sed singularia, vt confusè cognita non dicunt pro formali vnitatem positivam: ergo vniversale metaphisicum non est pro formali singularia vt confusè cognita, & consequenter non consistit formaliter in cognitione confusa à qua singularia denominantur confusè cognita. Prob. min. Singularia vt confusè cognita dicunt pro formali ipsas differentias, quas cognitio confusa attingit, cum ab illis non præscindat:

 er-

ergo non dicit vnitatem positivam pro formali. Patet conseq. Nàm vnitas positiva est carentia divisionis, & pluralitatis: sed quod dicit pro formali differentias, quibus natura dividitur, & plurificatur, non dicit pro formali carentiam divisionis, & pluralitatis: ergo non dicit pro formali vnitatem positivam.

266 *Si dicas*, quod singularia vt confusè cognita dicunt pro formali, non differentias, sed confusam earum cognitionem, quæ est vnitas, non intrinseca, sed extrinseca, cuius solius est capax, & qua sola constituitur natura in ratione vniversalis metaphisici.

267 *Contra est* 1. Singularia vt confusè cognita dicunt pro formali cognitionem confusam eorum: sed non dicunt cognitionem entitative acceptam, vt ex se est manifestum: ergo dicunt pro formali cognitionē confusam repræsentativè sumptam: ergo dicunt pro formali divisionem, & pluralitatem, ac proinde vt confusè cognita non dicunt pro formali vnitatem. Prob. hæc conseq. Cognitio repræsētativè sumpta dicit formaliter id, quod representat: sed cognitio confusa singulatium repræsentat eorum divisionem, & pluralitatem, si quidem ab hac præscindit in sui repræsentatione: ergo si singularia dicunt pro formali cognitionem confusam, dicunt pro formali pluralitatem. Ex quibus reijcitur vnitas illa extrinseca; Ideò enim singularia dicunt intrinsecè pluralitatem, quia intrinsecè in se non solum sunt similia, sed sunt plura, & dissimilia; at cognitio confusa non solum repræsentat eorum similitudinem, sed eorum pluralitatē, & dissimilitudinem, siquidem ab his non præscindit in sui representatione: ergo cognitio confusa nequit esse adhuc extrinsecè eorum vnitas.

268 *Contra* 2. Ideò cognitio esset vnitas extrinseca singularium, quæ confusè cognoscuntur, quia per eam non apparet expressè, nisi eorum natura, & non nisi confusè attinguntur differentiæ, quibus plurificantur: sed hæc ratio est nulla, vt sint vnum vnitate, qua constituitur vniversale: ergo vel hoc non constituitur vnitate purè extrinseca, vel non constituitur vnitate consistente in cognitione confusa. Prob. min. Per hanc cognitionem *Populus*, vel *Civitas* solum confusè concipitur differentia Civium inter se: & tamen ex vi huius cognitionis non habent Cives vnitatem adhuc extrinsecam, quæ desideratur ad rationem vniversalis, non enim habent vnitatem, vi cuius possint sic confusè cogniti de quolibet prædicari, vt vniversale requirit: ergo non discerni, aut apparere, sed confundi differentias singularium, non sufficit, vt habeant vnitatem qua vniversale constituitur.

Nec

269 *Nec satisfacit*, si dicas, quod hæc cognitio *Ciuitas* exprimit ex parte modi pluralitatem, quam ex modo tendendi non exprimit hæc cognitio *homo*. Nam quid est, rogo, exprimere ex parte modi, si ex parte obiecti nihil illi expreſsioni correſpondet? Etenim ille diuerſus modus tendendi, & exprimendi, non eſt talis repræſentatiuè, nam ſi talis eſſet repræſentatiuè, ipſi correſpōderet diuerſo modo ex parte obiecti natura, quæ apparet, ac ſingularia, quæ non apparent, & conſequenter iam aliqua daretur præciſio obiectiua; ſi autem non eſt modus talis repræſentatiuè, quænam, ſeu in quo ſtat diuerſitas, vt vnum obiectum ſit vnum vnitate vniue. ſali, ſecùs alterum? *Deinde*. Ideò illa cognitio *Ciuitas* repræſentat ex parte modi pluralitatem, quia ciuitas idem eſt formaliter, ac collectio plurium Ciuium: ſed ſpecies humana idem eſt formaliter ac collectio omnium hominum: ergo cognitio *homo*, quę ſpeciem humanam repræſentat, exprimit ex parte modi pluralitatem. *Rurſus* cognitio *Ciuitas* non alia ratione non repræſentat aliquid indifferenter affirmabile de pluribus, niſi quia ſaltim confusè repræſentat Ciuium differentias: ergo vel cognitio *homo*, nec confusè repræſentat hominum differentias, vel non reprę ſentat aliquid indifferenter affirmabile de pluribus. Videantur dicta art. 1.

270 *Vrgetur*. Cognitio abſtrahens naturam à differentijs entitatiuè ſumpta non eſt forma, qua natura redditur vna, & vniuerſalis: ergo eſt cognitio repræſentatiuè ſumpta: ſed cognitionem repræſentatiuè ſumptam reddere naturam vnam eſt repræſentare vnitatem in natura: ergo vnitas, qua redditur natura vna, ex parte obiecti ſe tenet in ipſa natura, & ſic non conſiſtit formaliter in cognitione. Sed quia hæc ex profeſſo manent probata art. 4. ab vlteriori concluſionis probatione ſuperſedemus.

271 *Sit ſecunda* concluſio. Natura nō conſtituitur formaliter vniuerſalis metaphiſice per actum præſcindentem illam obiectiuè à differentijs, ſed per entitatem rationis reſultantem in obiecto ex tali actu præſcindente. Concluſio prob. ex dictis art. 4. Natura redditur formaliter vniuerſalis metaphiſice per id, quo redditur formaliter præciſa obiectiuè à ſingularibus: ſed non redditur formaliter pręciſa obiectiuè à ſingularibus per cognitionem, ſed per vnitatem rationis: ergo per vnitatem rationis, & non per cognitionem obiectiuè præſcindentem conſtituitur formaliter vniuerſale metaphiſicum. Min. quæ ſola eſt difficilis, manet prob. art. 4. præſertim à num. 118. vbi diſtinctionem, & vnitatē prædicati præciſiue attacti probauimus non conſiſtere in ipſis cognitionibus præſcindentibus, ſed in vnitate rationis obiectiua.

272 *Obijcies* 1. D. Thomam aſſe-

asserentem opusc. 56. quod *vniuersale est vnum vnitate cognitionis*, & Opusc. 55. ait, *esse formale vniuersalis est in anima, & non in rebus*, & 1. p. q. 85. art. 2. ad 2. inquit, *cùm dicitur vniuersale abstractum, duo intelliguntur, scilicet ipsa natura rei, & abstractio, seu vniuersalitas*: pro eodem ergo reputat D. Thomas abstractionem, quæ est actus intellectus, & vniuersalitatem; & vnitatem etiam ponit in ipsa vnitate cognitionis, quæ habet esse in anima, & non in forma ficta, quæ se teneat ex parte rerum.

273 *Resp.* explicando 1. D. Thomæ testimonium: est vnum vnitate cognitionis, *effectiuè* conc. formaliter neg. Est enim vnum vnitate resultante in obiecto ex cognitione naturæ per modum vnius, nō tamen est vnū per ipsammet cognitionem; hanc esse mentē D. Thomę clare ex ipso mōstrauimus art. 4. nec non tota quæst. 2. de ente rationis. *Ad 2. testimonium* dicimus, quod esse formale vniuersalis est in anima *obiectiuè, non subiectiuè*, qualiter sunt in anima cognitiones, quæ in ipsa subiectantur. Ad 3. testimonium disting. conseq. pro eodem reputat abstractionem *passiuam*, & vniuersalitatem conc. conseq. abstractionem *actiuam*, neg. conseq. Abstractio actiua est actus præscindens naturam à singularibus; abstractio passiua est vnitas rationis ex cognitione præscindente resultans; vniuersalitas ergo qua natura est formaliter vniuersalis, non in actiua, sed in passiua abstractione formaliter consistit.

274 *Obijcies* 1. Naturam esse vniversalem metaphisicè est extrinseca denominatio: ergo non est formaliter vniuersalis vnitate rationis obiectiua, sed vnitate extrinseca cognitionis abstrahentis. Prob. antec. 1. Denominatio extrinseca est, quæ convenit subiecto ab extrinseco: sed talis est vniversalitas respectu naturæ, cum hæc non sit ab intrinseco vniuersalis: ergo est denominatio extrinseca. *Prob. 2. antec.* Naturam esse abstractam à singularibus est denominatio extrinseca; cum nil aliud sit, quam esse inadæquatè cognitam: sed naturam esse vniuersalem metaphisicè, est esse abstractam à singularibus: ergo idem quod prius. *Prob. 3.* idem antec. Naturam esse metaphisicè vniuersalem non est quid falsum, & chymericum: ergo est denominatio extrinseca. Prob. conseq. Quælibet forma intrinseca constituens naturam vniuersalem est falsa, & chymerica, cum non sit vera, & realis: ergo si naturam esse metaphisicè vniuersalem non est quid falsum, & chymericum, vniuersalitas non est forma intrinseca, sed extrinseca denominatio.

275 *Confirm.* Natura constituitur vniuersalis metaphisicè per formam, qua redditur vna, & apta, vt comparetur ad plura; talis est cognitio, qua attinguntur in distinctè singularia: ergo talis cognitio est forma vniuersalis metaphisicè. Prob.

Prob. min. Singularia, vt substant. prædictæ cognitioni, apparent vnũ pluribus communicabile, cum ex vi talis cognitionis nulla appareat inter singularia differentia: ergo per illam cognitionem redditur natura vna, & apta, vt compareretur ad plura.

276. *Resp.* neg. antec. Ad eius 1. prob. disting. mai. Denominatio extrinseca est, quæ conuenit subiecto ab extrinseco, *formaliter* conced. mai. *effectiuè* neg. mai. vniuersalitas, & si efficienter sit ab extrinseco, quia efficiens vniuersalitatem (intellectus scilicèt) sit quid extrinsecum naturæ, forma tamẽ, à qua formaliter sumitur denominatio vniuersalis, conuenit ab intrinseco naturæ, non dimanatiuè, sed receptiuè, nam vnitas rationis recipitur in natura, non realiter, sed obiectiuè, quatenus apprehenditur, ac si naturam intrinsecè afficeret. Ad 2. prob. disting. mai. Naturam esse abstractam *causaliter*, *& in fieri* est denominatio extrinseca conced. mai. formaliter, & complete neg. mai. & applicata distinctione min. neg. conseq. Actio abstrahens, cum sit practica, solum in fieri, & causaliter denominat naturam abstractam, quæ complete, & formaliter denominatur talis ab vnitate rationis per cognitionem illam introducta, vt in simili explicuimus tum quæst. 1. art. 2. tum in hac quæst. art. 4. vniversalitas autem consistit in forma, qua natura est complete, & formaliter vniuersalis.

277 *Ad 3. antec. prob.* concesso antec. neg. conseq. Ad cuius prob. neg. antec. quia falsum est, quod affirmatur existere, cum reverà non existat, & chymericum dicitur, quod nullo prælucente in re fundamento, temerè fingimus: quo circa vnitas rationis naturæ vniuersalis nec falsa est, nec chymærica, quia illam intellectus de natura non affirmat, sed illam apprehendit in natura cum fundamento in reali similitudine, veraque conformitate inferiorum prædictam naturam participantium.

278 *Ad confirm.* neg. min. ad prob. disting. anteced. apparent singularia, vt vnum, *vnitate collectionis* conced. ant. *vnitate communi indifferenter pluribus* neg. antec. nã licet explicite non appareant differentiæ singularium per eam cognitionem, attinguntur tamen confusè, quod sufficit, vt impediant communitatem, nam redditur natura vna, vnitate solius collectionis, quæ de quolibet singulari nequit affirmari.

§. II.

Statuitur actio, qua fit vniuersale metaphisicum.

279 Tertia conclusio. *Vniversale metaphisicũ non fit per abstractionem intellectus agentis.* Prob. conclusio. Per actionem, qua fit vniuersale metaphisicum, existit vnitas illud constituens in

ra-

ratione vniuersalis,cum productio rei ponat omnia rei constitutiva sub existentia: sed per abstractionem intellectus agentis non existit vnitas,qua constituitur vniuersale metaphisicum : ergo per talem actionem non fit vniuersale metaphisicum. Prob. min. Per talem actionem , nec existit natura sub vnitate reali, nec sub vnitate rationis: ergo non existit sub vnitate constituente vniuersale. Anteced. quoad 2. partem est certum , nàm vnitas rationis nequit existere nisi ex vi actus, qui sit cognitio , cum esse entis rationis sit cognosci; sed abstractio intellectus agentis non est actus, qui sit cognitio : ergo. Quoad 1. vero partem prob. Vnitas realis est vnitas numerica, & singularis,sed per talem actionem non existit natura sub vnitate numerica , & singulari, cum potius per illam natura abstrahatur à singularibus: ergo ex vi illius actionis non existit natura sub vnitate reali.

280 *Si dicas* , quod natura existit ex vi illius actionis sub vnitate reali, non intrinseca, sed extrinseca, quæ est denominatio extrinseca desumpta ab specie.

281 *Contra est*,nam iuxta dicta hucusque,vnitas,qua constituitur vniuersale metaphisicum est vnitas intrinseca, & ex parte obiecti se tenens, sed denominatio extrinseca sumpta ab specie non est huiusmodi: ergo non est formaliter vnitas vniuersalis. Et quidem naturam postea cognosci vt vnam non est denominatio extrinseca desumpta à cognitione, aliter totum sistet obiectum formale logicæ in denominationibus extrinsecis,eadem enim est ratio de denominatione directi media cuiuslibet generis secunda intentione, erit sanè denominatio extrinseca ab actu dirigente desumpta: & vlterius, si naturam esse vnam, est denominatio extrinseca, cum media illa vnitate sit præcisa ab inferioribus,vel præcisio obiectiua non dabitur,vel ea consistet pro formali in ipso actu præscindente , quorum quodlibet alienum est à doctrina Thomistica , quam in antecedentibus firmauimus: ergo consequenter ad doctrinam communiter receptam intra scholam Angel. Præcept. sustineri nequit solutio.

282 *Confirm.* obiectum repræsentatum per illam speciem est natura,non multiplex,sed vna;sed obiectum repræsentatum per speciem non constituitur formaliter per ipsam speciem:ergo natura nō constituitur vna vnitate extrinseca proueniente formaliter ab specie.

283 *Quod si* propter hæc,aliter rationi nostræ occurras, & dicas, quod natura repræsentata per speciem est vna vnitate rationis, quæ vnitas licet formaliter , & explicite nequeat fieri sine cognitione,virtualiter tamen potest causari per speciem præuiam , quia species debet repræsentare naturam sub ea vnitate, sub qua eam postea

sita intellectus possibilis cognoscit.

284 *Contra est.* Nam quidquid sit, an, & quomodo species repræsentet vnitatem rationis, hæc tamen non existit modo sufficiente ex vi repræsentationis speciei productæ ab intellectu agente, vt ex vi talis actionis propriè existat vniuersale metaphisicum: ergo nec modo sufficiente, vt ex vi illius propriè producatur, & fiat vniuersale metaphisicum. Patet conseq. cum productio rei eam ponat sub existentia, & anteced. prob. Ex vi actionis, vi cuius non existit propriè vnitas obiectiva rationis, qua constituitur vniuersale metaphisicum, non existit propriè vniuersale metaphisicum; sed ex vi actionis, quæ non est cognitio, nequit proprie existere vnitas obiectiua rationis, cum ens rationis non existat, nisi dum actualiter cognoscitur ab intellectu: ergo ex vi actionis productiuæ speciei non existit propriè vniuersale metaphisicum.

285 *Explicatur.* Ex hoc, quod modo conseruetur in memoria species repræsentans relationem rationis, in qua vniuersale logicum consistit, non sequitur, quod modo conseruetur existens vniuersale logicum, nisi modò sit cognitio factiua ipsius: ergo ex hoc quod ab intellectu agente producatur species repræsentans vnitatem rationis, in qua vniuersale metaphisicum consistit, non colligitur, quod fiat, siue reddatur existens vniuersale metaphisicum, nisi detur cognitio effectiua illius vnitatis.

286 Vltima conclusio. *Vniuersale metaphisicum fit immediatè per abstractionem intellectus possibilis, tàm negatiuam, quàm positiuam.* Prob. 1. pars conclusionis. Per illam actionem immediatè fit vniuersale metaphisicum, per quam fit immediatè fundamentum proximum vniuersalitatis logicæ, cum supra vniuersale metaphisicum fundetur immediatè secunda intentio vniuersalis logici: sed per abstractionem negatiuā intellectus possibilis immediatè fit fundamentum proximum vniuersalis logici: ergo immediatè fit per illam vniuersale metaphisicum. Prob. min. Per abstractionem negatiuam intellectus possibilis natura redditur vna positiue, & indifferens ad plura: sed supra naturam vnam positiuè, & indifferentem ad plura fundatur immediatè vniuersalitas logica: ergo fit immediatè per talem abstractionem fundamentum proximū vniuersalis logici. Prob. mai. Vnitas, qua natura excludit differentias, est vnitas positiua, & sub qua natura est indifferens ad plura; cum repugnantia ad essendum in pluribus proueniat à differentijs: sed per illam abstractionem natura redditur vna obiectiuè, cum cognoscatur ac si in se esset vna, qua vnitate obiectiua excludit differentias: ergo fit immediatè per illam abstrationem natura vna positiuè, & indifferens ad plura.

287 *Secunda vero* pars conclusionis prob. Ideo per abstractionē negativam intellectus possibilis ponitur vnitas positiua, & indifferentia ad plura, quod est fundamentum vniuersalitatis logicæ, quia per talem abstractionē cognoscitur natura, exclusis differentijs: sed per abstractionem positivam cognoscitur natura, exclusis differentijs: ergo per eam ponitur etiam fundamentum proximū vniuersalitatis logicæ. Prob. min. Abstractio positiua separat naturam ab inferioribus, cognoscendo inferiora, à quibus eam separat: sed non stat separari naturam ab inferioribus, nisi exclusis differentijs, medijs quibus natura erat in inferioribus: ergo per abstractionem positiuam cognoscitur natura exclusis differentijs.

§. III.

Soluuntur argumenta.

288 OBijcies 1. contra 1. conclusionem D. Thomam Opusc. 55. asserentem, *quod vna, & eadem natura, quæ singularis erat, & indiuiduatur per materiam in singularibus hominibus fit postea vniuersalis per actionem intellectus depurantis ipsam à conditionibus indiuiduantibus, quæ sunt hic, & nunc*: sed actio intellectus depurantis naturam est actio intellectus agentis producens speciem repræsentantem naturam sine conditionibus indiuiduantibus: ergo per talem actionem fit natura vniuersalis: non logicè: ergo metaphisicè.

289 *Resp.* explicando mai. fit postea vniuersalis per actionem intellectus depurantis, *fit mediatè* conced. mai. *immediatè* neg. mai. Nàm cum intellectus agens producat speciem repræsentatem naturam sine singularibus, qua specie determinatus intellectus possibilis cognoscit naturam, ac si in se esset vna, obiectiuam existentiam communicando vnitati, fit consequens, quod ab actione depurante initietur vniuersalitas, cum ab ipsa ponatur species, quæ est necessaria, vt existat vniuersalitas, quę tamen solùm existit ex vi actus, qui cognitio fit. Et quidem Angelicus Præcept. sæpè docet (vt cōstat ex testimonijs supra positis) quod vniuersale est vnum vnitate cognitionis, per quod satis excludit ab efficientia immediata vniuersalis actionē intellectus agentis, qui non est cognoscitivus.

290 *Obijcies* 2. Vniuersale metaphisicum est natura vna cum non repugnantia ad essendum in pluribus: sed per abstractionem intellectus agentis fit natura vna cū non repugnantia ad essendum in pluribus; ergo per abstractionem intellectus agētis fit vniuersale metaphisicum. Prob. min. per illam abstractionem abstrahitur natura à singularibus, à quibus prouenit pluralitas, & distinctio, repugnantiaque ad essendum in pluribus: ergo fit per talem abstractionem

nem natura vna cum non repugnantia, vt sit in pluribus. Patet conseq, nam illa actio facit naturam vnam, & indifferentem, quæ tollit pluralitatem, vi cuius erat multiplex, & repugnabat esse in pluribus.

191 *Confirm.* 1. Natura nulli appropriata est natura vna, & indifferens ad plura: sed per abstractionem intellectus agentis natura manet nulli appropriata: ergo manet vna, & indifferens ad plura. *Confirm.* 2. Inter esse singulare, vel vniuersale metaphisice non datur medium: sed natura ex vi repræsentationis speciei non est singularis: ergo est vniversalis.

192 *Resp.* concessa mai. disting. min. per abstractionem intellectus agentis fit natura vna, vnitate; *quæ talis sit virtualiter, & in actu primo* conced. min. *quæ talis sit formaliter, & in actu secundo* neg. min. & neg. conseq. quia vniversale metaphisicum non fit nisi per illam actionem, vi cuius existunt formaliter, & in actu secundo eius constitutiva, cu iusmodi est vnitas, quæ ex vi repræsentationis speciei solum in actu primo existit, quatenus existit id, quo determinatur intellectus, vt illi tribuat sua cognitione existentiam.

193 Si dicas voluntarie, & sine vllo prorsus fundamento asseritur esse vnitatem fictam vnitatem vniuersalis: ergo ex quo nequeat existere vi solius speciei vnitas ficta, non bene infertur, quod non existat ex vi illius vnitas vniversalis. *Vlterius* illa species in actu secundo repræsentat naturam, & non differentias, seu sine differentijs: ergo natura repræsentata est vi illius vna in actu secundo. *Deinque*. Natura repræsentata per illam speciem actu est obiectum illius speciei: non multiplex: ergo vnum: sed non vnitate singulari: ergo actu vnum vnitate communi, & propria vniuersalis metaphisici.

194 *Resp.* quod satis rationabiliter adstruitur illa vnitas rationis, imò nescimus qua doctrinæ consequentia oppositum asseratur intra Scholam D. Thomæ: si enim vnitas extrinseca ab specie sumpta est formaliter vnitas vniuersalis metaphisici, cum vnitas speciei sit vnitas vniuersalis in repræsentando, vniuersale metaphisicum erit pro formali indistinctum ab vniversali in repræsentãdo; quomodo ergo in sua vi manent rationes, quibus probamus vniuersalia in essendo distincta omnino ab vniversali in repræsentando? Deinde, cum media illa vnitate natura sit vna, & distincta à singularibus, si illa consistit pro formali in specie repræsentatiua distincta realiter à singularibus, distinctio naturæ à singularibus erit distinctio realis, sicut supra arguebamus contra negantes præcisiones obiectivas, vel præcisionem, & distinctionem obiectivam statuentes in denominatione extrinseca ab actu præscindente desumptam. Denique, si semel naturam esse vnam potest esse denominatio extrin-

trinseca; cur respectus (idem de alijs instrumentis logicalibus) quo constituitur in esse vniuersalis logici, non erit denominatio extrinseca ab actu cõparatiuo desumpta? Hæc sane, & alia, quæ ex his inferuntur, satis rationabiliter suadent, quod cum fundamento procedamus præsertim suppositis his, quæ velut indubia in Schola D. Thomæ supra propugnauimus.

295 *Ad 2. instantiam*. Insto in specie, vi cuius cognoui relationem rationis, asservata modo in memoria; & rogo, an ex vi illius existat modo (omni cognitione seclusa) vniuersale logicum. *Quare* concesso antec. neg. conseq. Nam ille est actus secundus repræsentationis comparatiue ad speciem, quæ suum munus exercet in actu secundo, dum per modum comprincipij fœcundat intellectum ad cognitionem, non tamen est actus secundus vnitatis repræsentatæ, vsque quo media cognitione fiat obiectiuè præsens intellectui. *Ad 3.* resp. quod obiectum speciei impressæ, vt actu sit obiectum illius, provt exigitur ab ipsa, sufficit, quod actu possibiliter sit, quod scilicet, detur actu possibilitas illius, quo modo entia rationis ex vi speciei impressæ, qua repræsentatur, possibiliter existunt; vnde ex vi speciei productę ab intellectu agẽte existit de facto in natura denominatio extrinseca repræsentatæ virtualiter, seu in actu primo sine differentijs, vnitas tamen naturæ sic repræsentatæ de facto non existit.

296 *Hinc ad 1. Confirm.* resp. quod natura ex vi repræsentationis speciei nulli est appropriata; non appropriatione in actu primo sumpta, & quæ sufficit, vt per speciem impressam repræsentetur, modo proportionato speciei, non tamen modo sufficiente, vt existat. *Nec valet* si dicas: actu est illa species similitudo naturæ, & actu non est similitudo indiuiduorum: ergo natura repræsentata actu non est appropriata indiuiduis. *Nam nulla* est conseq. solum enim infertur, quod natura actu extrinsecè denominetur repręsentata, & non sic denominentur indiuidua, ad quod non requiritur, quod non appropriatio, seu vnitas, sit, aut existat, nisi tantum possibiliter, & in actu primo, quod sufficit, vt per speciem impressam repræsentetur.

297 *Ad 2. Confirm.* resp. quod ex vi repræsentationis speciei nec natura est actu singularis, nec vniversalis metaphisicè; quia ille status est virtualiter tantum talis, & in actu primo, in quo nec singularitas, nec vniuersalitas actu competunt naturæ; sicut nec particularitas logica, nec vniuersalitas competunt naturæ ex vi abstractionis, quia ex vi talis ab vtroque præscindit.

298 Objicies contra vltimam conclusionem. Per abstractionẽ negatiuam intellectus possibilis nulla fingitur vnitas in obiecto: ergo vel vniuersale Metaphisicum non dicit vnitatem, vel illud non fit per abstractionem ne-

ga-

negatiuam intellectus possibilis, Prob. antec. Per cognitionem naturæ secundum se nulla fingitur vnitas in obiecto: sed abstractio negatiua est cognitio naturæ secundum se: ergo per abstractionem negatiuam nulla fingitur vnitas in obiecto.

299 *Confirm.* Non fit vniuersale logicum fundamentaliter proximè, vsque quo natura redditur proximè potens comparari ad inferiora in qua comparatione, seu respectu vniuersale logicum formaliter consistit: sed per abstractionem negatiuam intellectus possibilis non fit natura proximè potens comparari ad inferiora: ergo vel vniuersale metaphisicum, non est id, supra quod immediatè fundatur vniuersalitas logica, vel illud non fit per abstractionem negatiuam. Prob. min. Non cognitis inferioribus, à quibus natura est abstracta, manet natura impotens proximè comparari ad illa, nequit enim intellectus comparare hoc ad illud, nisi cognoscat hoc, & illud: sed per abstractionem negativam non cognoscuntur inferiora, à quibus natura abstrahitur: ergo. *Quod* vrgetur ex eo, quod natura nequit esse proximè apta ad eiusmodi respectum, in quo consistit vniuersalitas logica, dum est indifferens ad hanc, vel illā speciem vniuersalitatis, intellectus enim debet ei tribuere determinatam intentionem vniuersalitatis: sed non cognitis inferioribus, à quibus est abstractum, v. g. *coloratum*, hoc manet indifferens, tùm ad intentionem generis, si comparetur ad hanc, & illam speciem coloris, tùm ad secundam intentionem accidentis quinti prædicabilis, si comparetur ad hoc, & illud subiectum coloris, hominem v. g. Et Equum: ergo non cognitis inferioribus, natura non est proximè apta, vt comparetur ad illa.

500 *Resp.* neg. antec. Ad eius prob. constat ex dictis in artic. antec. nam natura secundùm se ratione status est vna positiuè, cum ratione status habeat vnitatem obiectiuam præcisionis, qua excludit differentias inferiorum. Dicitur autem absolutè, quod secundum se est vna negatiuè, & absolutè non dicitur, quod secundum se est vna positiuè, nisi cum illo addito, *ratione status*; quia ly *secundum se* idem sonat, ac essentialiter, & cum natura non sit essentialiter multiplex, in quo consistit esse vnam negatiuè, inde fit, quod absolutè dicitur, *Natura secundum se est vna negatiuè*; at cum essentialiter non excludat sui multiplicitatem, in qua multiplicitatis exclusione consistit vnitas positiua, ideo absolutè est falsum: *Natura secundum se est vna positiuè*; addita tamen illa restrictione, *ratione status*, est vera, quia ratione status solitudinis, dicit vnitatem, qua pluralitatem excludit.

501 *Ad Confirm.* resp. quod vniuersale metaphisicum est fundamentum proximum vniuersali-

tatis logicę, quod fundamentum ponitur per abstractionem negatiuam. Ad 1. prob. in contrarium distinc. mai. non cognitis inferioribus, nec *antecedenter ad comparationem, nec in exercitio illius*, conc. mai. *antecedenter præcise* neg. mai. Et concessa min. neg. conseq. Sicut, vt cognoscatur natura secundū quod est radix suarū proprietatum, quod est cognoscere illam comparatiuè ad proprietates, nō requiritur, quod proprietates priùs absolutè cognoscantur, sed sufficit, quod tunc primo cognoscantur in ipso exercitio cognoscendi naturam comparatiuè ad illas; ita necessum non est, quod inferiora absolutè præcognoscantur, vt natura posšit ad illa comparari; sed sufficit, quod in ipso exercitio comparationis cognoscantur. Et vtriusque ratio est, quia cum vnum extremum est ratio cognoscendi alterum, sufficit quod cognoscatur illud, vt in ipso exercitio cognoscatur, & alterum, qua ratione cognoscuntur proprietates, dum natura illarum radix cognoscitur, quia scilicèt natura est ratio cognoscendi proprietates: cum ergo solam illam naturam defendamus vniuersalem (vt constabit quæst. sequente) quæ ex se infert possibilitatem plurium inferiorū, fit consequens, quod posšint inferiora cognosci, cum cognoscitur ipsa natura, quæ est radix, & ratio illorum.

302 *Hinc ad* Id, quo probatio vrgetur, resp. neg. anteced. quia illa indifferentia naturæ est extrinseca, & quę non tollitur per additionē fundamenti, sed per positionem termini, qui sufficienter ponitur, dum in ipso exercitio cōparationis inferiora cognoscuntur; qua ratione, albedo indifferens, vt referatur relatione similitudinis ad aliam albedinem, vel relatione dissimilitudinis ad nigredinem, est nihilominus fundamentum proximum similitudinis, quia indifferentia illa est extrinseca; & quæ aufertur, non per additionem fundamenti, sed per positionem termini. *Alia* quæ militant contra vltimam partem eiusdem conclusionis, contra abstractionem scilicet positiuam, opportunius discutientur infra, dum de vniuersali logico agamus.

ART. VII.

In quo consistat, & per quem actum fiat vniuersale logicum?

303 **V**Erum obseruare oportet, quod in vniuersali logico, & est natura, quæ denominatur vniuersalis, & ipsa vniuersalitas, de qua sola procedit dubium, cum natura in nulla re determinate consistat. *Praeterea* obseruandum est, quod cognitio (quoad præsens litigium) alia est absoluta, alia comparatiua; absoluta est, qua natura attingitur sine ordine ad inferiora; comparatiua est, qua cognoscitur per ordinem ad illa. *Rursus* comparatio naturæ ad

in-

inferiora est duplex; simplex, & composita: simplex est, quia natura apprehenditur, vt potens esse in pluribus: composita, qua affirmatur natura de pluribus.

§. I.

Decernitur forma vniuersalis logici.

304 Sit prima conclusio. *Vniuersale logicum formaliter constituitur per respectum rationis ad inferiora.* Est communis inter Thomistas, & meritò; cum eam expresse docuerit D. Thomas pluribus in locis, sed præcipuè in quæst. 7. de potentia art. 11 vbi ait, *quod intellectus adinuenit relationes generis, & speciei considerando ordinem quod est in intellectu ad res ad extra.* Et 1. part. quæst. 28 art. 1. inquit *Respectus significatus per ea, quæ dicuntur ad aliquid, aliquando est tantum in ipsa apprehensione rationis conferentis vnum alteri, sicut cum comparat hominem animali, vt speciem ad genus.* Et lib. 4. metaphis. lect. 4. ait. *Ens rationis dicitur propriè de illis intentionibus, quas ratio adinuenit in rebus consideratis, sicut intentio generis, speciei, & similium:* cuius testimonij violentas sane expositiones, & à mente S. Doctoris valde distantes reiecimus supra quæst. 1. art. 2. satis enim constat ex sola relectione litteræ, quod ratio generis, speciei, & similium vniuersalium consistat formaliter iuxta D. Thomam in respectu rationis distincto penitus ab omni ente reali.

305 *Suadetur* in super conclusio ratione. Vniuersale logicum constituitur formaliter per respectum ad inferiora: sed non per respectum, qui sit realis: ergo constituitur formaliter per respectum rationis ad inferiora. Mai. videtur certa; tum quia vniuersale logicum formaliter vt tale est vnum in multis, seu versus multa; sed vnum versus multa dicit de formali respectum ad multa, scilicet inferiora: ergo constituitur formaliter per respectum ad inferiora. *Tum* quia vniuersale logicum formaliter vt tale est superius: sed superius, vt tale, dicit pro formali respectum ad inferiora: ergo. Min. vero Prob. respectus, qui nullatenus est talis in re, non est respectus realis; sed respectus ille ad inferiora nullatenus est talis in re, cum à parte rei, nec detur vna natura superior ad multa, nec apta; vt vna manens sit in multis: ergo talis respectus non est respectus realis.

306 *Si dicas* 1. maiorem huius discursus esse falsam, quia vniuersale logicum nil aliud est, quàm natura abstracta ab inferioribus, vt potens cognosci in illis; siue vt cognoscibilis in illis; constituitur autem cognoscibilis in pluribus per cognitiones possibiles, quibus potest cognosci in pluribus, non per aliquem respectum ipsius naturæ ad inferiora.

307 *Contra est.* Forma, quæ dum actu existit, non reddit actu existens vniuersale logicum, non est constitutiua vniuersalis logici, concretum

 enim

enim formaliter redditur existens ab existentia suæ formæ: sed cognitiones possibiles, dum actu existunt, non reddunt formaliter existens vniuersale logicum: ergo hoc non constituitur formaliter per cognitiones possibiles. Prob. min. Cognitiones possibiles, dum actu existunt, reddunt naturam cognitã actu existentem in pluribus; ergo non reddunt formaliter existens vniuersale logicum. Patet conseq. Nam vniuersale logicum non redditur formaliter existens ab eo, quod ipsum iam existens supponit: sed cognosci vt actu existens in pluribus supponit iam existentem aptitudinem ad essendum in pluribus, in qua aptitudine consistit formaliter vniuersale logicum: ergo si per cognitiones possibiles, dum actu existunt, redditur natura existens in pluribus, per illas dũ actu existunt, non redditur formaliter existens vniuersale logicum.

308 *Confirm.* obiectum cognitionis non constituitur formaliter per ipsam cognitionem; sed obiectum illarum cognitionum possibilium est natura capax ad essendum in pluribus: ergo per cognitiones, non constituitur capax vt sit in pluribus. *Vrgetur* Potentia non cõstituitur formaliter potens cognoscere per cognitionem possibilem, sed per suam virtutem eliciticiuam cognitionis: ergo obiectum non constituitur formaliter potens cognosci per cognitionem possibilem, sed per rationem obiectiuam potentem terminare cognitionẽ. Patet conseq. Nam ideò obiectum constitueretur cognoscibile per cognitiones possibiles, quia per cognitiones actuales constituitur cognitum: sed hæc ratio est nulla, si quidem potentia, quæ per cognitionem actualem constituitur cognoscens, nõ constituitur potens cognoscere per cognitionem possibilem: ergo.

309 *Si dicas* 2. quod & si natura sit vniuersalis formaliter ab aptitudine, ad essendum in pluribus, hæc aptitudo non est talis ex parte obiecti: sed tantum ex parte modi cognoscendi, ac proinde non est respectus rationis.

310 *Contra est.* Natura ex vi illius cognitionis, qua cognoscitur apta ad essendum in pluribus obijcitur, & apparet cognoscenti, ac si esset apta ad existendum in pluribus: sed quod obijcitur, & apparet cognoscenti, ex parte obiecti se tenet: ergo cognoscitur apta ex parte obiecti. *Confirm.* Modus ille cognoscendi naturam aptam ad essendum in pluribus est modus, qui talis est in repræsentando, & non pure in essendo, aliàs non denominaret naturam, quam cognoscit, aptam ad essendum in pluribus. Ergo aptitudo naturæ ad essendum in pluribus repræsentatur per cognitionem: sed quod repræsentatur per cognitionem, ex parte obiecti se tenet: ergo illa aptitudo se tenet ex parte obiecti, ac proinde, si ex parte obiecti non est aptitudo, & respectus realis, respectus, & aptitudo, quibus con-

constituitur vniuersale logicum, non sunt aliquid reale. *Sed quia in antecedentibus satis impugnata est doctrina solutionis, ab vlteriori illius impugnatione abstinemus.*

311 Secunda conclusio. *Respectus ad inferiora, in quo consistit vniuersale logicum, non est respectus ad inferiora, vt à quibus natura est abstracta, nec est respectus ad inferiora, vt de quibus prædicatur, aut prædicari potest, sed est respectus ad illa, vt in quibus potest esse.* Prima pars conclusionis prob. Vniuersale logicum, vt ab vniuersali metaphisico distinctum, est vnum in multis, vnum scilicet potens esse in multis, seu identificari cum multis: sed per respectum ad inferiora, vt à quibus natura fuit abstracta, non respicit natura multa, vt in quibus potest esse, & cum quibus potest identificari, sed potius, vt à quibus separatur, & diuiditur: ergo vniuersale logicum non constituitur respectu, quo natura respiciat inferiora, vt à quibus est abstracta.

322 *Explicatur*, & confirm. vnum respiciens plura, vt in quibus potest esse, est vnum respiciens plura, non vt terminum *à quo*, sed vt terminum *ad quem*: sed vnum respiciens plura, vt à quibus est abstractum, est vnum respiciens plura, vt terminum *à quo*, non *ad quem*: ergo vnum respiciens plura, vt in quibus potest esse, non est vnum respiciens plura, vt à quibus est abstractum: sed vniuersale logicum est vnum respiciens plura, vt in quibus potest esse; hoc enim aperte constat ex illius diffinitione communi plausu recepta scilicet: *vnum in multis*; ergo vniuersale logicum non est vnum respiciens plura, vt à quibus est abstractum.

313 *Secunda pars* conclusionis prob. Vniuersale logicum non consistit in illo respectu, qui supponit vniuersale logicum: sed respectus ad plura, vt de quibus prædicatur, supponit vniuersale logicum: ergo vniuersale logicum non consistit in respectu ad plura, vt de quibus prędicatur. Prob. min. Respectus naturæ ad multa, vt de quibus prædicatur, supponit prædicabilitatem, sicut quilibet actus supponit suam potentiam: sed dum natura est prędicabilis de multis iam est vniuersalis logicè, cum vniuersale logicum sit vnum prædicabile de multis: ergo respectus naturæ ad plura, vt de quibus prædicatur, supponit vniuersale logicum.

314 *Tertia pars* ex eadem ratione constat. Respectus enim naturæ ad plura, vt de quibus potest prædicari, est prædicabilitas: sed prædicabilitas supponit vniuersalitatem logicam: ergo respectus naturæ ad plura, vt de quibus potest prędicari, supponit vniuersale logicum, ac proinde non constituit formaliter illud. Prob. min. *Tùm* quia prædicabilitas est passio vniuersalitatis: ergo supponit vni-

vniuersalitatem. *Tùm* quia sicut actualis prædicatio supponit prædicabilitatem, ita posse prędicari de multis, supponit posse esse in multis, seu identificari cum multis: sed dum supponitur vnum potens identificari cum multis, supponitur vniuersale logicum, quod primò, & per se est vnum in multis, vt inde sit vnum de multis: ergo.

315 *Hinc veritas* vltimę partis conclusionis fit manifesta, *tùm* ab exclusione aliarum partium. *Tùm* quia ex dictis vniuersale logicum consistit formaliter in respectu, quo natura iam per abstractionem vna respicit multa, vt terminum *ad quem*: sed huiusmodi est respectus ad plura, vt in quibus potest esse: ergo consistit formaliter in respectu ad plura, vt in quibus potest esse. *Denique* Vniversale in significando est vnum respiciens plura, vt quæ potest significare; & vniuersale in causando est vnum respiciens plura, vt quæ potest causare: ergo vniversale in essendo est vnum respiciens plura, vt in quibus potest esse.

§. II.

Solvuntur quæ contra præcedentes conclusiones militant.

316 Contra primam conclusionem objicies 1. Vniuersale logicum formaliter consistit in aptitudine naturæ, vt sit in pluribus: sed respectus ad plura supponit aptitudinem ad essendum in pluribus, nam ideo natura respicit plura, vt in quibus potest esse, quia habet aptitudinem, vt sit in illis: ergo vniuersale logicum formaliter non consistit in respectu naturæ ad plura, vt in quibus potest esse.

317 *Confirm.* 1. Relatio ad plura non constituit vniuersale logicum, nec quatenus relatio est, aliàs quævis relatio constitueret vniuersale logicum, nec quatenus relatio vnius ad plura, aliàs relatio Patris ad plures filios constitueret Patrem logicè vniuersalem: ergo vniuersale logicum non constituitur per relationem, seu respectum ad plura. *Confirm.* 2. Vniuersale logicum prædicatur de inferioribus; sed relatio rationis non prædicatur de inferioribus: ergo non constituit vniuersale logicum.

318 *Resp.* disting. mai. Vniversale logicum consistit in aptitudine *positiua* naturæ, vt sit in pluribus conced. mai. in aptitudine *negatiua* neg. mai. & disting. min. respectus ad plura supponit aptitudinem *negatiuam*, vt sit in pluribus, conced. min. *positiuam* neg. min. & conseq. aptitudo negatiua est non repugnantia ad essendum in pluribus, quæ non repugnantia præhabetur in natura, hoc ipso, quod à pluribus sit abstracta; aptitudo vero positiua est habitudo naturæ per modum superioris ad plura,

ra, vt in quibus potest esse, quæ sine relatione ad plura nequit intelligi. Vnde cum dicitur, ideo natura respicit plura, quia est apta, ly *quia*, & ly *ideo* denotant illationem logicam consequentis ab antecedente, non causam phisicam, aut fundamentum; sicut cũ dicitur Petrus est Pater, quia respicit filium, ly *quia* denotat illationem vnius ad aliud, sola distinctione penes implicitum, & explicitum, cum Pater pro formali sit ipse respectus ad filium.

319 *Ad 1. Confirm.* concesso antec. neg. conseq. Non enim constituit vniuersale logicum relatio ad plura, nec quatenus relatio, nec quatenus relatio vnius ad plura, sed quatenus relatio vnius ad plura, vt in quibus potest esse, & cum quibus potest idẽtificari. *Ad 2. Confirm.* disting. mai. Vniuersale logicum, *quoad naturam, quæ denominatur vniuersalis*, prædicatur de inferioribus, conc. mai. *quod secundam intentionem vniuersalitatis*, neg. mai. & concessa min. neg. conseq. Et quidem aptitudo ad essendum in pluribus, in quocumque illam ponas, non prædicatur de Petro, & Paulo, de quibus prędicatur homo, quin inde liceat inferre, quod nõ sit vnum aptum esse in multis homo vt vniuersalis.

320 *Obicijes 2.* contra eandem conclusionem. Vniuersalitas est quædam species vnitatis; sed relatio non est species vnitatis, cum relatio non sit ea ratio diuisionis, nec reddat naturam indiuissam: ergo relatio non est vniuersalitas, & consequenter non est forma constitutiua vniuersalis. *Confirm.* Relatio, qua natura respicit inferiora, est in se singularis, cum sit effectus cognitionis singularis: ergo nequit esse constitutiua vniuersalis. Prob. conseq. Singulare nequit constitui per formam, quę in se sit vniuersalis: ergo etiam ẽ conuerso nequit vniuersale constitui per formam, quæ in se sit singularis.

321 *Resp. disting.* mai. Vniversalitas *pro fundamento* est quędam species vnitatis conced. mai. *pro formali* neg. mai. Quia vniuersale est vnum respiciens plura, vbi vnitas se habet præsuppositiuè, respectus vero ad plura importatur de formali; sicut vniuersale in causando est vnum cum habitudine ad plures effectus, ita tamen, vt vnitas supponatur, & respectus ad plura compleat formaliter conceptum causæ vniuersalis. *Ad Confirm.* neg. conseq. quia aliàs nec in aptitudine consisteret vniversale, imo, nec esset asignabile in quo consisteret, cum illud deberet esset talis conceptus, vel talis ratio, quæ esset hæc, & non alia, ac proinde singularis. Ad prob. conseq. neg. conseq. quia nulla est forma vniversalis, quæ determinet, & arctet ad vnum, & sic nequit constituere singulare, de cuius ratione est, quod naturam ad vnum determinet; at potest forma in se vt *quod* sin

singularis esset id, quo natura respiciat indifferenter plura, & sic reddere naturam vniuersalem.

322 *Obijcies* denique contra eandem conclusionem. Naturam esse aptam ad existendum in pluribus, est, illam esse cognoscibilem in pluribus: sed per cognitiones possibiles constituitur formaliter cognoscibilis in pluribus: ergo per easdem constituitur formaliter apta ad existendum in pluribus. Min. Prob. Per cognitiones actu existentes constituitur natura actu cognita in pluribus: ergo per easdem vt possibiles cõstituitur cognoscibilis in pluribus.

323 *In primis* falsa est mai. argumenti, quia naturam esse aptam ad existendum in pluribus respicit pro actu secundo esse actu in pluribus, non esse actu cognitam in pluribus, quod respicit pro actu cognoscibilitas in pluribus; & vlterius natura non ideo apta est ad essendum in pluribus, quia cognoscibilis in pluribus, sed ideo cognoscibilis, quia apta: non est ergo idem formaliter esse aptam ad essendum in pluribus, ac esse cognoscibilem in pluribus. Deinde minor est absolute falsa, quia potentia formaliter constituta in esse cognoscentis per cognitionem actualem, nõ est formaliter potens cognoscere per cognitionem possibilem, & sic etiam probatio min. deficit, & si enim committatur antec. non infertur conseq.

324 *Quare* argumentum solum potest habere aliquam vim ex falsa suppositione, quod vniuersalitas sit denominatio purè extrinseca cum ipsa cognitione pro formali identificata, ex quo intenditur inferre, quod sicut actu existere vnam naturam in pluribus nil aliud est, quam extrinseca denominatio cognitæ in pluribus, ita esse aptam ad essendum in pluribus sit sola denominatio extrinseca desumpta à cognitione possibili, qua potest cognosci esse in pluribus, quia ab eadem forma, vt possibibili, denominatur res possibilis, à qua, vt in actu existente, denominatur actu exercite existens. *Cæterum*, cum huiusmodi doctrina satis in antecedentibus reiecta, ab opposito procedamus, ideo aptitudinem in forma obiectiua naturæ intrinseca constituimus, quæ est in se intrinsece terminans cognitionem, licet ab hac effectiue proueniat. *Vnde* ommissa mai. disting. min. Per cognitiones possibiles constituitur cognoscibilis *extrinsece* in pluribus, conced. min. *intrinsece* neg. min. sicut albedinem esse visibilem, si pure extrinsecè sumatur, constituitur per visionem possibilem, à qua existente denominatur visa, cum tamen absolutè sit visibilis intrinsecè à sua entitate, vt connotante visionem possibilem.

325 *Contra* 1. partem secundæ cõclusionis obijcies. Habitudo naturæ ad inferiora, vt ad terminum, à quo fuit abstracta, est habitudo naturæ ad inferiora, vt ad terminum ad quem: ergo vel in secunda habitudine non consistit for-

formaliter vniuersale logicum, vel consistit in prima. Prob. antec: Idem motus phisicus potest respicere idem punctum, vt terminum *à quo*, & vt terminũ ad *quem*, vt patet in motu circulari, quo mobile tendit ad idem punctum à quo recessit: ergo eodem motu intellectuali, seu eadem habitudine, qua natura respicit inferiora, vt terminum à quo respicit illa, vt terminum ad quem. *Quod* confirmatur ex eo, quod in voluntate idem actus est aversio, & conversio in Deum, odium enim Dei, quod est aversio à Deo, est conversio in ipsum, siquidem à Deo specificatur: ergo pariter.

326 *Posset ommiti totum.* Quia non disputamus, an habitudo naturæ ad inferiora, vt ad terminum à quo, sit simul habitudo ad illa, vt ad terminum ad quem, sed an constituatur natura vniversalis per habitudinem ad inferiora, vt ad terminum à quo; & quidquid sit de primo, negamus secundum, asserentes, quod respicere inferiora vt terminum à quo non est forma vniversalis logici, sed ipsa respicere, vt terminum ad quem, sive sit duplex respicere, sivè vnum tantum, de quo non curamus. *Resp.* Insuper neg. ante. ad cuius prob. neg. conseq. Quia motus phisicus ex se petit formaliter, quod sit inter duos terminos, à quo scilicèt, & ad quem, vnde si contingat (vt in motu circulari) quod idem sit terminus à quo, & ad quem, motus sine sui variatione illum dupliciter respicit: at cum motus intellectualis, seu tendentia per rationem talis, non sit necessario inter duos terminos, sed attingat solum id, quod per modum obiecti formalis ipsi correspondet, si obiectum, seu terminus est duplex formaliter, nequit esse eadem tendentia; & sic se habent inferiora, vt à quibus natura est abstracta, & divisa, & vt in quibus potest esse, sunt enim duo termini spicificè diversi respectu habitudinis, quę ex se non habet inter duplicem terminum oppositum versari.

327 *Ad confirm.* Ibi insertam neg. antec. Odium enim Dei est sanè auersio à Deo, sed non est cõversio in ipsum, & si ab ipso dicatur specificari; quia actus, qui per se primò est fuga, & recessus ab aliquo, cuiusmodi est odium, specificatur à termino, à quo fugit, & recedit.

328 *Contra* reliquas eiusdem conclusionis partes obijcies. Essentia est perfectior proprietatibus: sed actualis prædicatio naturę de inferioribus est perfectior aptitudine ad essendum in pluribus, & aptitudine, vt prædicetur de pluribus: ergo in actuali prędicatione consistit essentia vniversalis. Prob. min. Prędicatio fit medio iuditio affirmante naturã de inferioribus, quod iudicium longe perfectius est simplici apprehensione, qua natura apprehenditur vt potens esse in multis, & vt potens prædicari de multis: ergo actualis prædicatio est perfectior.

Con-

329 *Confirm.* 1. Vnniverſale non pertinet ad conſiderationem logicam, quatenus eſt, aut poteſt eſſe in multis, hoc enim ſpectat ad Metaphiſicam, ſed quatenus medio artificio logico prędicatur, aut poteſt prædicari de multis: ergo in prædicabilitate cōſiſtit eſſentia vniverſalis logici formaliter. *Confirm.* 2. Quando actus ſunt ſubordinati, ſufficit vna potentia reſpectu illorum, quo circa ab eadem potentia intellectiva procedant apprehenſio, iuditium, & diſcurſus, quia ſunt actus ſubordinati: ſed exiſtere in multis, & prædicari de multis ſunt actus ſubordidinati: ergo prędicabilitas, quę eſt potentia ad prædicari de multis, non eſt diſtincta à potentia ad eſſendum in multis, quæ eſt eſſentia vniverſalis, ac proindè prædicabilitas non eſt proprietas vniverſalis.

330 *Reſp.* diſting. mai. eſſentia *in rebus phiſicis* eſt perfectior, conced. mai. *In entibus rationis* neg. mai. nam in phiſicis proprietates dimanant ab eſſentia, vnde neceſſariò eſt perfectior; in entibus autem rationis non dicitur eſſentia id, à quo alterum dimanet, ſed quod primo efficitur ab intellectu, primoque convenit ſubiecto, vnde eſſentia non eſt neceſſario perfectior. *Ad* 1. *confirm.* neg. antec. nam licet eſſe in multis, quoad eſſe in ſe inſpectum, non ſpectet ad logicam, quoad ſecundam tamen intentionem, qua vt abſtractum, & vnum reſpicit per modum ſuperioris illa multa pertinet ex proprio munere ad Logicam, quæ ſuum proprium artificium in eiuſmodi adinvenit ſecundis intentionibus propriori etiam ad aliam ſecundam intentionem prędicabilitatis *Ad* 2. *confirm.* diſting. mai. Quando actus ſunt ſubordinati, ſufficit eadem potentia *in rebus phiſicis* conced. mai. *in entibus rationis*, neg. mai. nam quando potentia eſt rationis, quot fuerint cognitiones cognoſcentes rem per ordinem ad diverſos actus, tot erunt potentiæ, cum potentia eiuſmodi nō detur, niſi cognita natura vt apta ad hunc, vel illum actum; cumque per cognitionitionem, qua natura cognoſcitur apta ad eſſendum in multis, non cognoſcatur apta ad prædicari de multis, per cognitionem, qua fit potentia, vt exiſtat in multis, non fit potentia, vt prædicetur de multis.

§. III.

Decernitur actio, qua fit vniverſale Logicum.

331 Tertia concluſio. Vniverſale logicum non fit per cognitionem abſolutam, ſed per comparativam naturæ ad inferiora. Hęc concluſio (ſicut & ſequentes) quaſi corollarium eſt eorum, quæ ſtatuta ſunt §. antecedente: Eamque eſſe de mente D. Thomæ conſtat ex teſtimoniis ibi adductis, & prob. Cognitio comparativa eſt (quoad pręſens attinet) cognitio attingens naturam cum reſ-

respectu ad inferiora: sed vniversale logicum non aliter fit quam per cognitionem attingentem naturam cum respectu ad inferiora: ergo non aliter fit, quàm per cognitionem comparativam. Prob. min. Vniversale logicum consistit formaliter in respectu naturæ ad inferiora: ergo non aliter fit, quàm per cognitionem attingentem naturam cum respectu ad inferiora.

332 *Nec dicas*, quod & si vniversale logicum consistat formaliter in tali respectu, vt tamen talis respectus, seu relatio resultet, sufficit quod per abstractionem ponatur fundamentum proximum, nàm statim resultat relatio, quin sit necessaria cognitio directè terminata ad illam.

333 *Nam contra est*. Relatio naturæ ad inferiora est relatio rationis, quę nequit existere aliter, quam in esse cognito: ergo dum per cognitionem nō attingatur respectus, non existet vniversale logicum formaliter: sed cognitio, quæ attingat respectum naturæ ad inferiora comparat naturam ad inferiora: ergo vniversale logicum formaliter non existit, nisi ex vi actionis comparantis naturam ad inferiora.

334 *Obijcies*. Abstractio per quam natura attingitur, non cognitis inferioribus, est actus absolutus: sed per talem abstractionem fit vniversale logicum formaliter: ergo vniversale logicum formaliter fit per cognitionem absolutam. Prob. min. 1. Per contractionem naturę ad singularia fit singulari formaliter: ergo per abstractionem naturæ à singularibus fit vniversale formaliter. *Prob.* 2. eadem min. Natura abstracta per intellectum à singularibus habet in illo statu quidquid haberet, si à parte rei esset separata à singularibus, sed si à parte rei esset separata à singularibus, à parte rei esset vniversalis formaliter. *Prob.* 3. ex vi illius abstractionis natura est vna, & apta ad essendum in pluribus, siquidem nulli individuo est appropriata, sed est indifferens ad omnia: ergo ex vi illius est formaliter vniversalis.

335 *Confirm.* ex D. Thoma 1. p. quæst. 85. art. 2. ad 2. dicente, *ad esse abstractum sequitur in natura intentio vniversalitatis*: sed intentio vniversalitatis fit per actionem ad quā sequitur; ergo fit per actionem, qua natura abstrahitur à singularibus. *Vrgetur.* Posito fundamento proximo relationis, resultat absque nova actione relatio: sed posita naturæ abstractione, ponitur fundamentum proximum relationis, in qua consistit vniversale logicum: ergo seclusa alia actione, ponitur ex vi abstractionis vniversale logicum formaliter.

336 *Resp.* neg. min. ad eius 1. prob. disting. antec. per contractionem fit singulare *metaphisicè, & primò intentionaliter* conced. antec. *Logicè, & secundò intentionaliter* neg. antec. Singulare logicè, & secundò intentionaliter consistit in respectu

du, de subijcibilis per modum, inferioris ad naturam, & inde natura pariter constituitur in esse vniversalis logicè per respectum superioris ad singularia, vt ad inferiora, licet in esse vniversalis metaphisicè constituatur per abstractionem ab illis. *Ad 2*. prob. min. resp. neg. mai. quia si natura esset in re separata à singularibus diceret in re, seu haberet realem respectum ad singularia, quem rea em respectum nequit habere vt abstracta; respectum autem rationis nequit habere vsque quo ab intellectu per actionem comparativam fingatur. *Ad 3*. prob. disting. antec. est vna, & apta, *negativè*, idest, *non repugnans* conc. antec. *positivè*, neg. antec. primi generis indifferentia sufficit ad vniversale metaphisicum, ad vniversale verò logicum aptitudo positiva desideratur; quæ solutio constat ex dictis §. precedente.

337 *Ad confirm*. resp. explicando D. Thomam: ad esse abstractum: *sequitur immediatè, & quovis alio secluso*, intentio vniversalitas, neg. mai. *mediatè*, conced. mai. sequitur enim ad esse abstractum intentio vniversalitatis, sed mediante nova consideratione comparativa, quæ solutio constat etiam ex dictis in simili §. antecedente, & eam esse de mente D. Thomę colligitur apperte ex testimonijs supra adductis, vbi docet, vniversale fieri, dum intellectus comparat vnū alteri. *Ad id*, quo vrgetur argumentum, disting. mai. posito fundamento proximo, resultat statim relatio *realis* conced. mai. hæc enim naturali sequela consequitur fundamentum: relatio *rationis* neg. mai. nam hæc non fit, nisi ex vi cognitionis attingentis ipsam; vnde concessa min. neg. conseq.

338 *Quarta conclusio*. Vniversale Logicum non fit per actionem attingentem naturam cum respectu ad inferiora, vt ad terminum à quo abstracta fuit. Constat de mente D. Thomæ in 1. sent. dist. 2. quæst. 1. art. 3. vbi ait; *Ex hoc quod intellectus inteligit animal, vt in pluribus speciebus, attribuit ei intentionem generis*; ergo genus (idem de quolibet vniversali.) fit per actum quo natura intelligitur vt in multis, & non vt separata à multis. *Patet* etiam conclusio ex supra statutis. Vniversale quippe fit per actum, quo attingitur id, in quo formaliter consistit: sed non consistit formaliter vniversale logicum in respectu, quo natura respiciat multa, vt à quibus est abstracta, sed vt in quibus potest esse: ergo non fit per actum, quo cognoscatur respiciens multa, vt à quibus est abstracta, sed vt in quibus potest esse. *Nec obstat*, quod posito fundamento (vnitate scilicèt abstractionis) & termino, scilicèt singularibus, quæ cognoscuntur per talem abstractionem positivam, resultat relatio. *Nam* vt iam diximus, hoc est verum in entibus realibus, secus rationis, quæ cum consistant in cognosci, petunt, vt fiant, novam cognitionem.

339 *Si dicas*: Prædicabilitas est relatio rationis; & tamen fit sola cognitione fundamenti, scilicet vniversalis logici: ergo etiam relatio rationis non petit, vt fiat, actionem distinctam ab ea, qua ponitur fundamentum. Min. constat ex eo, quod vniversale logicum, hoc ipso, quod existat, est prædicabile de multis, cum hoc ipso quod existat, sit vnum in multis, & de multis: ergo cognitio effectiva vniversalitatis logicæ, efficit etiam prædicabilitatem.

340 *Resp.* neg. min. ad prob. resp. vniversale, hoc ipso quod existat, esse prædicabile, *remotè, & radicaliter*, secus *proximè*; quia hoc ipso, quod existat vniversale logicum, potest ab intellectu comparari ad multa, vt ad ea, de quibus prędicari potest; non est tamen proximè prædicabile, donec ad multa, vt de quibus prędicari potest illud actu comparet intellectus.

341 Vltima conclusio. *Vniversale logicum non fit per comparationem compositam, quæ est actualis affirmatio naturæ de inferioribus, sed per comparationem simplicem, quæ est apprehensio naturæ, vt aptæ ad existendum in pluribus.* Prob. comparatio composita est actualis prædicatio naturæ de inferioribus; sed actualis prædicatio naturæ de inferioribus supponit naturam vniversalem, ac per consequens eam non efficit: ergo comparatio composita non efficit naturam vniversalem. Prob. min. Quilibet actus supponit suam potentiam: ergo actualis prędicatio naturæ de inferioribus supponit naturam aptam, vt prędicetur de inferioribus, sed cum natura est apta, vt prædicetur de inferioribus, iam est logicè vniversalis, cū iam sit vna natura potens esse in multis, & prædicari de multis, in qua aptitudine vniversalitas, & inde prædicabilitas, consistit, iuxta superiùs dicta ergo actualis prędicatio supponit: naturam vniversalem.

342 *Ex hoc autem* pari ratione sequitur, quod vniversale logicum non fiat per comparationem discursivam: tùm quia prædicatio actualis, eo quod supponit vniversale, non efficit illud; sed discursus supponit prædicationem, ac proindè supponit vniversale: ergo non efficit illud. *Tùm*, quia ad discursum solum spectat comparare principia ad conclusiones: sed vniversale fit per comparationem naturæ ad inferiora, quæ alterius rationis est à prima comparatione: ergò discursus non efficit vniversale.

343 *Quoad 2. vero partem* prob. conclusio. Vniversale logicum fit per actum, quo natura cognoscitur vt apta ad existendum in pluribus, sed per simplicem apprehensionē cognoscitur natura apta, vt sit in pluribus: ergo per comparationē, quæ sit simplex apprehensio, fit vniversale logicum. Prob. min. Tùm quia de natura abstracta prędicamus aptitudinem, vt sit in pluribus: ergo apprehendimus eam aptam vt sit in pluribus. Patet conseq.

seq. cum iuditium nostrum præcedat simplex apprehensio, priùs enim apprehendit intellectus identitatem hominis cum animali, vt postea ferat sententiam per affirmationem, qua determinatè iudicat hominē esse animal. *Tùm* quia simplici apprehensione potest cognosci vnum cum habitudine ad aliud, vt cum apprehenditur Pater, cognoscitur enim comparatiuè ad filium: ergo simplici apprehensione cognoscitur natura cum habitudine ad inferiora. Videantur dicta in quæst. 2. art. vltimo.

344 *Obijcies*. Vniuersale logicum fit per actum, quo cognoscitur natura in pluribus: sed hic actus est comparatio composita: ergo fit per comparationem compositam. Prob. min. concipere naturam vt in pluribus est concipere naturam vt identificatam cum pluribus; sed hoc nequit cognosci nisi per comparationem compositam, enuntiationem scilicèt, quâ sola denotatur identitas naturæ cum pluribus: ergo. *Confirm.* facere vniuersale est cognoscere vnam in multis, & de multis: ergo per iuditium, & discursum potest fieri vniuersale.

345 *Possent* in primis omnittì præmissæ, & negari conseq. quia identitas actualis naturæ cum inferioribus non solum potest iudicari, sed simpliciter apprehendi, imò, vt à nobis iuditium feratur super illam, debet in simplici apprehensione precedere. *Sed pro veritate*, aliter resp. disting. mai. per actum quo natura cognoscitur in pluribus, *actu existens in illis* neg. mai. aptitudinaliter conced. mai. verum actus, quo natura cognoscitur apta ad essendum in pluribus, non est comparatio composita, sed simplex.

346 *Instas*. 1. Illo actu fit vniuersale, quo cognoscitur natura, vt superior, & simul inferiora, vt potè illius correlatiua: sed inferiora nequeunt cognosci, nisi cognoscantur vt includentia naturam, nam constituuntur per inclusionem naturæ: ergo natura fit per actum, quo cognoscitur natura actu inclusa in inferioribus. *Instas* 2. Nam per illum actum fit natura vniuersalis, per quem fit proximè capax prædicabilitatis: sed per actum, quo cognoscitur actu identificata cum pluribus, fit proximè capax vniuersalitatis, ideò enim proximè potest prædicari de multis, quia est identificata cum multis: ergo fit vniuersale per actum, quo natura cognoscitur identificata cum pluribus.

347 *Resp*. disting. mai. quo cognoscantur natura, vt superior, & simul inferiora, *vtrumque in recto*, neg. mai. *natura in recto, & inferiora in obliquo* conced. mai. & neg. min, quia licet inferiora constituantur phisicè per inclusionem naturæ, logicè tamen constituuntur per respectū subijcibilitatis ad naturam superiorem. *Ad 2. instantiam*, concessa mai. neg. min. quia sicut fundamentum proximum prædicationis est identitas prædicati cum sub-

subiecto, ita fundamentum proximum prædicabilitatis est aptitudo, vt prædicatum identificetur cum subiecto, quare natura fit proximè capax prædicabilitatis per actum, quo cognoscitur vt identificabilis cum pluribus, sive vt apta ad existendum in pluribus.

348 *Ad confirm.* principalis argumenti resp. disting. mai. facere vniversale est cognoscere *practicè* vnum in multis, & de multis, conced. mai. est cognoscere *speculativè* neg. mai. iuditium autem, & discursus attingunt speculativè vniversale, quia cum supponat ipsum factum, vel factibile, inde procedunt, vel ad affirmandum, vel ad probandum vniversalitatem competere naturæ; solum autem practicè cognoscuntur vniversalitas, cum in ipso exercitio comparatur natura ad inferiora, quod fit, dum apprehenditur cum habitudine superioris ad plura, vt ad sibi inferiora.

ART. VIII.

An vniversale servet in actuali prædicatione vniversalitatem?

349 HOc instituimus dubio illum, vt aptitudo vniversalis, quam hucusque explicuimus, plenius per suum actum innotescat; & licet primus actus sit contractio ad inferiora, quia tamen prædicatio est actus notior, & aliàs eadem militat ratio, ideò de prædicatione procedit dubium, in quo partem affirmantem tenent communiter Thomistæ, cum quibus sit.

350 Conclusio. *Vniversale retinet in actuali prædicatione vniversalitatem.* Prob. homo vt superior respectu Petri est vniversalis; sed in hac actuali prædicatione, *Petrus est homo*; prędicatur homo, vt superior respectu Petri: ergo vt vniversalis, & consequenter retinet in actuali prædicatione vniversalitatem. Prob. min. 1. in illa prædicatione prædicatur homo vt pręcisus à differentis, ita, vt nulla differentia individualis prædicetur de Petro, aliàs illa propositio non differret ab hac, *Petrus est Petrus*, vel ab hac, *Petrus est hic homo*. quod patet quàm sit falsum: sed homo, vt præcisus à differentijs individualibus est superior respectu Petri: ergo in illa prædicatione homo prędicatur vt superior respectu Petri. *Prob. 2. eadem min.* Illa prædicatio non est æquali de æqualis; ergo est superioris de inferiori. Patet conseq. & antec. ex eo constat, quia illa prædicatio non est singularis de singulari, aliàs non differet ab illis duabus propositionibus supra positis: sed hoc ipso non est æqualis de æquali; Petro enim, qui est singulare quoddam, solum singulare est æquale: ergo non est æqualis de æquali.

351 *Confirm.* vt prædicatio illa sit vera, sufficit, quod res; quę prędicatur, identificetur cum subiecto, nec requiritur, quod vt identificata, sive vt nullo modo distincta

ta prędicetur de subiecto: ergo in illa prædicatione *Petrus est homo*, prædicatur homo de Petro, vt ab illius differentia indiuiduali præcisus, ac proinde vt superior respectu Petri. Patet conseq. & antec. prob. quia prædicatum in propositione affirmativa attribuitur subiecto, & cum illo componitur, ex quo resultant in subiecto, & prædicato relationes talium, quibus se mutuo respiciunt: sed hæc omnia non cohærent cum eo, quod prædicatum non dicatur de subiecto, vt aliquomodo à subiecto distinctum: ergo sic dicitur, seu prędicatur de subiecto, vt aliquomodo scilicet ab ipso distinctum. Quod roboratur ex D. Thoma 1. p. q. 13. art. 12. in c. docet *quod in qualibet propositione affirmativa vera opportet, quod prædicatum, & subiectum significent idem secundum rem aliquomodo, & diversum secundum rationem*: & post pauca subdit: *Huic verò diversitati, quæ est secundum rationem correspondet pluralitas subiecti, & prædicati, identitatem vero rei significat intellectus per ipsam compositionem.*

352 *Obijcies* 1. in hac propositione *Petrus est homo*, homo attingitur, vt identificatus cum Petro, ergo non attingitur, vt communis pluribus. Patet conseq. quia natura identificata cum Petro est natura distincta ab ea, quę cum reliquis indiuiduis identificatur, ergo non est communis illis.

353 *Dist. antec.* Homo attingitur vt præcisè identificatus cum Petro nego ant. vt identificatus, & vt aliquomodo distinctus conc. antec. id enim, quod ex parte rei cognoscitur, & affirmatur est realis identitas hominis cum Petro, cũ tamen cōpositio sit distinctorũ vnio, necesse est extrema illa ex modo cognoscēdi attingi vt distincta per rationem, vt ex D. Thom. vidimus, quæst. proximè cit. 1. p. art. 12.

354 *Obijcies* 2. Natura communis dividitur in inferiora per cognitiones, per quas cognoscitur identificata cum illis; sed divisum non est in membris illo modo, quo erat in se ante divisionem: ergo natura, quæ ante divisionem erat in se vniversalis, amittit vniversalitatem per cognitionem repræsentantem eam, vt identificatam cum inferioribus.

355 *Dist. mai.* natura communis dividitur quoad rem cognitam materialiter sumptam, conc. mai. quoad rem cognitam formaliter sumptam neg. mai. & concessa minor. neg. conseq. natura communis materialiter sumpta est natura à parte rei multiplex, & divisa in inferioribus; natura vero formaliter communis est natura provt obiectivè præcisa, & provt sic non dividitur, dum cognoscitur, vt identificata cum eis; concipitur enim natura sic præcisa, modo compositivo, vt superior, vt determinabilis, & vt partibilis in inferiora tanquam in partes subiectivas, ac subinde cognoscitur taliter homo identificatus cum Petro, vt possit tota eius natura prædicari de Paulo, tota quidem formaliter, & obie-

iectiuè; licet materialiter solum prædicetur natura, quæ identificatur cum Petro.

356 *Denique obijcies.* In hoc complexo, *hic homo*, *ly homo* amittit vniuersalitatem ratione hæcceitatis expresse repræsentatæ per pro nomen *hic*: ergo in hac propositione, *Petrus est homo*, *ly homo* amittit vniuersalitatem ratione Petreitatis expresse repræsentatæ in subiecto.

357 *Resp.* quod si *ly hic homo* sumitur in vi termini incomplexi, est omninò singularis, quia partes non exercent ibi suam significationem, sed induunt nouam, eamque simplicem significationem: si tamen accipitur, vt terminus complexus, in quo partes seorsim significant, & se habent per modum determinantis, & determinabilis, *ly homo* seruat vniuersalitatem specificam, quia significat naturam distinctam ex modo concipiendi ab hæcceitate.

QVÆSTIO IV.

De prædicabilibus in communi.

1 TRactatus prædicabilium Author fuit Porphirius, Patria Tyrus, natione Phænix, professione primò Catholicus, deinde Apostata, & Christiani nominis hostis acerrimus, quo non obstante, SS. DD. & Patres libellum hunc commentarijs illustrarunt propter eius vtilitatem ad ordinandia prædicamenta, vnde idem Porphirius illum inscripsit *Is agoge ad Aristotelis cathegorias*, id est, introductionem, præuiamque doctrinam ad prædicamentorum notitiā valde necessariam.

ARTIC. I.

An prædicabilia sint tantùm quinque?

2 CVm prædicabilitas sit passio vniuersalitatis, nil aliud est prædicabile, quàm ipsum vniuersale vt potens prædicari de pluribus; vnde easdem conditiones, quas notauimus in quæst. præced. art. 1. requiri ad vniuersale, debet habere prædicabile, de quo agunt in præsenti Logici, videantur ibi, ne acta agamus. Nec rursus sermo est in præsenti de prædicabili pro substracto, id est, de natura, quæ denominatur prædicabilis; non enim inquiritur, an naturæ, quæ prædicantur, sint tantùm quinque, sed an sint quinque tantùm intentiones prædicabiliū, siue prædicabilia sumpta formaliter.

3 Sit conclusio. *Prædicabilia sunt tantùm quinque*, nimirum, Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens. Ita omnes AA. tàm antiqui, quàm recentes, qui diuisionem istam iudicant exactissimam, & prob. Prædicabilia differunt penes diuersos modos, quibus vniuersalia prædicantur, seu prædicari possunt de inferioribus: sed modi, quibus vni-

vniuersalia possunt prædicari de inferioribus, sunt tantùm quinque: ergo prædicabilia sunt tantùm quinque. Prob. min. Vniuersale solum potest prædicari de inferioribus, vel essentialiter, vel accidentaliter; si essentialiter, vel vt tota essentia inferioris, & sic est species; vel vt pars essentiæ, & si vt pars essentiæ, vel vt pars potentialis, & est genus, vel vt pars actualis, & est differentia: si verò prædicetur accidentaliter, vel prædicatur, vt accidens fluens ab essentia, necessariòque debitum subiecto, & est proprium, vel vt accidens purè contingenter adueniens, & est accidens commune: ergo modi, quibus vniuersale potest prædicari de inferioribus, sunt tantùm quinque, scilicèt, *vt genus, vt species, vt differentia, vt proprium, & vt accidens*.

4. *Contra* hanc conclusionem tot possunt argumenta confici quot postea difficultatem ingerunt in hoc, vel illo prædicabili; ne tamen eadem repetantur, solum obijcientur, quæ contra ipsam diuisionem videntur magis directè militare. *Obijcies* ergo 1. ad probandum prædicabilia esse plura quàm quinque. Tot sunt prædicabilia quot sunt prædicamenta: sed prædicamenta sunt decem: ergo, & prædicabilia. Mai. prob. *Tùm* quia tot sunt partes vniuersalis (ac proindè prædicabilia) quot sunt partes entis: sed partes entis sunt prædicamenta: ergo tot sunt prædicabilia quot prædicamenta. *Tùm* quia tot sunt prædicabilia quot sunt modi prædicandi: sed tot sunt modi prædicandi, quot sunt modi essendi, ac proindè quot sunt prædicamenta, quæ differunt penes diuersos modos essendi: ergo tot sunt prædicabilia, quot sunt prædicamenta.

5. *Resp.* neg. mai. Ad eius 1. prob. disting. mai. tot sunt partes vniuersalis *pro materiali*, quot sunt partes entis, conced. mai. *pro formali* neg. mai. & concessa min. neg. conseq. Quia partes vniuersalis pro materiali sunt naturæ, quæ denominantur vniuersales, & has fatemur esse tot, quot sunt prædicamenta; partes autem vniuersalis pro formali sunt intentiones prædicabilium, & istæ sunt tantùm quinque, licèt sint decem prædicamenta. *Ad 2. respond.* Quod tot sunt modi prædicandi, quot sunt modi essendi, non absolutè, sed per modum superioris in inferiori, quod quinque tantùm modis contingit.

6. *Obijcies* 2. Hæc prædicatio *Deus est homo* est prædicatio vniuersalis, & superioris de inferiori: & tamen non pertinet ad quatuor priora prędicabilia, cū nec essentialis, nec necessaria sit talis prædicatio, nec vlteriùs pertinet ad quintum prædicabile, cum humanitas vniatur Deo per se, & substantialiter, quo modo non vnitur cum subiecto accidens commune: ergo aliud prędicabile, præter

illa quinque, debet pro ea prædicatione assignari. *Confirm.* Si tres Personæ Diuinę assumerent tres humanitates, homo prædicaretur de qualibet illarum, vt vniuersalis, & superior: sed non prædicaretur vt genus, differentia, propriũ, aut accidens, vt ex se patet, nec aliàs pṛdicaretur vt species: ergo nõ prædicaretur vt prædicabile aliquod ex quinque assignatis. Prob. min. Species prædicatur de pluribus solo numero differentibus; sed tres Personæ Diuinæ non differunt solo numero, nam secundum D. Thom. quę carent materia, non possunt solo numero differre: ergo homo non pṛdicaretur tunc casus vt species de tribus diuinis Personis.

7 *Vrgetur.* Differentia subalterna, & infima constituunt duo prędicabilia differentiæ: ergo prædicabilia sunt plura, quàm quinque. Prob. antec. Quia ideo genus, & species constituunt duo prædicabilia diuersa, quia genus prædicatur de pluribus specie differentibus, species vero de differentibus solo numero: sed differentia subalterna, v. g. *sensibile* pṛdicatur de pluribus differentibus specie, de homine scilicèt, & equo, & differentia infima v. g. *rationale*, pṛdicatur de differentibus solo numero, de Petro scilicèt, & Paulo: ergo constituunt duo prędicabilia diuersa.

8 *Resp.* quod illa pṛdicatio *Deus est homo*, est prædicatio speciei, sicut illa, *Christus est homo*, quia supposita notitia Incarnationis, ly *Deus* non sumitur pro Deo absolutè, vt præcisè subsistit in Deitate, sed pro Deo, vt terminãte naturam humanam, & prout in ea subsistente; Deo autem vt subsistenti in natura humana, non accidentaliter, sed essentialiter conuenit humanitas, est enim Deus vniuocè nobiscum homo, de quo Theologi 3. p. q. 16. art. 1. *Quod si* ab his pro nunc præscindendo, aliter respondere placet, dices, cum alijs, quod sicut stat prædicatũ esse substantiã, & nihilominus contingenter prædicabiliter conuenire subiecto, vt videre est in hac prædicatione, *anulus est aureus*, ita in exẽplo argumenti, humanitas, quæ est natura substantialis, & media vnione substantiali vnita Deo, contingenter nihilominus prædicabiliter conuenit ipsi, quia liberè humanitatem assumpsit, ac proindè quod ea prædicatio absolutè spectat, quoad modum prædicandi, qui in præsenti præcipuè attenditur, ad quintum prædicabile, licèt res prædicata sit species substantialis media vnione substantiali conueniens simpliciter subiecto.

9 *Ad confirm.* neg. min. quoad vltimam partem: ad cuius prob. concessa mai. disting. min. Tres Personæ Diuinæ, *vt Personæ*, non differunt solo numero, conced. min. *vt indiuidua naturæ humanæ*, neg. min. essent enim in illo euentu tres homines solo numero distincti, licèt Personæ non differ-

rent solo numero; homo enim est nomen naturæ, & in eo euentu distinguerentur solo numero naturæ assumptæ, licèt personalitates, quas in recto importat ly *persona*, non differrent solo numero.

10 *Ad id*, quo argumentum vrgetur, neg. antec. ad eius prob. neg. causalem mai. Non enim ideo præcisè constituunt duo diuersa prædicabilia genus, & species, quia genus de specie differentibus, species vero de solo numero distinctis prædicetur; sed quia genus prædicatur *in quid incompletè*, vt pars potentialis essentiæ inferiorum, species autem prædicatur *in quid completè*, vt dicens scilicèt totam essentiam, qui modus diuersus variat identitatem, cum maiorem identitatem dicat tota essentia cum constituto per ipsam, quàm pars sola essentiæ; at quod de pluribus specie, vel solo numero differentibus prædicetur, identitatem non variat, nec enim est maior identitas Philosophiæ, quam albedinis, estò Philosophia solo numero distinctis conueniat, albedo vero conueniat specie etiam differentibus.

11 *Si dicas*. Diuersitas prædicabilium desumitur ex diuersitate termini, relatio enim prædicabilitatis est diuersa, cum terminus est diuersus: sed terminus, quem respicit differentia subalterna, scilicèt, inferiora specie distincta, est diuersus ab eo, quem respicit differentia infima, scilicèt inferiora solo numero distincta: ergo prædicabilia sunt distincta.

12 *Resp.* disting. mai. diuersitas prædicabilium desumitur ex diuersitate termini *formalis*, conced. mai. *materialis*, neg. mai. & sub eadem distinctione min. nego conseq. Terminus formalis differentiæ sunt inferiora, vt subijcibilia in quale essentialiter, & in hac ratione inferiora differentiæ subalternæ, & infimæ non differunt: quod autem prædicta inferiora sint species, vel indiuidua, est distinctio purè materialis cõparatiuè ad modum prædicabilitatis differentiæ, & sic non facit diuersa prædicabilia.

13 *Obijcies* 3. Ad probandum prædicabilia esse pauciora, quam quinque. Tot modis dicitur vnũ oppositorum, quot dicitur alterum, teste Arist. 1. topic. cap. 13. sed vniuersale, & particulare, seu superius, & inferius sunt opposita: ergo cum inferius duobus tãtum modis dicatur, nẽpè species, & indiuiduum, superius quoque erit tantùm duplex, scilicèt genus, & species. *Confirm.* 1. Tot sunt prędicabilia, quot sunt prædicata: sed Aristot. in 1. topic. cap. 4. quatuor tantùm numerat prędicata, scilicèt *genus, diffinitionem, proprium*, & *accidens*: ergo quatuor tantùm sunt prædicabilia.

14 *Confirm.* 2. Diuersitas prædicabilium sumitur ex diuerso modo prædicãdi: sed duo tantùm sunt modi prædicandi, scilicèt essen-

essentialiter, & accidentaliter: ergo duo tantùm sunt prædicabilia.

15 *Resp.* disting. mai. Tot modis dicitur vnum oppositorum, quot dicitur alterum, *si sumantur, vt formaliter opposita*, conced. mai. *si vt materialiter opposita*, neg. mai. at particularia formaliter sumpta sunt quinque, quia constituuntur per subijcibilitatem ad naturam superiorem, & sicut quinque modis potest superius prædicari de inferiori, ita potest quinque modis inferius subijci superiori. *Ad 1. confirm.* disting. mai. Tot sunt prædicabilia, quot sunt prædicata *Logica*, conced. mai. quot sunt prędicata *topica*, neg. mai. Prædicata topica sunt loca, ex quibus argumenta probabilia, seu topica formari possunt, & quia ad hunc finem eodem prorsus modo conducunt, species, diffinitio, & differentia, idcircò Aristot. qui prædicto loco sola prædicata topica numerauit, hæc tria sub sola diffinitione comprehendit.

16 *Ad 2. confirm.* concessa mai. disting. min. Duo tantum sunt, *in genere, vel in specie subalterna*, modi prædicandi, conced. min. *in specie infima*, neg. min. Quilibet ex illis modis prædicandi, essentialiter scilicèt, & accidentaliter, diuiditur in plures species infimas; vnde solùm sequitur, quod prædicabilia sint tantùm duo in specie subalterna, non vero, quod non sint quinque in specie infima.

17 *Instas.* Modi prædicandi intrinsecè, & extrinsecè, non constituunt duo prædicabilia in specie infima; vnde istæ prædicationis, *homo est visus, homo est albus*, ad idem quintum prædicabile pertinent: ergo nec modi prædicandi separabiliter, & inseparabiliter, constituunt duo prædicabilia accidentis, quartum scilicèt, & quintum. *Neg. conseq.* nam in primo exemplo, etsi sit diuersus modus denominationis, non tamen connexionis, æquè enim contingenter competunt album, & visum his, de quibus, vt superiora, prædicantur; at in proprio, & accidente communi modus connexionis est diuersus; cum connexio proprij cum subiecto sit necessaria, connexio vero accidentis sit contingens.

ARTIC. II.

An vniuersale sit genus ad quinque prædicabilia?

18 NAturas, quæ denominantur vniuersales, non esse species vnius generis, res est certa, cum inter eas numerentur substantia, & accidens, ens reale, & rationis, quibus secundum se inspectis nequit genus commune assignari. Procedit ergo dubium de vniuersali formaliter sumpto pro secunda intentione vniuersalis. In quo sensu sit nostra, communisque inter AA.

19 Conclusio. *Vniuersale est genus ad quinque prædicabilia.* Prob. Genus est, quod prædicatur vniuocè in quid de pluribus diffe-

rentibus specie.sed quinque prædicabilia differunt specie, & de eis prædicatur vniuersale in quid, & vniuocè: ergo est genus ad quinque prædicabilia.Min.quoad primam,& secundam partem est certa; nam prædicabilia habent modos prædicandi, & essendi in inferioribus, essentialiter distinctos,scilicèt, in quid, & in quale, necessariò,& contingenter, completè,& incompletè; sunt prætere a omnia prædicabilia pro formali essentialiter vniuersalia, quod enim essentialiter est vnum aptum prædicari de multis,essentialiter est vnum aptum esse in multis: ergo quinque prædicabilia differunt specie, & de eis vniuersale prædicatur in quid. Quod autē prædicetur vniuocè de omnibus,prob.Ratio,quam simpliciter participant inferiora, vniuocè prædicatur de illis: sed rationem vniuersalis participant simpliciter omnia prædicabilia, nam quodlibet ex illis est simpliciter vnum aptum esse in multis: ergo vniuersale prædicatur vniuocè de illis. *Quæ communis ratio* ex solutione obiectionum maiorem statim lucem accipiet.

20 *Obijcies* 1. Modus prædicandi essentialiter, & modus prædicandi accidentaliter, non conueniunt vniuocè: sed ex prædicabilibus quædam prædicantur accidentaliter, quædam essentialiter: ergo prædicabilia in ratione prædicabilium non conueniūt vniuocè, ac subindè vniuersale non est genus ad illa. Prob. mai. Quæ prædicantur essentialiter, sunt in inferioribus per se, quæ verò prædicantur accidentaliter, sunt in illis contingenter, & per accidens: sed modus essendi per se,& modus essendi per accidens non conueniunt vniuocè: ergo non conueniunt vniuocè modus prædicandi essentialiter, & modus prædicandi accidentaliter.

21 *Confirm.*1.Ad substantiam, & accidens nil datur commune vniuocum: sed quædam prædicabilia sunt substantiæ,& quædam sunt accidentia:ergo nil commune vniuocum potest dari ad omnia illa. *Confirmat.*2. Vniuersale est vnum potens identificari cum multis:sed accidens nequit identificari simpliciter,sed tantùm secundum quid, cum multis: ergo non est simpliciter, ac proinde, nec vniuocè,vniuersale.

22 *Resp.*neg.mai.Ad eius prob. concessa mai.disting.min.Modus essendi per se, & modus essendi per accidens non conueniunt vniuocè, *in essendo absolute*, conced. min.*in essendo per modum superioris in inferiori*, neg. min. & conseq. Etenim esse hominē est esse simpliciter,& per se,esse vero album est esse secundum quid,& per accidens; cæterum album simpliciter,& non minus,quàm homo, est potens esse per modum superioris in inferioribus, quia quod conuenit per accidens, æquè est aptum esse in inferioribus, quibus conuenit per accidens, ac illud,

lud, quod conuenit per se.

23 *Ad 1. confirm.* disting. mai. ad substantiam, & accidens *primò intentionaliter sumpta* nil potest dari commune vniuocum, conced. mai. secundò intētionaliter sumpta, neg. mai. & disting. min. quædam prædicabilia *pro substracto* sunt substantiæ, & quædam sunt accidentia, conced. min. *pro formali*, neg. min. & conseq. Pro formali omnia prædicabilia sunt accidens rationis, secunda scilicèt intentio vniuersalitatis, aut prædicabilitatis, in qua omnia conueniunt vniuocè, nam ita simpliciter est affirmatio, & prædicatio ea, in qua accidens dicitur de subiecto, sicut ea, in qua prædicatur substantia, licèt prædicatum, quod prima simpliciter affirmat, non sit simpliciter ens, sicut quod affirmat secunda.

24 *Ad 2. confirm.* concessa mai. disting. min. accidens, *in abstracto*, nequit simpliciter identificari cum multis, conc. min. *in concreto*, neg. min. nequit albedo idētificari cū subiecto, bene tamen album, quia album supponit pro subiecto habente albedinem, quod est idem cum substantia; quo circa non albedo, sed album, constituit quintum prædicabile.

25 *Instas.* Differentia proprissima, & communis non conueniunt vniuocè in ratione differentiæ, quia cum communis diuersificet accidētaliter, diuersificat secundum quid: sed accidens commune, cum prædicetur accidentaliter, prædicatur secūdum quid: ergo non conuenit vniuocè cum alijs prædicabilibus. *Concessa mai.* neg. min nam distinctio, seu differentia purè accidentalis, est distinctio secundum quid, cum relinquat intactam identitatem simpliciter talem; cæterum prædicatio accidentalis est simpliciter prædicatio, cum sit simpliciter affirmatio, estò quod affirmat, sit tale secundum quid.

26 *Obijcies 2.* Si vniuersale esset genus ad quinque prædicabilia, contineretur sub genere primo prædicabili, esset enim quoddam genus sub genere (quod est primum prædicabile) omnia genera comprehendente contētum: consequens est falsum: ergo, & illud ex quo sequitur. Prob. min. Superius non potest contineri sub inferiori, aliàs esset respectu eiusdem superius, & inferius; sed vniuersale est superius ad genus primum prædicabile: ergo nequit contineri sub genere primo prædicabili.

27 *Pro solutione* nota, quod cum intellectus noster sit reflexiuus supra suos actus, potest cognoscendo iterum rem à se prius cognitam, supra intentionem rationis factam ex vi primæ cognitionis fundare aliam, quarum prima, etsi sit secunda intentio, dicitur prima relate ad secundam, seu posteriorem, v.g. in exēplo argumenti; postquam intellectus cognoscit naturam genericam comparatiue ad species, & spe-

speciem comparatiue ad indiuidua, vnique tribuit secundam intentionem generis,&alteri secundam intentionem speciei; postea abstrahit ab illis rationem communem vniuersalis, in qua conueniunt, & hanc communem rationem vniuersalis superiorē ad illa denominat genus per aliam secundam intentionem genereitatis superadditam priori intentioni vniuersalitatis: vnde quod prius erat vniuersale est postea denominatiue, & accidentaliter genus, quia secunda intentio posterior accidit priori; sicut licèt homo sit homo, & sit species, essentialiter tamen est homo, & accidentaliter est species, quia secūda intentio speciei accidit ipsi.

28 *Ex his infertur* 1. quod licèt omnia prædicabilia differant inter se, quia alterum est species, alterum genus, alterum differentia, &c. omnia tamen conueniunt in eo, quod sint quædam species vniuersalis sub ipso, vt subgenere contentæ, & sic ipsum genus primum prædicabile, quod pro formali est essentialiter genus relatè ad hanc, & illam speciem sibi inferiorem, est accidentaliter, & denominatiue species relatè ad vniuersale: Imò secundum prædicabile speciei, quod relatè ad indiuidua est essentialiter species prædicabilis, est accidentaliter species quædam vniuersalis relatè ad suum genus, scilicèt vniuersale.

29 *Infertur* 2. quod cum in hac superadditione secundarum intentionum, prima se habeat, velut essentialiter, & secunda posteriùs adueniens se habeat accidētaliter, non est necessum, quod quæ accidentaliter conuenit rationi superiori, conueniat etiā inferioribus sub illa contentis v. g. in casu argumenti non valet, *species secundū prædicabile est vniuersale, sed vniuersale est genus, ergo species secundum prædicabile est genus*; sicut non valet ista, *homo est species, Petrus est homo, ergo Petrus est species*, nam ratio speciei respectu hominis, & secunda intentio generis respectu vniuersalis est quid accidentaliter adueniens ipsis ratione abstractionis, & superioritatis ad sua inferiora, ac proindè ad inferiora non descendens.

30 *Infertur* denique, quod in huiusmodi secundis intētionibus possunt concreta prædicari de abstractis, vnde hæc propositio est vera, *specieitas est species*, quia ipsum abstractū specieitatis potest esse substractum secundæ intentionis speciei superadditæ relatè ad vniuersale; & similiter est vera hæc, *genereitas est species*, quia secūda intentio generis est substractū denominatum à secunda intentione speciei in ordine ad vniuersale. *Alia* plura possunt ex his colligi pro plurimis diluēdis sophismatibus, quæ ex reflexione in infinitum harum secundarum intentionum formari possunt, sed sufficiant dicta pro captu incipientium.

Ex

31 *Ex his* ad argumentum facilis est solutio; nam disting. mai. contineretur *essentialiter* sub genere primo prædicabili, neg. mai. *accidentaliter, & denominatiue* conced. mai. nam sicut animal, quod prædicatur in quid de pluribus differentibus specie, est essentialiter animal, & solum denominatiuè est genus sub genere primo prædicabili contentum; ita vniuersale, quod in quid dicitur de prædicabilibus differentibus specie, essentialiter est vniuersale, & solum accidentaliter est genus contentum sub genere primo prædicabili; vnde non inconuenit, quod superius contineatur accidentaliter sub inferiori, sicut nec quod idem secundum diuersas considerationes, seu secundas intentiones sit superius, & inferius, vt patet ex prænotatis.

32 *Instas* 1. Quia animal est superius ad hominem, nec accidentaliter potest sub homine cōtineri: ergo si vniuersale continetur accidentaliter sub primo prædicabili, non est genus ad illud. *Instas* 2. Vniuersale, vt genus, est superius ad omnia prædicabilia, ac proindè ad primum prædicabile: sed vt genus est inferius ad primum prædicabile: ergo secundum eandem rationem, & respectu eiusdem est superius, & inferius.

33 *Instas* 3. Vniuersale accidentaliter est genus: sed genus est vniuersale: ergo vniuersale est accidentaliter vniuersale: ergo vel non est essentialiter vniuersale, vel nō est accidētaliter genus. *Denique*: Species diuisiuæ alicuius generis nō possunt ad inuicem prædicari, album enim non est accidētaliter nigrum, nec è contra: sed si vniuersale esset genus ad quinque prædicabilia, species diuisiuæ vniuersalis prædicarentur ad inuicem, genus enim esset species, & aliqua species esset genus: ergo vniuersale, nec accidentaliter, est genus.

34 *Resp. ad* 1. Instantiam dist. antec. ideo *præcisè*, quia animal est superius ad hominem, nequit accidentaliter sub homine contineri, neg. anteced. Ideo, *& quia nec animal, nec secunda intentio generis continentur sub homine*, conced. anteced. Cæterum licèt vniuersale non contineatur secundum se sub genere, continetur sub genere secunda intentio generis, à qua vniuersale denominatur accidentaliter genus, q[u]o circa potest vniuersale contineri accidentaliter sub genere. *Ad* 2. *instantiam* resp. quod vniuersale, vt genus, est superius ad primum prędicabile, ly *vt* dicente conditionem, vt vniuersalitas sit superior, non tamen dicente rem, quæ est superior, nam genereitas non est res, quæ est superior, hæc enim est vniuersalitas, posità genereitate, vt conditione: similiter vniuersale è conuerso est inferius, *vt genus*, ly *vt* denotante rem, quę est inferior, nam genereitas, à qua vniuersale denominatur, est, quæ con-

continetur, vt interior, sub genere primo prædicabili omnia genera comprehendente, vnde non est idem, nec eodẽ modo sumptum, quod est superius, & inferius.

35 *Ad 3. instantiam* conced. primam conseq. sed ex qua non infertur secunda, quia vniuersale est vniuersale essentialiter per semetipsum, & simul est accidentaliter vniuersale per intentionem superadditam generis. Sicut in sententia eorum, qui tenent vnum Patrem esse alteri similem per relationem similitudinis distinctam à paternitate, Pater est per se, & per aliud relatiuus; ita vniuersale, quod per se est vniuersale, est etiam per secundam intentionem generis superadditam, ac proindè accidentaliter, vniuersale.

36 *Ad vltimam* instantiam disting. mai. Species diuisiuæ generis, *si sint species substantiales*, non possunt ad inuicem prædicari, cõced. mai. *Species accidentales*, neg. mai. Potentia quippè, & habitus sunt species diuisiuæ qualitatis, & tamen vna de altera prædicatur, intellectus enim est sciens. Similiter relatio fundata in actione, & fundata in vnitate sunt species relationis, & vna de altera prædicatur, vt cum dicitur, vnus Pater est similis alteri: album autem, & nigrum, nõ ideò, non prędicantur ad inuicem, quia species sint diuisiuæ eiusdem generis, sed ob specialem oppositionem inter albedinem, & nigredinem, propter quam in eodem subiecto non cohærent.

37 *Objicies* 3. Genus non transcendit differentias: sed vniuersale transcendit differentias, quia differentiæ sunt vniuersales: ergo vniuersale non est genus. *Resp.* Quod differentia vnius vniuersalis ab alio est essentialiter, & per se ipsam differentia, qua vnum differt ab alio, est tamen accidentaliter, & per secundam intentionem superadditam vniuersalis, quatenus intellectus per actum reflexum comparat illam rationem differentiæ ad sibi inferiora, & sic ei tribuit secundam intentionem vniuersalis; vnde vniuersale non transcendit differentias pædicabilium, vt sunt illorum differentiæ, quibus inter se differunt.

38 *Denique obijcies.* Vniuersale est accidens quintum prædicabile, cum sit accidens rationis: ergo non est genus. *Disting.* anteced. Est accidens quintum prædicabile, *comparatiuè ad hoc, & illud subiectum*, conced. antec. *comparatiuè ad hoc, & illud vniuersale*, neg. anteced. nam sicut coloratum est accidens hominis, & equi, & tamen est essentia albi, & nigri; ita vniuersale est accidens naturæ sensitiuæ, vel spiritualis, est tamen de essentia generis, & speciei.

QVÆS-

QVÆSTIO V.

De genere, specie, & indiuiduo.

1 DEscendimus ad prædicabilia in particulari, inter quæ primò occurrunt genus, species, & indiuiduum, eaque omnia sub eadem comprehendimus quæstione, quia species sunt correlatiua generis, & indiuidua speciei, correlatiua autem sunt simul natura, & cognitione.

ARTIC. I.

An diffinitio generis sit bona?

2 OMissis varijs acceptionibus generis, vt ad præsens spectat, diffinitur à Porphirio, *quod prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quodquid*, quam diffinitionem esse exactam probat communis Scholasticorum consensus; & præterea probatur, quia constat genere, & differentia: ergo est bona. Prob. antec. singulas ejus partes euoluēdo.

3 Particula *prædicatur de pluribus* ponitur loco generis, nam in hoc quod est prædicari de pluribus, omnia prædicabilia conueniunt; & cum id, quod prædicatur de pluribus sit vniuersale, quod in omnium prædicabilium diffinitione sub Intelligitur, ly *prædicari de pluribus* accipitur ita, vt supponat conditiones, quas supra diximus requiri ad rationem vniuersalis. Reliquæ particulæ ponuntur loco differentiæ, nam per eas differt genus à reliquis prædicabilibus: per particulam *de pluribus differentibus specie* differt à specie, quæ est secundum prædicabile, nam species prædicatur de solo numero differentibus; & tali particula denotatur genus prædicari, vt partem essentiæ, & non vt totam essentiam, quia pluribus specie differentibus nequit esse communis tota essentia, vndè propriè denotatur, quod genus prædicatur in quid incompletè, vt pars scilicèt determinabilis per differentias ad singulas species, in quo stat potissimè discrimen ab specie; nam per hoc præcisè, quod inferiora differant numero, vel specie, non habetur diuersitas prædicabilium essentialis iuxta dicta in quæst. præced. art. 1. num. 10.

4 Per particulam *in eo quodquid*, differt ab alijs tribus prædicabilibus, *differentia* scilicèt, *proprio*, & *accidente*; ab his duobus, quia prædicantur *in quale* etiam ex parte rei prædicatæ; à differentia vero, quia prædicatur *in quale* ex parte modi prædicandi. *Pro cuius* intelligentia obserua, *quid* significare essentiam, & substantiam, *quale* vero significare accidens qualificans, & determinans; vnde illud prædicatur *in quid* ex parte rei prædicatæ, quod prædicat rē, quæ est de essentia subiecti; illud autem prædicatur ex parte rei prædicatæ *in quale*, quod prædicat rem,

rem, quæ est accidens qualificans subiectum, & extra essentiam illius. Hinc si genus compares cum proprio, & accidente, inuenies ab illis differre per prædicari *in quid*, quia tàm proprium, quàm accidens, dicunt aliquid, quod est extra essentiam subiecti, genus vero dicit partem essentiæ illius. Prædicari autem *in quid* ex parte modi est prædicari substantiuè, per modum scilicèt per se stantis, & ita vt per illud prædicatum possimus respondere quæstioni *quid est*; vnde è conuerso prædicari *in quale* ex parte modi est prædicari adiectiuè, seu per modum alteri adiacentis, & ita, vt per illud prędicatum possimus respondere quæstioni *qualis sit res*.

Hinc si genus cum differentia compares, inuenies etiam ab ea in ratione prædicabilis distingui, quia genus, animal v. g. prædicatur *in quid* etiam ex parte modi, quia prædicatur substantiuè, & ita, vt interroganti, quid sit homo, aut equus, possimus respondere, *est animal*; differentia vero, & si ex parte rei prædicatæ prædicetur *in quid*, v.g. rationale, quia est de essentia subiecti, ex modo nihilominus prædicandi prædicatur *in quale*, quia prædicatur adiectiuè, & ita, vt interroganti, qualis sit homo, rectè respondeamus, *est rationalis*. Ex quo colligitur, quod genus tàm ex parte rei, quā ex parte modi prædicatur *in quid*, per quod distinguitur, & à proprio, accidenteque communi, quæ tàm ex parte rei, quàm ex parte modi prædicantur *in quale*, & à differentia, quæ ex parte modi prædicatur *in quale*, & si ex parte rei prædicetur *in quid*.

5 *Obijcies* 1. ad probandum, quod genus in communi nō possit diffiniri: Solum potest diffiniri, quod constat genere, & differentia: sed sola species constat genere, & differentia: ergo sola species potest diffiniri, ac proindè nequit diffiniri genus. *Confirm.* 1. Genera suprema, quia suprema, non possunt diffiniri: sed genus, vt genus, est superius ad suprema genera: ergo multo minus potest diffiniri genus, vt genus. *Confirm.* 2. Si genus posset diffiniri, diffiniretur per se ipsum, cum quæuis diffinitio debeat constare genere, & differentia: sed nequit per se ipsum diffiniri, quia diffinitum non debet ingredi diffinitionem: ergo nequit diffiniri.

6 *Resp.* concessis præmissis, disting. conseq. sola species, *quæ, vel essentialiter, vel denominatiuè sit species*, potest diffiniri, conced. cōseq. quæ essentialiter præcisè sit species neg. conseq. genus autem est denominatiuè species, & sic potest diffiniri, sicut potest diffiniri homo, qui denominatiuè tantùm est species.

7 *Ad* 1. *confirm.* resp. Quod genera suprema pro materiali, id est, res, quæ denominantur genera suprema, nequeunt diffiniri, quia cum sint suprema, genere nō constant, at possunt diffiniri pro for-

formali, ratione scilicèt secundę intentionis, à qua denominantur genera: genus ergo, quod in pręsenti diffinitur, non est superius ad genera suprema pro materiali, sed solum pro formali, vnde ex quo genera suprema non possint primò intentionaliter sumpta diffiniri, male infertur, quod genus, vt genus, scilicèt secunda intentio generis, non possit diffiniri. *Ad 2.confirm.* Resp. quod genus diffinitur per vniuersale, quod in diffinitione obtinet rationem generis, vnde vniuersale ingreditur signatè, ratio autem generis exercitè, & non inconuenit, quod genus diffiniatur per se ipsum exercitè, & si non debeat diffiniri per se ipsum signatè: Sicut cum diffinitur per animal, vt genus, animal ingreditur diffinitionem signatè, genereitas autem animalis non nisi concomitanter, & in exercitio intrat diffinitionem.

8 *Obijcies 2.* contra ipsam diffinitionē. Genera suprema prędicantur de differentibus genere, vt substantia prędicatur de spirituali, & corporea, quæ genere differunt: ergo genus non solum prædicatur de differentibus specie. *Confirm.* Genus prędicatur etiam, vt genus de indiuiduis, quæ solo numero differunt, vt animal de Petro, & Paulo: ergo idem quod prius.

9 *Resp. dist. antec.* Genera suprema prædicantur de pluribus differentibus genere, *vt differunt genere,* neg. antec. *vt differunt specie subalterna,* cōc. antec. Spirituale enim, & corporeum sunt genera diuersa cōparatiuè ad inferiora, sunt vero species subalternæ, vt comparantur ad suum genus, nempè ad substantiā, quę prędicatur de ipsis vt sunt species subijcibiles ipsi, vt generi. *Ad confirm.* dist. antec. Genus prædicatur *mediatè* de indiuiduis, conc. antec. *immediatè*, neg. antec. nec debuit exprimi ordo ad indiuidua in diffinitione generis; *tùm*, quia relatio generis est per se, & specificatiuè in ordine solum ad terminū immediatum. *Tùm* quia implicitè continetur in illa particula *differentibus specie*, quod enim prædicatur essentialiter de specie, vt pars illius; necessarium est prędicari de indiuiduis, vt pars essentialis eorum, cum species sit tota essentia indiuidui.

10 *Dices.* Dātur indiuidua, de quibus genus prędicatur immediatè, indiuidua scilicèt incompleta, seu generica, vt cū animal prędicatur de hoc, & illo animali: ergo terminus, quem immediatè respicit genus, non sunt tantùm species.

11 *Pro solutione,* & ne eadem dubia bis examinentur, nota, quod licèt genus, animal v.g. non indiuiduetur, nisi mediante speciei, intellectus tamen potest concipere animal vt indiuiduatum, quin concipiat differētiam intermediā speciei; quia nec de essentia animalis, nec huius animalis, vt talis, est aliqua differentia specifica, vnde eadem indiuiduatio,

quæ

quæ indiuiduat animal mediante specie, potest concipi vt immediatè afficiens, & indiuiduans animal, quæ est doctrina D. Thomæ opusc. 55. dicentis: *Intellectus apprehendit formam genericam uniuersalem in hoc indiuiduo, antequam deueniamus ad formam hominis, vel alterius speciei.*

12 *Hoc supposito*, resp. quod genus prædicatur de indiuiduis genericis, animal v.g. de hoc, & illo animali, prędicatione speciei, quia proprium speciei est quod prædicetur dicendo totam essentiam illius, de quo prædicatur, animal autem dicit totam essentiam huius animalis; ita enim cōparatur animal ad hoc, & illud animal, sicut homo ad hunc, & illum hominem. *Nec ob est*, quod talis species comparatiuè ad hoc, & illud animal, nec est species subalterna, nec infima; *nam* ratio subalternæ, vel infimæ conuenit speciei per ordinē ad indiuidua metaphisicè completa, secus per ordinem ad incompleta; per ordinem tamen ad illa prædicatur, vt species, quia prædicatur, vt dicens totam illorum essentiam, in quo stat quidditas secundi prædicabilis speciei.

13 *Obijcies 3.* Differentia subalterna prædicatur de pluribus differentibus specie, & prædicatur *in quid*, cum prædicetur essentialiter: ergo diffinitio conuenit alijs à genere. *Confirm.* Genus differt ab specie in modo prędicandi: sed diffinitio non explicat differentiam generis à specie in modo prædicādi, cum per prædicari *in quid* conueniat cum specie: ergo diffinitio non est bona. *Vrgetur.* Genus prędicatur de speciebus, vt subijcibilibus; sed species, vt subijcibiles, solo numero differunt: ergo non prædicatur de pluribus differentibus specie.

14 *Resp.* Quod differentia subalterna prędicatur *in quid*, essentialiter ex parte rei prædicatæ, ex parte tamen modi prędicādi prędicatur *in quale*. *Ad 1. confirm.* concessa mai. neg. min. nam diffinitio per ly prædicari *in quid de pluribus differentibus specie* explicat, quod prædicetur, vt pars potentialis essentiæ, & non vt tota essentia, in quo consistit proprius modus prędicandi speciei. *Nec ob est*, quod genus est secunda substantia, & secunda substantia significat iuxta Arist. in cap. de substantia *in quale quid*, ac proindè genus prędicabitur *in quale quid*. *Nam* ideo secunda substantia dicitur significare *in quale quid*, quia in propositione, in qua secunda substantia dicitur de prima, cum secunda substantia sit prædicatum, se habet, vt determinatio subiecti, hoc enim est proprium prędicati, vt prædicati; quod non obstat, vt ipsa prędicetur in quid, cum prædicetur substantiuè.

15 *Ad id*, quo vrgetur argumentum, disting. mai. Genus prędicatur de speciebus, vt subijcibilibus, ly *vt dicente res, de quibus prædicatur*, neg. mai. *dicente conditionem*,

nem, vt de eis genus prædicetur, conced. mai. & disting. min. Species, vt subijcibiles solo numero differunt, id est, *res, quæ subijciuntur*, solo numero differunt, nego min. *intentiones ipsæ subijcibilitatis*, conced. min. & neg. conseq. nam animal, quod est genus, prædicatur de homine, & equo, vt subijcibilibus, ita, vt homo, & equus, qui specie differunt, sint res, de quibus prædicetur, intentiones vero subijcibilitatis sint pura conditio, vt de ipsis prædicetur.

ARTIC. II.

Quod sit diffinitum in diffinitione generis?

16 IN *quolibet* concreto accidentali duo importantur, subiectum scilicèt, siue substractum, & forma; vnde in hoc concreto *genus* importatur natura, quæ denominatur genus, & secunda intentio generis, cui natura substernitur, & à qua genus denominatur. Certum debet esse, quod natura secundum se inspecta non est diffinitum huius diffinitionis. *Tùm* quia diffinitum est genus, & natura secundum se inspecta non est genus. *Tùm* quia diffinitum est id, cuius essentiam explicat diffinitio, & diffinitio hęc non explicat essentiam rei, quę denominatur genus, secundum se sumptæ: *Imò* secundum se sumpta nequit vnica diffinitione diffiniri, cum res, quę denominatur genus, modo sit substantia, modo accidens, aliquando sit ens reale, & sæpè sit ens rationis, quę omnia secundum se sumpta nequeunt vnica diffinitione diffiniri.

17 *Similiter* est certum, quod diffinitum huius diffinitionis non est secunda intentio generis abstractè, & secundum se sumpta; quia diffinitio debet aliquomodo conuenire diffinito, & hęc diffinitio nullo modo conuenit secundę intentioni secundum se sumptæ, genereitas quippè seorsim à subiecto, nec *vt quod*, nec *vt quo* prędicatur de pluribus differentibus specie *in quid*. Deuoluitur ergo difficultas ad naturam, & secundam intentionem, vt componunt hoc concretum *genus*: sed cum prout sic possint tripliciter considerari natura, & secunda intentio; scilicèt, vel vtraque in recto, vel natura in recto, & secunda intentio de connotato, vel tãdem è contra, secunda intentio in recto, & natura de connotato, quo triplici modo potest resolui quæstio; ideo alij tenent diffinitum esse aggregatum dicens in recto naturam, & secundam intentionem; alij esse naturam, vt connotantem secundam intentionem, ita, vt natura diffiniatur in recto, & secunda intentio in obliquo; alij denique sentiunt, quod secunda intentio est diffinitum formale, & per se, ita, vt ipsa sit, quę diffinitur in recto, natura vero de connotato, quam vltimam sententiam post Caiet. amplectuntur fre-

frequentiùs nostri, quibus consentiunt Scotistæ apud Merinero, cap. 2. de genere, quæst. 1. cum quibus conclusio sit.

§. I.

Diffinitum formale quod in diffinitione generis est secunda intentio inconcreto, siue, vt connotans naturam.

18 Prob. *ratione*. Diffinitum formale quod in diffinitione generis est id, cuius essentia per eam innotescit; est enim diffinitio *oratio explicans essentiam rei*, id est, diffiniti: sed per hanc diffinitionem solum explicatur essentia genereitatis connotantis naturam, in qua genereitas exercetur: ergo sola genereitas, seu secunda intentio genereitatis connotantis naturam est diffinitum formale *quod* diffinitionis generis. Min. cum exclusiua sit, & faciat hunc sensum; *secundæ intentionis essentiam explicat, & nullius alterius explicat essentiam*, habet duas partes probandas: prob. ergo contra alias sententias, quod alterius essentiam non explicet. Diffinitio generis nullo modo explicat essentiam rei, quæ substernitur genereitati: ergo nullius alterius à secunda intentione essentiam explicat. Patet conseq. cum in hoc concreto genus, quod supponitur diffiniri, nil aliud sit, quàm res, quæ substernitur secundæ intentioni, & ipsa secunda intentio. Anteced. autem prob. nam explicare essentiam rei, quæ substernitur genereitati, est exprimere in quo consistat, seu quid sit res, quæ substernitur genereitati: sed diffinitio nullo modo explicat quid sit res, quæ substernitur genereitati, sed quem effectum exerceat in illa genereitas: ergo nullo modo explicat essentiam rei, quæ substernitur genereitati.

19 *Dices* 1. quod vt subiectum, seu substractum importetur in recto simul cum ipsa secunda intentione, non requiritur, quod diffinitio exprimat diffinitiuè, quid sit subiectum, sed sufficit, quod ibi in confuso importatum sit id, de quo verificatur diffinitio; diffinitio autem generis solum verificatur de substracto, natura enim, & non secunda intentio, est quæ prædicatur de pluribus. Et idem dicendum de diffinitione cuiuslibet concreti accidentalis; eadem est enim ratio de cuiuslibet diffinitione, ac de diffinitione generis.

20 *Dices* 2. quod diffinitio non explicat essentiam substracti absolutè sumpti, bene tamen vt substracti, & reduplicatiue, vt substat secundæ intentioni, quod sufficit, vt sit diffinitum quod diffinitionis, cum aliàs sit id, pro quo supponit, & de quo verificatur diffinitio.

21 *Sed contra* 1. solutionem obstat. Nam illud quod est in recto diffinitum alicuius diffinitionis debet per ipsam diffinitionem inno-

innotescere, & explicari, est enim diffinitum, cuius essentia per diffinitionem exprimitur: sed diffinitio generis non explicat quid sit natura, quæ genereitati substernitur: ergo natura, quæ genereitati substernitur, non est in recto diffinitum illius diffinitionis. *Explicatur*. Licèt in pluribus diffinitionibus rerum, quæ dicunt respectum, ad aliud, seu aliud connotant, ponatur illud aliud, quod connotant, vt in diffinitione scientiæ ponitur scibile, & in diffinitione potentiæ, & habitus eorũ obiectum, quia tamen illud aliud non est, cuius essentia per diffinitionẽ exprimitur, non est diffinitum talium diffinitionum, vnde nec scibile est diffinitum in diffinitione scientiæ, nec obiectũ in diffinitione potẽtiæ, & habitus: sed per diffinitionẽ concreti *accidentalis*, non exprimitur essentia substracti, sed solum ponitur, & importatur, vt id, in quo suum effectum formalẽ exercet forma, quæ per diffinitionem exprimitur: ergo in diffinitione concreti accidentalis substractum non est diffinitum.

22 *Confirm*. Vel substractum diffinitur secundum aliquid, quod ex se habeat, vt distinctum à forma, vel solum diffinitur vt præcisè substat formæ, & vnicè secundum effectum formalem, quẽ habet ab illa: Primum est falsum; ex secundo autem infertur, quod non sit diffinitum aggregatum dicẽs in recto substractum, & formam: ergo aggregatum dicens in recto naturam, & secundam intentionem non est diffinitũ. Min. quoad 2. partem videtur certa, nã esse diffinitum substractum, præcisè vt substat formæ & secũdum effectum, quẽ habet ab illa, est diffiniri purè ratione formæ: ac proinde nullo modo ratione sui: sed esse diffinitum in recto simul cum forma est ipsum per se, & ratione etiã sui diffiniri: ergo si precisè vt substans formæ diffinitur substractum, ipsum simul cum forma non est in recto diffinitum.

23 *Quoad secundam* vero partem prob. min. *Tùm* ex dictis; nam diffinitio non explicat quid sit secundum se substractum; aut in quo consistat, vt distinctum à forma: ergo substractum non est diffinitum secundum ea, quæ ipsi ex se conueniunt, vt à forma distincto. *Tùm* quia diffinitio generis, & cuiuslibet concreti accidentalis, est vnica, & simplex diffinitio: sed si explicaret, quid vtraque pars ex se habeat, seu quid sit vtraque pars, non esset vnica diffinitio, sed plures, vtpotè plures quidditates diuersas explanans, & cum ipsis, vt pluribus, & diuersis, adæquata: ergo nõ est diffinitum aggregatum, vt dicens in recto vtramque partem.

24 *Vrgetur*. Aggregatum, vt dicens in recto vtramque partem est ens per accidens: sed ens per accidens nõ est vnica diffinitione diffinibile: ergo diffinitũ in diffinitione concreti accidentalis, qui

vnica diffinitione diffinitur, non est aggregatum dicens in recto vtramque partem. Mai. videtur certa; nam ens per accidens dicitur, quod constat pluribus quidditatibus ad diuersa prædicamenta pertinentibus, ex talibus enim nequit vnũ per se resultare: sed aggregatum, prout dicens in recto vtramque partẽ, dicit plures quidditates ad diuersa prædicamenta pertinentes, cum dicat substantiã, & accidens: ergo est ens per accidens. Min. autem prob. *tùm* ex D. Thomæ, & Philosopho 7. metaph. asserentibus, quod ens per accidẽs nequit diffiniri; *tùm* quia diffinitio simpliciter talis, quæ scillicèt, est vna simpliciter diffinitio, vnico constat genere, vnicaque differentia; sed ens per accidens, cũ pluribus, diuersorumque prædicamentorum rebus constet, non gaudet vnico genere, vnicaque differentia, sed pluribus, & omninò diuersis: ergo nequit vnica diffinitione diffiniri.

25 *Nec valet*, quod aggregatum non dicit ex æquo, & disparatè vtramque partem, & si vtrãque in recto dicat; dicit enim partes, vt ordinatas, & ex quibus vt accidentaliter vnitis per modum potentiæ, & actus, aggregatum resultat.

26 *Nam ex dictis* præcluditur solutio: iuxta ipsius enim doctrinam aggregatum non diffinitur vt dicit in recto ordinem partium, aut compositionem, ipsasque partes in obliquo, sed vt dicit in recto vtramque partem: sed vt dicens in recto vtramque partem est ens per accidens, quod nequit vnica diffinitione diffiniri, cum prout sic dicat in recto plures quidditates ad diuersa prædicamenta pertinentes: ergo prout dicens in recto vtrãque partem nequit vnica diffinitione diffiniri. *Explicatur*. Licèt aggregatũ illud pro formali sit vnum per se, quia forma est vna, similiterque ordo, aut cõpositio suarum partium habeat vnitatem, partes tamen, vt in recto cõsideratæ, sunt plures quidditates cõpletæ, quarum quælibet pertinet ad diuersum prædicamẽtum: sed iuxta sententiam oppositam non est diffinitum, nisi vt dicens in recto vtramque partẽ: ergo non est diffinitum aggregatũ, nisi vt dicens plures quidditates cõpletas, quarũ quælibet ad diuersum prædicamentum pertinet: sed prout sic est ens per accidens vnica diffinitione non diffinibile: ergo non est diffinibile vnica diffinitione, vt dicens in recto vtramque partem.

27 *Contra secundã* autem solutionem principalẽ assignatam num. 20. obstat: nam natura reduplicatiuè vt substans generalitati, ita diffinitur, vt diffinitio nil exprimat proprium naturæ, vt distinctæ à secunda intẽtione: ergo ita diffinitur, vt substãs, quod natura nullo modo sit diffinitum, id enim, cuius essentiam non explicat diffinitio, nõ est diffinitum illius. *Explicatur*. Licèt in diffinitione albi ponatur cor-

corpus, tamquam id, in quo exercetur effectus formalis albedinis, scilicèt, disgregare visum, tamen nil propriū corporis, vt ab albedine distincti, explicat diffinitio, per hāc enim diffinitionem, *corpus disgregatiuū visus*, omnino latet quid sit corpus: sed vt corpus dicatur diffinitum, ita debet explicari per diffinitionem, vt subſtans albedini, quod aliquomodo innotescat per illam quid sit corpus, alias, si solius albedinis essentiam explicat, sola albedo est diffinitum: ergo quod natura vt subſtans diffiniatur, si nil proprium naturæ exprimit diffinitio, non sufficit, vt natura sit diffinitum.

28 *Confirm.* Diffinitum cuiuslibet diffinitionis est id, cui per se conuenit diffinitio, cum diffinitio nil aliud sit, quàm essentia diffiniti: sed naturæ, adhuc reduplicatiuè vt subſtat, non conuenit per se prædicari de pluribus, sed per aliud, per secundam scilicèt intentionem: ergo natura, adhuc prout subſtat secundæ intentioni, non est diffinitum. *Nec* dicas, quód naturæ, vt subſtat, conuenit prædicari de pluribus *vt quod* per aliud, quod est aliquid sui, nempè per formam, secundam scilicèt intentionem, quàm formaliter dicit natura, vt subſtat. *Nam* contra ex dictis est; natura, vt subſtat, ita est diffinitum *quod* iuxta sententiam oppositam, vt ipsa natura in recto sit diffinitum: sed ipsi in recto consideratæ conuenit per aliud prædicabilitas de pluribus, quod aliud accidit omnino naturæ in recto sumptæ: ergo vel diffinitio non conuenit per se diffinito, quod est absurdum, vel falsum est, quod natura in recto sit diffinitum.

29 *Explicatur.* Licèt paries, vt subſtat albedini, sit essentialiter id, quod habet albedinem, tamen adhuc vt subſtat albedini, non est id, cui disgregare visum conuenit per se, & essentialiter, sed per accidens, & per aliud: ergo pariter licèt natura, vt subſtat genereitati, sit essentialiter id, quod habet genereitatem, tamen, adhuc vt subſtanti non conuenit per se, & essentialiter prædicari de pluribus, sed per accidens, & per aliud. Patet conseq. & anteced. prob. Paries, vt subſtat albedini, ita se habet in ordine ad disgregandum visum, vt tota ratio disgregandi sit albedo, sicut in aqua sustentante calorem tota ratio calefaciendi est calor: sed albedo distinguitur à pariete, vt subſtante: ergo parieti, vt subſtanti, non conuenit essentialiter, & per se, sed per accidens, & per aliud, disgregare visum.

30 *Vrgetur.* Natura, vt subſtat genereitati, non prædicatur de pluribus differentibus specie, nam hæc est falsa, *homo est animal vt subſtans genereitati*, cum homo nequeat genereitati subſtare: ergo natura, vt subſtans genereitati, non est diffinitum. Prob. conseq Ideo

regant AA. opponi, quod secunda intentio sit diffinitum, quia secunda intentio non est quæ prædicatur de pluribus differentibus specie, vt asserit diffinitio: ergo si natura, vt substat genereitati, non prædicatur, natura vt substat genereitati non est diffinitum.

31. *Nec prodest* dicere, quod natura vt substans prædicatur, ly *vt* dicente conditionem, vt prædicetur, non rem, quæ prædicatur. *Nam* contra est, quia si natura sola est quæ prædicatur: ergo ipsa sola est diffinitum *quod*. Patet conseq. nam iuxta AA. oppositos, quod non prædicatur *vt quod* non est diffinitum *quod*, ideoque iuxta ipsos secunda intentio non est diffinitum *quod*, quia licèt *vt quo* prædicetur, secus tamen *vt quod*: ergo si sola natura est, quæ prædicatur *vt quod*, sola ipsa est diffinitum *quod*: ergo diffinitum *quod* non est natura reduplicatiuè vt substans, sed sola natura: sed nil proprium naturæ explicat diffinitio, & naturæ conuenit omnino per accidẽs, & per aliud, prædicari: ergo diffinitum est id, quod nullo modo explicatur per diffinitionem, & cui diffinitio conuenit omnino per accidens, & per aliud, quo nil falsius.

32. *Ex his patet* iam min. illa principalis primi syllogismi quoad id, quod positiuè affirmat, scilicèt, quod secunda intentio sit id, cuius essentiam explicat diffinitio; nam illius essentiam explicat, cuius effectus formalis, exprimitur in diffinitione: sed prædicari de pluribus, quod exprimitur in diffinitione generis, est effectus formalis genereitatis connotata natura, vt subiecto, in quo exercetur: ergo diffinitio generis explicat essentiam genereitatis. *Confirm.* Licèt id, quod videtur, sit coloratum, obiectum tamen formale *quod* specificatiuum visus est color, connotato subiecto: ergo licèt id quod prædicatur de inferioribus, sit genus, diffinitum tamen formale *quod*, est genereitas, connotato subiecto. Prob. conseq. Ideò primum est verum, quia subiectum coloris, quod dicitur coloratum, non videtur ratione sui, sed ratione coloris, obiectum quippè specificatiuum debet attingi ratione sui: sed diffinitio non debet conuenire diffinito ratione alterius, sed ratione sui: ergo cum prædicari de pluribus conueniat naturæ ratione genereitatis, genereitas, & non natura, est diffinitum formale quod.

33. *Denique* prob. conclusio contra Thomistas oppositum sentientes. Per diffinitionem concreti logici solum *vt quod* diffinitur quod comprehenditur sub obiecto formali *quod* Logicæ: sed sub subiecto formali *quod* Logicæ solum comprehenditur secunda intentio in concreto, cum hæc sola sit obiectum formale *quod* Logicæ iuxta Thomistas: ergo sola secunda intentio in concreto est

est diffinitum formale *quod* huius diffinitionis. *Explicatur.* Obiectum formale *quod* Logicæ, cuius naturam Logica in communi considerat, est secunda intētio inconcreto: ergo talis considerationis Logicæ, nimirum in tractatu de prædicabilibus, obiectum formale *quod* est talis secunda intentio, prædicabilis scilicèt, inconcreto: Sed diffinitum *quod* per hanc, & reliquas prædicabilium diffinitiones, est obiectum formale *quod* talis considerationis Logicæ: ergo secunda intentio prædicabilis inconcreto est diffinitum formale *quod* harum diffinitionum, quibus prædicabilia diffiniuntur, ac proindè diffinitum formale *quod* diffinitionis talis prædicabilis, generis scilicèt, est genereitas inconcreto.

§. II.

Soluuntur argumenta.

34 OBijcies pro prima sententia. Compositum substantiale dicens in recto materiam, & formam est vna simpliciter quidditas vnica diffinitione diffinibilis: ergo compositum accidentale dicens in recto subiectum, quod est velut materia, & formam, est vna quidditas vnica diffinitione diffinibilis. *Confirm.* 1. Vnio Ciuilis plurium partiū sufficit, vt ex eis resultet totum politicum, nempè Ciuitas, vnica diffinitione diffinibile: similiter ex vnione Logica partium syllogismi resultat syllogismus vnica diffinitione diffinibilis: ergo vnio accidentalis partium generis sufficit, vt ex eis resultet totum vnica diffinitione diffinibile. *Confirm.* 2. Et si pluribus constet quidditatibus aggregatum, habet tamen suam essentiam determinatam, omne quippè existens habet hanc determinatè essentiam, & non aliam, aliter non posset existere: sed quæuis essentia determinata potest vnica, & determinata diffinitione diffiniri: ergo aggregatum est vnica diffinitione diffinibile.

35 *Resp.* neg. conseq. Quia partes compositi substantialis sunt intra eandem lineam substantiæ quid incompletum, & quarum vna per se actuatur simpliciter ab alia; compositum verò accidentale dicit partes, quarum quælibet est ens completum, & ad distinctum prædicamentū pertinens, vndè nequit ex eis vnū per se resultare. *Nec obest*, quod incōcretis Logicis subiectum, seu substractū potest pertinere ad idem genus Logicum, vt cum supra vnam secundam intentionem fundatur alia. *Nam* licèt hoc ita sit, quælibet ex illis intentionibus est quid completum, & cui accidit secunda intentio superueniens.

36 *Ad* 1. *confirm.* disting. anteced. totum politicum vnica diffinitione diffinibile, *vt dicēs in recto omnes partes*, neg. antec. *vt dicens in recto ordinationē ciuilem, & de conno-*

 ta-

tate partes, conced. antec. Similiter ad aliud exemplũ resp. quod syllogismus vt dicens in recto propositiones, quæ sunt eius materia, & forma syllogisticã, nõ est vnica diffinitione diffinibilis, & solũ potest sic diffiniri, si dicat in recto formam, & de connotato propositiones, quæ sunt illius materia. *Nec obstat*, quod etiam pro formali syllogismus dicit plures secundas intentiones, præmissarum scilicèt, & conclusionis. *Non obstat, tùm*, quia eiusmodi secundæ intentiones sunt intra lineam talis arte facti, syllogismi scilicèt, incompletæ, ad vnam totalẽ formam ex se ordinatæ. *Tùm* etiam, quia syllogismus omnino pro formali dicit ordinem præmissarum, seu coordinationem earum per modum antecedentis cum consequente, qui ordo, & si plures secundas intentiones supponat, est vnus, ac proindè vnica diffinitione diffinibilis.

37 *Ad 2. confirm.* resp. quod sicut æquiuoca in particulari, canis, v.g. nequeunt diffiniri, æquiuoca tamen in communi diffiniri possunt, quia ipsum conuenire in non conueniendo est aliqua essentia vnica diffinitione diffinibilis; ita ratio communis aggregati consistens in constare pluribus quidditatibus diuersis est aliqua essentia vnica diffinitione diffinibilis; hoc tamen, vel illud aggregatum in particulari, vt aggregatum, nequit vnica diffinitione diffiniri, quia prout sic dicit in recto plures quidditates vnica diffinitione indiffinibiles.

38 *Si instes*. Vnica specie possunt repræsentari plures quidditates omnino diuersæ, vt contingit in specie Angeli: ergo, & possunt vnica diffinitione diffiniri. *Neg. conseq.* quia diffinitio obiectiua (de qua sola loquimur) est eadem quidditas, quæ diffinitur, magis explicata, vnde implicat in terminis, quod quidditates in recto diffinitæ sint plures, & diuersæ, & quod diffinitio sit vna: At species est quidditas obiecti in esse solum repræsentatiuo, quod nõ commensuratur cum quidditate absolutè, sed sub ea ratione, sub qua ipsam repræsentat, ordinis scilicèt, vel coordinationis cum alijs quidditatibus ad eundem finem, vt contingit in specie Angeli, ideoque possunt plures quidditates per illam repræsentari. *Hinc* Angelus eadem specie, imò eodem conceptu comprehensiuo attingit hominem, & eius risibilitatem, distincta tamen diffinitione obiectiua, vtrumque diffinit.

39 *Obijcies* pro secunda sententia. Diffinitum *quod* in diffinitione generis est illud, cui in recto conuenit diffinitio, & de quo diffinitio generis verificatur: sed prædicari de pluribus conuenit in recto naturæ, & non secundæ intentioni, quia natura, & non secunda intentio, est quæ prædicatur de pluribus: ergo natura est diffinitum *quod*. Explicatur.

tur. Eo modo est aliquid diffinitum, quo ei conuenit diffinitio: sed prædicati de pluribus non conuenit *vt quod* secundæ intentioni, sed naturæ: ergo natura, & non secunda intentio, est diffinitum *quod*.

40 *Confirm.* 1. Soli naturæ cōuenit prædicari essentialiter, seu *in quid* de inferioribus, sola enim natura est de essentia inferiorum: sed diffinitio generis soli illi conuenit, quod prædicatur *in quid*: ergo soli naturæ cōuenit, ac proindè sola natura est diffinitum. *Confirmat.* 2. Ideo natura non esset diffinitum, quia ipsi per se, & essentialiter non conuenit diffinitio, sed per accidens, & per aliud: sed licèt naturæ secundum se sumptæ per accidens conueniat prædicari; naturæ tamen vt substat secundæ intentioni, essentialiter conuenit prædicari, sicut licèt Petro conueniat per accidens referri ad filium, Petro tamen, vt Patri, essentialiter conuenit referri ad filium: ergo natura, vt substat secundæ intentioni, est diffinitum.

41 *Respond.* prænotando, quod cum accidens diffinitur in concreto, diffinitur per subiectum, vt cum dicitur, album *est corpus disgregatiuum visus*, quæ est diffinitio phisica albi, vel cum metaphisicè diffinitur, *est coloratum disgregatiuum visus*; vtrobique enim ponitur subiectum, corpus scilicèt, & si in diffinitione phisica ponatur expressè loco generis, in secunda vero importetur implicitè in ipso genere metaphisico, scilicèt, ly *coloratum* quod supponit pro subiecto, ex quo male inferes, quod subiectum sit diffinitum, sed tantùm quod sit id, per quod essentia diffiniti explicatur, & pro quo supponit; vnde huiusmodi diffinitiones sunt diffinitiones pe additamentum, id est, non sunt plenè diffinitiones, quia in eis ponitur aliquid, quod est extra essentiam rei, quam intendit exprimere diffinitio.

42 *Hinc ad argumentum*, vel neg. absolutè mai. vel illam disting. illud est diffinitum *quod*, cui in recto *per se*, *& essentialiter*, conuenit diffinitio, concedo mai. *accidentaliter, & per aliud*, neg. mai. & sub eadem distinctione min. neg. conseq. *Nec* interest, quod natura sola sit id, quod prædicatur; hoc enim solum probat, quod natura sit id, pro quo supponit diffinitum, scilicèt genus, & consequenter de quo diffinitio verificatur, accidentaliter tamen, & per aliud, per secundam videlicèt intentionem, quæ est tota ratio, cur natura prædicetur; non tamen probat, quod natura sit diffinitum, cum illius essentiam non explicet diffinitio, & si per ordinem, & connotationem illius explicet essentiam secundę intentionis.

43 *Vnde* ad explicationem, disting. mai. Eo modo est diffi-

 ni-

nitum, quo ei conuenit diffinitio, *si diffinitio sit perfectè talis* conced. mai. *si sit diffinitio per additamentum*, neg. mai. In diffinitione, quæ plenè, & simpliciter est talis, idem est pro quo supponit, & de quo diffinitio in recto, & *vt quod*, verificatur, ac diffinitum, qua ratione homo, & quodlibet aliud concretum substantiale; & est diffinitum, cuius essentiam explicat diffinitio, & est etiam id, pro quo supponit in recto diffinitio: at in diffinitione concreti accidentalis, quæ est diffinitio per additamentum, aliud est pro quo supponit, & de quo in recto verificatur, aliud, diffinitum; primum est subiectum, quod substernitur formæ, pro hoc enim supponit concretum; secundum verò est forma, quia solius formæ essentiam explicat diffinitio. Hinc homini conuenit per se, & essentialiter, esse animal rationale, quæ est eius diffinitio; corpori vero accidentaliter tantùm, & per aliud conuenit disgregare visum, quæ est diffinitio albi.

44 *Ad 1. confirm.* disting. mai. soli naturæ conuenit prędicari essentialiter, ly *essentialiter cadente solùm* supra prędicari, conced. mai. *cadente supra conuenit*, neg. mai. & applicata distinct. min. neg. consеq. Natura est id, quod prædicatur essentialiter, non tamen essentialiter ei conuenit prędicari, quia accidit ei status intentionalis, in quo solo potest prædicari. *Ad 2. confirm.* concessa mai. disting. min. naturæ, vt subsistat, conuenit essentialiter, *ratione obliqui*, prædicari, conced. min. *ratione illius, quod natura, vt subsistat, dicit in recto*, neg. min. & consеq. nam natura, vt substat, secundum id, quod dicit in recto, non est cui conueniat, nisi per accidens prædicari; quod autem ratione obliqui essentialiter conueniat, probat obliquum esse totam essentiam, quam explicat diffinitio, ac proindè, quod ipsum sit vnice diffinitum formale.

45 *Denique obijcies* directè cōtra conclusionem. Diffinitum in diffinitione generis est genus: sed secunda intentio non est genus: ergo non est diffinitum. *Confirm.* 1. Id, cui non conuenit diffinitio, non est diffinitum: sed prædicari *in quid* de pluribus differentibus specie non conuenit secundæ intentioni, vt connotat genereitatem: ergo non est diffinitum. *Confirmat.* 2. A diffinitione ad diffinitum, & è contra, est mutua consequentia; sed à diffinitione generis ad secundam intentionem non est bona consequentia, non enim valet, *prædicatur de pluribus, ergo est secunda intentio generis*, nec è contra: ergo idem quod prius.

46 *Vrgetur.* Iuxta Diu. Thomam opusc. 56. Terminus prædicat, quod significat; sed *genus* non prædicat secundam intentionem, sed naturam: ergo non significat secundam intentionem, sed

sed naturam, seu diffinitum est id, quod significat *genus*: ergo non est diffinitum secunda intentio, sed natura.

47 *Resp.* disting. mai. diffinitum huius diffinitionis est genus, *pro formali*, conced. mai. *pro materiali*, neg. mai. & sub eadem distinctione min. neg. conseq. nam licèt natura sit id, pro quo supponit genus, ex hoc solum suadetur ipsam esse substractum rei diffinitæ; res autem diffinita est secunda intentio, quæ est forma illius concreti, cuius essentia solum per formali explicatur per diffinitionem.

48 *Ad 1. confirm.* disting. mai. id, cui non conuenit, nec *vt quo*, nec *vt quod* diffinitio, non est diffinitum, conced. mai. cui non conuenit præcisè *vt quod*, sub dist. non est diffinitum, *in diffinitione concreti substantialis*, conced. mai. *concreti accidentalis*, neg. mai. In diffinitione quippè concreti accidentalis, id, cui *vt quod* conuenit diffinitio, est purè substractum materiale formæ, cuius essentia diffinitiuè explicatur, vnde ipsa forma, cui *vt quo* conuenit diffinitio, est vnice diffinitum; forma enim est tota ratio, ob quam de subiecto in recto verificatur diffinitio.

49 *Ad 2. confirm.* disting. mai. à diffinitione *perfecta* ad diffinitum valet consequentia, conced. mai. à diffinitione *per additamentum*, neg. mai. nam cum diffinitio per additamentum includat aliquid, quod est extra essentiam diffiniti, non adæquatur cum diffinito. *Vel dic*, quod prædicari *vt quo* de pluribus dicitur ad conuertentiam cum secunda intentione, & sic ipsa est diffinitum, quia in huiusmodi diffinitionibus est diffinitum id, cui, *vt quo* diffinitio competit iuxta dicta.

50 *Ad id*, quo vrgetur argumentum, disting. mai. Terminus *absolutus* idem prædicat, quod significat, conc. mai. terminus connotatiuus, sub dist. idem prædicat, quod significat, & eodem modo, neg. mai. *& diuerso modo* conced. mai. Terminus connotatiuus, *album* v.g. albedinem, quam in recto significat, prædicat in obliquo, & substractum, quod solum in obliquo connotat, prædicat in recto; & ratio est; quia significatur id, quod exprimitur per terminum, prædicatur vero id, quod identificatur cum subiecto; & quia albedo exprimitur per ly *album*, non tamen identificatur cum subiecto, cum dicis, *Petrus est albus*, ideo albedo significatur in recto, & prædicatur in obliquo, nam *Petrus est albus*, idem est, ac Petrus est habens albedinem.

AR-

ARTIC. III.

Quomodo, & de quibus genus prædicetur?

51 AD exactam notitiam generis aliqua sunt sub hoc titulo examinanda dubiola. Ea autem, de quibus genus prędicatur, vel sunt species diuisiuæ illius, de quibus dubium nō est prædicari genus, vt genus; vel sunt indiuidua generica, vt cum animal prædicatur de hoc, & illo animali, de quibus in art. 1. huius quæst. 5. determinauimus non prædicari genus, vt genus, sed vt speciem: vel sunt indiuidua specifica completa, vt Petrus, & Paulus, & circa hæc restat vnice comperiendum, an genus prædicetur de illis, vt genus. Sit ergo conclusio.

§. I.

De indiuiduis specificis prædicatur genus, vt genus.

52 PRob. De illis prædicatur genus, vt genus, de quibus prædicatur, vt pars potentialis essentiæ illorum: sed animal, v. g. prædicatur de Petro, & Paulo, vt pars potentialis essentiæ illorum: ergo de illis prædicatur genus, vt genus. Prob. min. animal prædicatur de Petro, & Paulo, vt pars materialis, & potentialis speciei: sed species est tota essentia indiuiduorum: ergo prędicatur de indiuiduis, scilicet, Petro, & Paulo, vt pars potentialis essentiæ eorum. *Confirm.* Animal prædicatur de Petro, & Paulo, vt superius, & vniuocum: ergo vt vniuersale: sed non prædicatur, vt differentia eorum, vt proprium, vel vt accidens, cum non prædicetur *in quale*, nec prædicatur vt species, cum animal non sit tota essentia indiuiduorum: ergo prædicatur, vt genus.

53 *Obijcies* 1. Vnius prædicabilis non est nisi vnus terminus: sed terminus relationis generis sunt species: ergo non indiuidua. *Resp.* disting. mai. non est nisi vnus terminus *formalis*, & *primarius*, conced mai. *materialis*, & *secundarius*, neg. mai. & concessa min. neg. conseq. quia cum eo, quod species sint terminus formalis, & immediatus relationis generis, stat, quod indiuidua sint terminus materialis, seu secundarius, & mediatus eiusdem.

54 *Si dicas.* Differentia infima, v. g. *rationale*, descendit ad Petrum, & Paulum media specie: & tamē diuerso modo prædicatur de specie, ac de indiuiduis: ergo & si genus descendat ad indiuidua mediante specie, poterit diuerso modo prædicari de indiuiduis, ac de speciebus. *Resp.* disting. mai. differentia infima descendit mediante specie, *vt termino sibi æquali*, conced. mai. *vt termino inferiori, quem respiciat per modum vniuersalis*, neg. mai. & concessa min. neg. conseq. nam cum differentia non sit vniuer-

uerſalis reſpectu ſpeciei, eo quod reſpectu ſpeciei non eſt ſuperior, ſed æqualis, indè nequit eodem modo prædicari de ſpecie ſibi æquali, ac indiuiduis, quæ reſpicit, vt ſuperior, & vniuerſalis: at genus tàm reſpectu ſpeciei, quàm reſpectu indiuiduorum eſt vniuerſalis, ac ſubinde de ſpecie, & indiuiduis eodem genere prædicationis prædicatur.

55 *Obijcies* 2. Genus non prædicatur, vt pars, ſed vt totum potentiale: ergo ex quo de indiuiduis ſpecificis prædicetur, vt pars, male infertur, quod de illis prædicetur, vt genus. *Occaſione* huius argumenti, inquirunt in præſenti Logici, an genus prædicetur de ſuis inferioribus, vt pars, vel vt totum? pro quo ſit ſecunda concluſio.

§. II.

Genus ex modo prædicandi, & pro eo, pro quo ſupponit in recto, prædicatur, vt totum.

56 SVpponit concluſio, quod genus prædicatur dicens pro expreſſo partem metaphiſicam eſſentiæ, attamen aſſerit, quod ex parte eius, pro quo ſupponit in recto genus, prædicatur, vt totum, & prob. ex D. Thoma de ente, & eſſent. cap. 3. dicente: *Si animal non eſſet totum, quod eſt homo, non diceretur de eo, cum nulla pars prædicetur de toto*: ex quibus elicitur ratio: vt prædicatio ſit vera, debet prædicatum identificari cū ſubiecto: ſed ſi genus ex parte eius, pro quo ſupponit in recto, non prædicetur, vt totum, non identificatur cum ſpeciebus, v.g. de quibus prædicatur: ergo non verè prædicabitur de ipſis, ac proindè non prædicabitur vt genus. Min. conſtat ex eo, quod pars, vt pars, non identificatur cum toto, vnde nec anima hominis eſt homo, nec illius materia eſt homo.

57 *Confirm.* Genus (& idem de reliquis vniuerſalibus) eſt totum potentiale, quatenus continet in potentia obiectiua inferiora, cum quibus realiter identificatur: ſed prædicatur de inferioribus, quatenus continet in potentia obiectiua inferiora, cum quibus realiter identificatur: ergo prædicatur vt totum potentiale de inferioribus. Prob. min. Genus prædicatur vt quid logice contrahibile, & determinabile ad hanc, & illam ſpeciem: ſed eſt logice contrahibile ad hanc, & illam ſpeciem, quatenus continet in potentia obiectiua inferiora, cum quibus realiter identificatur, nam contrahibilitas pure logica petit identitatem realem extremorum contractionis, & diſtinctionem obiectiuam, vi cuius vnum actu obiectiuè non ſit aliud, ſit tamen aliud obiectiue in potentia: ergo genus prædicatur vt continens in potentia obiectiua inferiora, cum quibus realiter identificatur. *Ex quibus* conſtat ad argumentum, occaſione cuius excitatur dubiū: nam

nam genus prædicatur de indiuiduis specificis, sicut de speciebus; dicēs scilicet expresse solam partem metaphisicam essentiæ ex parte rei, ex modo tamē prædicādi, & ex parte eius, pro quo supponit in recto, prædicatur, vt totum potentiale.

58 *Obijcies* 1. Materia prima nequit prædicari de composito, quia partem, quam compositum addit, non continet materia actu, sed in potentia: sed totum potentiale non continet actu differentias, quas inferiora superaddunt, sed solum in potentia: ergo vt totum potentiale nequit prædicari de inferioribus. *Confirm.* Prædicatum in prædicatione affirmatiua vera debet esse idem actu cum subiecto: ergo debet actu continere quidquid continet subiectum: ergo si genus, vt totum potentiale, non continet actu inferiora, nequit de illis verè prædicari.

59 *Resp.* disting. mai. quia cōtinet *in potentia reali, & phisica* partem, quam superaddit compositum, conced. mai. quia continet *in potentia solum Logica*, & obiectiua, neg. mai. Id enim, quod in potentia reali cōtinet alterum distinguitur realiter ab illo, quo circa non habet identitatem requisitam, vt verè prædicetur de illo: id autem, quod in potentia tantùm Logica continet alterum, est idem realiter cum illo, sola intercedente distinctione rationis, quæ non obstat, sed requiritur, vt ad illud possit per modum prædicati comparari.

60 *Ad confirm.* disting. antec debet esse idem actu *realiter* cum subiecto, conced. antec. *obiectiuè* neg. anteced. quia cum in propositione prædicatum vniatur cum subiecto modo compositiuo, potius debent esse distincta per rationem, apta tamen, vt possint ad inuicem media affirmatione componi. *Sed* vt hoc clarius percipiatur, sit tertia conclusio.

§. III.

Genus non prædicatur per se, & formaliter de differentijs.

61 CONclusio hæc, quæ supponens identitatem realem generis cum differentijs, negat identitatem in esse formali, & obiectiuo, est expressa conclusio Philosophi, lib. 3. Metaphis. text. 10. & D. Thomæ ibi lect. 8. necnon de ente, & essentia, cap. 7. & alibi sæpè, vndè eam frequētius amplectuntur AA. præsertim Thomistæ. Et prob. Genus nequit esse de conceptu formali differentiarum: ergo nequit prædicari per se, & formaliter de differentijs. Conseq. patet, & anteced. prob. *tùm* quia ideò iuxta Philosophum in loco cit. Ens non est genus, quia transcendit formaliter differentias. *Tùm* quia genus, & differentia sunt partes metaphisicè componētes essentiam specificā: sed essentia nequit metaphisicè

et componi ex partibus, quarum vna sit de conceptu metaphisico alterius; compositio enim in ea linea, in qua est compositio, petit partes distinctas: ergo genus non est de conceptu formali, & metaphisico differentiarum.

62 *Confirm.* Si animal esset de conceptu formali rationalis, sequeretur, quod homo, in quantū rationalis, esset animal: consequens est falsum: ergo & id, ex quo sequitur. Prob. min. *Tùm*, quia in quantum animal, conuenit homo cum Brutis, & in quantum rationalis, non conuenit cum Brutis: ergo in quantum rationalis, non est animal. *Tùm*, quia in quātum rationalis, differt à Brutis, & non differt, in quantum animal: ergo in quantum rationalis, non est animal.

63 *Ex his colligitur* (he quęstiones postea multiplicemus) quod differentia subalterna non sit de conceptu differentiæ infimæ, nam si sensibile, v.g. quod est differentia constitutiua animalis, esset de conceptu metaphisico rationalis, animal, vt animal, esset de conceptu metaphisico illius, cum animal sit metaphisice essentialiter viuens sensibile: sed probatum est, quod animal non sit de conceptu metaphisico rationalis: ergo sensibile non est de conceptu metaphisico rationalis.

64 *Obijcies* 1. De qualibet differentia substātiæ prædicatur formaliter substantia: sed substantia est genus: ergo genus prædicatur formaliter de differentijs. Prob. mai. quælibet differentia substantiæ est substantia, cum nulla sit accidens: ergo de qualibet differentia prędicatur formaliter substantia. *Confirm.* 1. Quidquid prædicatur formaliter de subiecto, prędicatur formaliter de constitutiuo illius: sed genus prædicatur formaliter de specie, cuius constitutiuum est differentia: ergo prædicatur formaliter de differentia. *Confirm.* 2. Hic syllogismus est bonus; *omnis homo formaliter est animal, omnis homo formaliter est rationalis; ergo aliquod rationale formaliter est animal*: sed præmissæ sunt veræ: ergo & consequens est verum.

65 *Resp.* disting. mai. prædicatur formaliter substantia, *abstrahens à completa, & incompleta*, conced. mai. substantia *completa*, neg. mai. substantia autem, quæ est genus, est substantia completa, nam substantia à completa, & incompleta abstrahens, cum sit transcendens differentias, non est genus, vnde substantia, quæ est genus, numquam formaliter prædicatur de differentijs.

66 *Ad* 1. *confirm.* disting. mai. quod prædicatur formaliter de subiecto, prædicatur formaliter de constitutiuo *adæquato* illius, conced. mai. de constitutiuo quolibet, *etiam inadæquato, & experte compositionis metaphisicæ*, neg. mai. nam cum constitutiuum inadæquatum huiusmodi sit *cum quo*, vt comparte, facit compositionem

i ean metaphisicam ipsum genus, debet esse extra conceptum metaphisicum illius, ac proindè non prædicatur formaliter de eiusmodi constitutiuo.

67 *Ad 2. confirm.* neg. mai. nam ille syllogismus est defectuosus, quia ratione illius particulæ *formaliter*, quæ in nulla præmissa distribuitur, arguitur ex puris particularibus, idem est enim, ac si argueretur, homo sub aliqua formalitate est animal, & sub aliqua formalitate est rationalis, ex quibus inutiliter inferes, quod sub formalitate, sub qua est rationalis, sit animal, seu quod formalitas rationalis sit formalitas animalis; sicut hic syllogismus non tenet, *De conceptu hominis est materia, de conceptu hominis est forma, ergo de conceptu formæ est materia*; ex eo enim quod vtrumque sit de conceptu hominis, perperam infertur, quod vnum sit de conceptu alterius.

68 *Obijcies 2.* Ideo de rationali non prædicaretur formaliter animal, quia rationale est pars metaphisica: sed animal est pars metaphisica, quo non obstante, prædicatur de eo formaliter genus substantiæ: ergo nulla est ratio, ob quam animal non prædicetur formaliter de rationali. *Confirm.* Rationale est substantia animata, & viuens: sed de viuente prædicatur formaliter substantia completa: ergo, & de rationali.

69 *Vrgetur.* Differentia constitutiua generis, scilicèt subalterna, est de conceptu differentiæ infimæ, per quam genus contrahitur: ergo, & ipsum genus per illam constitutum est de conceptu differentiæ infimæ. Prob. antec. Differentia specifica equi est essentialiter corporea, & materialis, non est enim spiritualis: sed corporeum, & materiale sunt differentiæ subalternæ: ergo differentia superior subalterna est de conceptu differentiæ specificæ inferioris.

70 *Resp.* disting. mai. quia rationale est pars metaphisica, *cum ipso animali, vt comparte*, conced. mai. quia est pars metaphisica, *absolutè* neg. mai. Ratio partis metaphisicæ probat exclusionem alterius compartis à suo cōceptu metaphisico, vnde sequitur, quod si rationale componit cum animali essentiam metaphisicam hominis, animal nō est de cōceptu metaphisico rationalis, & è conuerso: at animal non est pars metaphisica, quæ cum substantia completa, seu cum genere substantiæ componat aliquod totum metaphisicum, sed est quoddam totum metaphisicum compositū ex genere substantiæ, alijsque generibus intermedijs, & sua propria differentia, scilicèt sensibili; ex quo sequitur, quod de sensibili non prædicetur formaliter genus substantiæ, secus de animali.

71 *Dices.* Animal est pars metaphisica essentialiter contrahibilis, & determinabilis per differentias: ergo non est quoddam totum

tum metaphiſicum, totum quippè in ea linea, in qua eſt totum, non ordinatur per ſe ad aliud cōponendum, nec eſt vlterius in ea linea eſſentialiter contrahibile, & determinabile. *Neg*. conſeq. cuius probatio inſerta ſolum conuincit, quod in linea ſubalterna, in qua animal eſt totum metaphiſicum, aliud non ſit, ad cuius compoſitionem metaphiſicam ordinetur; non tamen quod in linea ſpecifica athoma vltimo quidditatiuè determinata aliud totum metaphiſicum non ſit, ad cuius compoſitionem ordinetur, cum quidditas ſubalterna ex ſe ordinetur ad compoſitionem infimæ.

72 *Ad confirm.* reſp. quod rationale formaliter non eſt ſubſtantia animata, aut viuens, ſed taliter viuens, ita vt viuere correſpondeat viuenti; talitas autem correſpondeat rationali.

73 *Ad id*, quo argumentum vrgetur, neg. antec. Ad eius prob. diſting. mai. Differentia ſpecifica equi eſt eſſentialiter *determinatiuè* corporea, & materialis, conced. mai. eſſentialiter *conſtitutiuè*, neg. mai. & diſting. min. corporeum, & materiale *conſtitutiuè* ſunt differentiæ ſubalternæ; conced. min. corporeum, & materiale *determinatiuè*; neg. min. & conſeq. Vltima differentia equi eſt corporea, & materialis determinatiuè, quia corpus, quod conſtitutum ſupponit, determinat ad talem, vel talem ſpeciem corporis; non eſt tamen corporea conſtitutiuè, quia potius in ratione corporis conuenit Equus cum alijs corporibus; à quibus per ſuam vltimam differentiā differt; corporeum autem conſtitutiuè, non determinatiuè, eſt differentia ſubalterna, quæ vltimo ſpecifice determinatur per differentiam equi.

74 *Si inſtes* 1. Differentia ſpecifica equi prouenit ab anima equi, vt eſt principium ſentiendi: ergo eſt formaliter ſenſibilis, ac proindè ſenſibile, quod eſt differentia ſubalterna, prædicatur formaliter de differētia infima. *Reſp.* diſting. anteced. vt eſt principium ſentiendi determinatiuè, conced. antec. conſtitutiuè, neg. antec. & neg. abſolutè conſeq. quia eſſe determinatiuè ſenſibilē differentiā infimā, nil eſt aliud, quā eſſe determinationē ſenſibilis, quod nō eſt eſſe formaliter ſenſibilem. *Nec* obſtat, quod differentia illa prouenit ab anima equi, vt eſt principium eliciendi proprias operationes, quæ ſunt formaliter ſenſitiuæ. *Nam* etiam in ipſis operationibus equi, & eſt ratio communis ſenſationis, & talis ſenſationis, quę talitas eſt ſenſitiuæ determinatiuè, non conſtitutiuè, & formaliter.

75 *Si inſtes* 2. Differentia ſpecifica equi eſt ens ſubſtantiale incompletum: ſed differentia, qua genus ſupremum ſubſtantiæ conſtituitur, eſt ratio entis ſubſtantialis incompleti, cum conceptus cuiuslibet differentiæ ſit in com-

ple-

pictus; ergo differentia specifica equi includit essentialiter differentiam sui generis supremi. *Resp.* ommissa mai. neg. min. vel potius suppositum, nam genus supremum substantiae, cum supra se nō habeat genus, non constat differentia, ac proinde nulla est differentia talis generis, quae includatur in differentijs inferiorum.

76 *Nec ex hoc inferas*, quod sensibile, v.g. quod est vere differentia animalis, & quid incompletum, sit ratio transcendens differētias infimas, & si animal, quia ens completum, differentias inferiorum non transcendat. *Non inferas* quidem, nam & si conceptus transcendens differentias debeat esse quid incompletū, vel abstrahens saltim à completo, & incōpleto, non tamen omne incompletum est transcendens, nisi sit de conceptu constitutiuo metaphisico differentiarum, quale nequit esse sensibile, quod vt constitutiuum animalis cum differentia specifica componit metaphisicè speciem hominis, vel equi.

77 *Si tandem instes*, Si differentiae infimae accidunt generi, saluatur genus, etiam si non dentur plures species, imo etiam si nulla sit possibilis, cum quaelibet essentia saluetur sine possibilitate etiā illius, quod omnino accidit ipsi: sed genus nequit saluari, vbi plures species non sunt saltim possibiles: ergo differentiae non accidunt generi. Occasione huius inquirunt Logici, an genus, vt tale, saluetur in vnica specie? Pro cuius resolutione sit quarta conclusio.

§. IV.

Genus nequit saluari sine possibilitate saltim plurium specierum.

78 Supponit conclusio, quod ratio generica, animal v.g. saluatur phisicè, & quoad id, quod actu dicit, in qualibet specie, haec enim praedicata, *viuens sensibile*, in qualibet reperiuntur specie animalis. Procedit ergo dubium de genere, vt tali, vt scilicèt est quoddam totum potentiale contrahibile per differentias, in quo sensu negamus, quod genus possit saluari sine plurium specierum possibilitate, & si non requiratur, quod plures species sint existentes.

79 *Prob.* 1. ex D. Thoma 1. poster. lect. 12. dicente: *Non est possibile inuenire aliquod genus, cuius vna tantum sit species*, quod alibi saepè repetit. Prob. insuper ratione. Genus est ratio positiue indifferens, ad plures species: ergo nequit saluari genus sine plurium specierum possibilitate. Patet conseq. nam indifferentia positiua ad plura nequit saluari, si illa plura repugnent. Antec. vero prob. Genus est ratio potentialis contrahibilis media differentia ad hanc speciē prae alia: ergo est ratio positiuè indifferens ad plures species. Antec. constat ex eo, quod genus est pars potentialis, & materialis essen-

essentiæ, vnde sicut de ratione materiæ est, quod petat determinari per formam ad phisicè componendam hanc speciem præ alia, ita genus est ratio determinabilis per differentiam ad componendum metaphisicè hanc speciem præ alia. Huius rationis, & aliarum, quæ possent subiungi, efficacia amplius dignoscetur, dum art. 5. probemus idem de specie (imò de quocumque prædicabili) in ordine ad plurium indiuiduorum possibilitatem.

80 *Obijcies.* Materia cœlestis saluatur sub vnica forma cœli sine plurium possibilitate: ergo, & si genus sit pars materialis speciei, potest saluari in vna specie sine plurium possibilitate. *Confirm.* 1. Etiam si solus homo esset possibilis, hæc prædicatio, *Petrus est animal*, esset prædicatio generis: ergo etiam si sola species hominis esset possibilis, animal esset genus. Prob. antec. quia illa prædicatio non esset prædicatio proprij, accidentis, aut differētiæ, cum animal de Petro prædicetur *in quid*, nec esset prædicatio speciei, cum animal non sit tota essentia Petri: ergo esset prædicatio generis. *Confirm.* 2. Species potest saluari in vnico indiuiduo: ergo genus potest saluari in vnica specie.

81 *Resp.* neg. conseq. quia ratio materiæ solum potest saluari, vel per hoc, quod recipiat per modum primi subiecti, sic enim recipere est propriū materiæ, vel per hoc, quod sit potentialiter indifferens ad plura, ratio enim indifferentiæ potentialis est etiam propria materiæ, seu illius, quod per modum materiæ se habet: cum ergo ratio partis potentialis non possit saluari in genere per hoc, quod recipiat differentiam, restat, vt solum possit saluari per hoc quod sit potentialiter indifferens ad plura: at ratiò materiæ in materia cœlesti eiusmodi indifferentiam non requirit, cum sine ipsa saluetur ratio primi subiecti receptiui formæ.

82 *Ad* 1. *confirmat.* resp. quod illa prædicatio reduceretur ad speciem; quia cum animal actu includat viuens sensibile, quod sensibile esset in eo euētu differētia infimæ hominis, siquidem non esset ratio determinabilis per alias differētias, inde fit, quod animal esset compositū ex genere, & differentia infima, quod est proprium speciei; quia tamen sensibile non esset adæquata differentia hominis, sed simul cum rationali, adæquata enim differentia ex sensibili, & rationali constaret; inde etiam fit, quod animal non esset tota essentia Petri, & consequenter quod illa prædicatio non propriè, & simpliciter, sed reductiuè, esset prædicatio speciei.

83 *Ad* 2. *confirm.* neg. anteced. quia vel species consideratur secundum prædicata, quæ actu dicit, & sic saluatur species in vno indiuiduo, cæterum in hoc sensu etiā in vnica specie saluatur genus iux-

iuxta superius dicta, vel consideratur species, vt contrahibilis per differētiam indiuidualem ad hoc potius indiuiduum, quam ad aliud, & in hoc sensu repugnat species, vbi plura indiuidua repugnent, contrahibilitas enim, & indifferentia ad plura, saluari nequit sine possibilitate saltim plurium: in eodem ergo sensu (quantum ad hoc) saluatur, vel non saluatur ratio speciei in vnico indiuiduo, quo saluatur, vel nō saluatur ratio generis in vnica specie.

84. *Dices.* Genus se habet per modum partis potentialis, incompletæ, & perfectibilis, ac proinde essentialiter petit differentias, quibus perficiatur, & cōpleatur, ideoque nos ipsi diximus genus se habere per modum materiæ; at species est actus essentialiter completus, quo circa ex vi sui conceptus essentialis, non petit differentias indiuiduales, quibus determinetur. *Vlterius.* Communiter receptum est apud Logicos, quod species saluatur in vnico indiuiduo, genus vero non saluatur in vnica specie: aliqua est ergo disparitas assignanda inter genus, & speciem.

85 *Resp.* quod licèt genus aliter sit determinabilis, & contrahibilis per differentias specificas, aliter species per differentias indiuiduales, vtrumque tamen debet esse positiuè indifferens ad plura, aliter nullum ex illis poterit denominari à secunda intentione vniuersalitatis, sicque solum considerabuntur genus, & species secundum prædicata, quæ actu includunt, in quo pari passu currunt quoad saluari in vnica specie, vel indiuiduo. De ratione autem indifferentis ad plura est, quod plura non repugnent, seu sint possibilia; vnde quod aliter genus petat plures species, aliter species plura indiuidua, non probat, quod vtrumque non petat plura.

86 *Alietas* autem consistit in eo, quod genus petit plures species, vt obtineat totam perfectionem, cuius genus est capax; nā genus habet perfectionem à differētijs specificis, cumque omnes illas non habeat in vnica specie, inde non obtinet in illa omnem perfectionem, quam potest habere, ex quo fit, quod genus sit velut materia, quæ non solum determinatur per formam, sed & ab illa perficitur: species autem per differentias indiuiduales non perficitur, sed limitatur, & coarctatur, vnde perfectionē, cuius est capax, in quolibet conseruat indiuiduo: Et in hoc sensu verum tenet, quod genus (quoad perfectionem, cuius est capax) non saluatur in vnica specie, cum tamen in vno indiuiduo species saluetur.

87 *Ex his constat* ad replicam, ob quam excitatum est dubium; differentiæ enim accidunt generi *constitutiuè*, non *determinatiuè*, id est, genus nō constituitur per differentias, essentialiter tamen est quid determinabile, & contra-

hi-

hibile per illas, vnde non sequitur, quod sine plurium specierum possibilitate saluetur ratio generis. *Quia tamen* pluries in præsenti inculcatum est, quod genus est velut materia, dubitatur vltimo, sit ne verum quod inter Philosophos communiter circumfertur, scilicèt, *quod genus sumitur à materia, differentia vero à forma,* cui communi dicto occasionem dedit Aristot. lib. 8. metaph. text. 9. dicens, *aliquid de aliquo significat ratio diffinitiua, & opportet, hoc quidem, vt materiam, illud verò, vt formam esse.* Pro quo sit,

§. V.

Genus in rebus compositis ex materia, & forma, sumitur à materia, vt à prima radice, ex qua prouenit, quod concipiatur natura generica, vt determinabilis per differentiam specificam,

88 F*Acilior* eiusmodi communis dicti intelligētia est, quod cum forma in phisicis sit actus determinans, & perficiēs materiam, & materia sit imperfecta, determinabilisque per varias formas, ita proportione seruata in metaphisicis, genus est conceptus imperfectus, determinabilis per differentias, differētia vero est conceptus actuans, & perficiens genus; ex quo sumpta est occasio, vt dicatur genus sumi à materia, scilicèt, quia assimilatur materiæ, differentia vero à forma, quia scilicèt assimilatur formæ. Cum autem amplius videatur intendere Philosophus, nec non D. Thomas sæpissimè illud dictū repetens, & exprofesso explicās; ideo, vt magis propriè, vt debet, accipiatur,

89 *Obseruandum est*, quod genus, seu gradus genericus præstatur proximè à forma; omnes enim gradus rei, eius essentiam constituentes nulla actuali distinctione differunt à parte rei, vt quæst. prçced. monstrauimus: ergo proueniunt omnes ab eadem forma. *Deinde.* Ab eo prouenit esse animal, quod sui communicatione prçstat esse viuens sensitiuum: sed hoc præstat media sui cōmunicatione forma, anima scilicèt: ergo à forma prouenit gradus genericus. Quod cū ita sit, ingerit difficultatē, vnde proueniat, quod ex gradibus identificatis, vnus concipiatur (genericus scilicèt) vt quid potentiale, & contrahibile per alium, quæ contrahibilitas, & potentialitas est propria generis, & huius radicem, fundamentumque dicimus esse materiam in rebus compositis ex materia, & forma, quod prob.

90 *Illud est* prima radix, & fundamentum, vt intellectus concipiat naturam, vt potentialem, & vlterius determinabilem, in quo consistit ratio generis, quod est prima radix, & fundamentum, vt compositum concipiatur habens prius esse potentiale, & imperfectū, quàm actuale, & perfectum: sed huiusmodi fundamentum, & radix in rebus materialibus est ma-

materia: ergo materia est in rebus materialibus, à qua, vt à prima radice sumitur genus. Mai. est certa: nam concipi hominē, in quantum animal, vt quid potentiale, & vlterius perfectibile per rationalitatē, nil aliud est, quàm concipi habēs prius esse potentiale, & imperfectum, quam actuale, & perfectum: ergo prima radix, & fundamentum vnius, est prima radix, & fundamentum alterius.

91. *Min.* autem prob. Nam fundamentum, & radix eiusmodi conceptibilitatis est quia quod procedit de potentia ad actum, prius peruenit ad actum imperfectum, quàm perfectum: sed prima ratio procedendi de potentia ad actū est materia: ergo materia est prima radix, & fundamentum, vt intellectus concipiat compositum ex illā, vt habens prius esse potentiale, & imperfectum, quàm actuale, & perfactum. *Explicatur:* Sicut res se habet ad esse, & operari, ita se habet ad intelligi: sed prima radix, à qua sumitur, quod materia sit prius sub esse imperfecto, v.g. prius sit sub forma seminis, quam sub forma Embrionis, & sub hac prius, quam sub forma viuentis, est ipsius materiæ pura potentialitas, & maxima distantia ab actu perfecto: ergo eiusdem potentialitas radix est, vt compositum intelligatur habens prius esse imperfectum, quàm perfectum. Vide D. Thomas 1. p. quæst. 50. art. 2. ad 1. ait: *In rebus materialibus aliud est, quod determinat ad specialem gradum, scilicèt forma, & aliud, quod determinatur, scilicèt materia.*

92 *Diximus* autem hoc esse verùm in rebus tantùm materialibus, quia in rebus spiritualibus genus sumitur ab earum potentialitate phisica, quæ respectu rerum spiritualium est earum essentia, vt ex se non habens existentiam, sed ex se in potentia ad illam; differentia vero sumitur ab earum maiori actualitate, quæ consistit in maiori accessu ad actum purum, hoc est, in perfectiori participatione diuinæ simplicitatis, quæ ex vniuersaliori modo operandi nobis innotescit.

93 *Si dicas.* Substantiæ spirituales, & corporeæ non habent materiam communem; & tamen habent genus commune, siquidē collocantur sub eodem prædicamento: ergo etiam in rebus corporeis genus non sumitur à materia. *Confirm.* Gradus genericus, & indiuidualis sunt oppositi: sed gradus indiuidualis sumitur iuxta Thomistas à materia: ergo ab ea non sumitur gradus genericus.

94 *Resp.* distig. mai. Non habent materiam communem, *secundum conceptum formalem potentialitatis phisicæ*, neg. mai. *secundum conceptum materialem*, conced. mai. & concessa min. neg. conseq. Ratio generis sumitur à potentialitate phisica, in qua habenda conueniūt Angelus v.g. & homo: quod autem hæc potentialitas sit in vno

ma-

materia, in alio vero fit præcisè potentia receptiua existentiæ, est quid materiale respectu potentialitatis, & ratio solum, vt in hoc, v.g. in homine, sumatur ratio generis à materia.

95 *Ad confirm.* resp. quod gradus genericus, & indiuidualis non sunt oppositi, sed sunt idem realiter, & ita comparantur obiectiuè etiam, vt vnus sit determinatio alterius; sunt ergo illi gradus formaliter oppositi, idest, formaliter distincti, cui non obest, quod vterque gradus sumatur à materia, cum sumatur à materia diuerso modo sumpta; genericus scilicèt à materia secundum se, vt potentiali, indiuidualis vero à materia, vt signata quantitate.

ARTIC. IV.

Examinantur diffinitiones speciei.

96 Species, quæ secundum est prædicabile, potest considerari, vel vt subijcitur generi superiori, & sub hac consideratione denominatur species subijcibilis, vel vt respicit indiuidua inferiora, sicque denominatur species prædicabilis: vtroque modo eam diffiniuit Porphirius, & vtroque modo eam in examen vocamus.

§. I.

Diffinitio speciei vt subijcibilis exponitur.

97 Diffiniuit Porphirius speciem subijcibilem sic, *quæ ponitur sub genere, & de qua genus in eo quod quid prædicatur*; sed cum species subijcibilis, alia sit *infima*, alia *subalterna*, vtraque conuenit in eo, quod est subijci generi, differunt tamen in eo, quod species subalterna habet sub se alias species, & eas non habet species infima, quod tamen discrimen non debet exprimere diffinitio communis. Vt tamen diffinitionis traditæ bonitas melius percipiatur.

98 *Obijcies* 1. Indiuidua specifica ponuntur sub genere, & de eis genus *in eo quod quid* prædicatur: ergo diffinitio conuenit alijs à diffinito. *Disting.* anteced. ponuntur *immediatè* sub genere, neg. anteced. *mediatè* conced. anteced. & neg. conseq. quia diffinitio debet accipi de positione immediata, & quæ subijcibili conueniat ratione sui, non de mediata, & quæ conuenit mediante ipsa specie, quomodo indiuidua specifica subijciuntur generi.

99 *Instabis* 1. Indiuidua generica, vt hoc animal, ponuntur immediatè sub genere: ergo etiam intellecta diffinitione de subiectione immediata, conuenit diffinitio alijs à diffinito. *Instabis* 2. Homo est specie s su-

subijcibilis generi substantiæ: & tamen non subijcitur immediatè generi substantiæ: ergo vel species subijcibilis non benè diffinitur, vel diffinitio non debet intelligi de subiectione immediata.

100 *Resp.* disting. antec. Indiuidua generica ponuntur *immediatè* sub genere, *vt genus est*, neg. anteced. sub genere, *vt species est*, conced. anteced. hæc enim prædicatio, *hoc animal est animal*, est prædicatio speciei iuxta dicta in hac quæst. 5. artic. 1. *Ad 2 instantiam*, concessis præmissis, neg. cōseq. quia licèt homo non subijciatur immediatè generi substantiæ, subijcitur tamen immediatè animali, quod est eius genus proximū; nec enim petitur, quod cuicumque generi species immediatè subijciatur.

101 *Obijcies 2.* Genus diffinitur per speciem: ergo species non debet diffiniri per genus. Prob. conseq. nam aliàs committeretur circulus, qui in diffinitionibus est vitandus. *Resp.* neg. conseq. quin potius, cum genus, & species sint correlatiua, debet vnum diffiniri per aliud, sunt enim correlatiua simul natura, & cognitione, vnde pater diffinitur per filium, & filius per patrem; nec iste est circulus vitiosus, quem rectitudo diffinitionis debeat vitare.

102 *Instabis 1.* diffinitio debet esse notior diffinito: ergo si species diffinitur per genus, & è conuerso, idem est notius, & ignotius respectu eiusdem. *Instabis 2.* loco cuiuslibet partis diffinitionis licèt ponere diffinitionem talis partis, vt colligitur ex Arist. 2. topic. cap. 5. ergo in diffinitione speciei licebit ponere loco generis, huius diffinitionem, vnde poterit species diffiniri sic. *Species est, quæ ponitur sub eo, sub quo ponitur species*, quo nil absurdius.

103 *Resp.* neg conseq. Nam ex quo diffinitio debeat esse notior diffinito, male infertur, quod quælibet pars, præsertim extrinseca, vt est correlatiuum, sit notior; solum enim infertur, quod ordo ad genus sit notior specie, & ordo ad speciem sit notior genere. *Ad 2. instantiam* resp. Aristot. esse intelligendum de parte intrinseca, loco cuius, licèt ponere talis partis diffinitionem, non de parte extrinseca, cuiusmodi est correlatiuum.

§. II.

Traditur diffinitio speciei vt prædicabilis.

104 SPeciem, vt prædicabilem, diffiniuit sic Porphirius. *Quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid.* Per ly *prædicari de pluribus* conuenit species cum alijs prædicabilibus, cumque in omnibus subintelligatur vniuersale, cuius proprietas est prædicabilitas, debent excludi à ratione speciei, quæ conditiones non habent requi-

quisitas, vt sint vniuersalia. Per ly *differentibus* numero differt à genere, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, quæ differentia ita accipienda est, vt terminus immediatus relationis generis sint plura specie distincta, speciei vero terminus immediatus sint plura solo numero distincta. Per illam particulam *in eo quod quid* denotatur speciem prædicari essentialiter, tam ex parte rei prædicatæ, per quod differt à proprio, & accidente, quàm ex parte modi prædicandi, per quod differt à differentia, quæ ex parte modi prædicatur *in quale. Rursus* per eandem particulam denotatur, quod species non solum prædicatur essentialiter, sed dicendo totam essentiam; nam nec potest dicere partem essentiæ determinantem, vt differentia, quia prædicaretur *in quale*, nec partem essentiæ determinabilem, vt genus, quia non prædicaretur de solo numero differentibus, vt debet prædicari dicendo totam essentiam, quod est proprium speciei.

105 *Obijcies 1.* Per hanc diffinitionem diffinitur species in communi: sed species in communi prædicatur de differentibus specie, nam prædicatur de homine, & equo, qui specie differunt: ergo non rectè dicitur in diffinitione, quod species debeat prædicari de solo numero differentibus.

106 *Resp.* disting. mai. difinitur species in communi, ly *in communi dicente rem per se diffinitam*, neg. mai. *dicente statum accidentalem rei diffinitæ* conced. mai. & disting. min. Species in communi, *essentialiter sumpta* prædicatur de pluribus differentibus specie neg. min. *denominatiuè, & ratione status*, conced. min. & neg. conseq. Nam cum diffinitur species, diffinitur vt abstracta ab hac, & illa specie, ita tamen, vt ratio diffinita sit ratio speciei, status vero abstractionis sit conditio, vt diffiniatur, vnde prædicata, per quæ diffinitur, debent correspondere rei, quæ diffinitur, non statui abstractionis, quę est conditio, vt diffiniatur. Hinc prędicari de pluribus differentibus numero conuenit omni speciei, homini scilicèt, & equo, & alijs speciebus, quibus tamen non conuenit prædicari de pluribus differentibus specie, quia huiusmodi prædicatio est propria status accidentalis abstractionis, sub quo species diffinitur, & sic non descendit ad hanc, & illam speciem, quæ ibi diffiniuntur; hæ enim prædicationes, *homo est species, equus est species*, sunt prædicationes accidentis quinti prædicabilis, nam accidit homini, & equo denominari à secunda intentione speciei.

107 *Obijcies 2.* Species prædicatur de indiuiduis *in quid* incompletè: ergo non prædicatur dicendo totam essentiam, ac proindè non differt in hoc species à gene-

re.Prob.antec.De essentia indiuiduorum est differentia indiuidualis: sed hanc non dicit species: ergo non dicit totam essentiam indiuiduorum. *Neg.* anteced. Ad prob.disting.mai.De essentia *metaphisica* indiuiduorum est differentia indiuidualis, neg. mai. de essentia, *phisica* conced. mai. & concessa min.disting. conseq.non dicit tota essentiam, *phisicam* conced.conseq.*metaphisicam* neg. conseq.

108 *Si dicas.* Sicut se habet differentia specifica ad speciem, ita indiuidalis uad indiuiduum: sed illa pertinet ad essentiam metaphisicam speciei: ergo ista pertinet ad essentiam metaphisicam indiuidui. *Resp.* non ita, & eodem modo se habere vtramque; quia de essentia metaphisica rei solum iudicamus esse ea prædicata, per quæ respondemus questioni, *quid est res*, aut qualis quidditatiuè sit, cuiusmodi sunt species, & differentia specifica, non indiuiduaiis; nam vt ait Damascenus, cap.9. Dialecticæ. Proprietas indiuidualis non ostendit, *nec quale quid est, nec quid est rei, sed quis est: interroganti enim, quis est iste, dicimus, Petrus; deinde interroganti, quid est Petrus, dicimus, homo.* Species ergo dicit totam essentiam indiuidui, qua respondemus inquirenti illius quidditatem.

§. III.

Species vt subijcibilis non est prædicabilis.

109 PRob. Speciem *vt subijcibilem* esse prædicabilem, vel est, quod per eandem formam, qua est subijcibilis, sit prædicabilis, vel quod esse subijcibilem sit causa, aut ratio, vt sit prædicabilis: sed in neutro sensu est verum: ergo species, *vt subijcibilis*, non est prædicabilis. Prob. min.quoad 1.partem: Species, vt subijcibilis, dicit formaliter respectum inferioris ad genus, vt superius; vt prædicabilis autem dicit respectum superioris ad indiuidua, vt inferiora: sed isti respectus sunt omnino diuersi: ergo per eandem formam, qua est subijcibilis, non est prædicabilis. *Quoad* 2.vero partem prob. *Tùm* quia stat speciem esse prædicabilem, & non esse subijcibilem, substantia enim comparata ad hanc, & illam substantiam est species predicabilis, & tamen cum supra se non habeat genus, non est species subijcibilis: ergo subijcibilitas non est causa, aut ratio vniuersalitatis. *Tùm* quia vt intellectus comparet naturam ad inferiora, nullatenus per se requiritur, quod illam prius comparet ad genus: ergo idem, quod prius.

110 *Si obijcias* 1. Species respicit genus, vt aliquid sibi intrinsecum,

cum, inferiora vero, vt aliquid extrinsecum: ergo prius respicit genus, quam inferiora, ac proindè priùs est subijcibilis, quam prædicabilis. *Posset* omitti totum, quia ex quo sit priùs subijcibilis, quã prædicabilis, non sequitur, quod vnum sit ratio, aut causa alterius, licèt è conuerso bene sequatur, ex eo, quod vnum sit ratio, aut causa alterius, quod sit priùs altero. *Deinde*, disting. antec. respicit vt quid sibi intrinsecum genus, *consideratum per modum partis actualis*, conced. antec. *per modum totius potentialis*, neg. antec. quia prout sic est correlatiuum speciei, & correlatiuum est terminus extrinsecus relationi.

111 *Si secundo* obijcias. Species ponitur immediatè sub genere: sed indiuiduum non ponitur immediatè sub genere: ergo species, vt posita sub genere (sic est subijcibilis) non est indiuiduum, ac proindè vt subijcibilis est vniuersalis. *Disting.* cõseq. Est vniuersalis, *logicè*, neg. conseq. *metaphisicè*, subdisting. est metaphisicè vniuersalis, *formaliter*, neg. conseq. *præsuppositiuè*, conced. conseq. Vt species subijciatur generi debet priùs per abstractionem constitui vniuersalis, alia tamen est forma, qua subijcitur, alia, qua sit vniuersalis; illa est respectus ad genus, hæc autem est vnitas præcisionis.

112 *Habetur* ex his, quod subijcibilitas, & prædicabilitas sunt diuersi omninò respectus, qui in eodem substracto, seu subiecto materialiter coincidũt; nam stat speciem esse prædicabilem, & non esse subijcibilem, vt probatum est; stat insuper esse subijcibilem, & non esse prædicabilem, vt statim probabitur de natura Angelica: vnus ergo respectus non oritur ex alio, nec habet connexionem cum alio. *Rursus*, quod natura abstracta debeat priùs comparari ad genus, quàm ad indiuidua, vel è conuerso, nulla ratione suadetur necessarium: sunt ergo tales respectus disparati; & si in subiecto coincidant materialiter; qua etiam ratione species ipsa subijcibilis comparatiuè ad hanc, & illam speciem subijcibilem, est substractum, quod denominatur vniuersale.

ARTIC. V.

An natura Angelica, supposita eius immultiplicabilitate, sit species prædicabilis?

113 POsset eodem modo excitari dubium circa quamlibet intentionem vniuersalis, imò circa vniuersale in communi, an scilicèt, natura, cui plura habere inferiora repugnet, possit esse vniuersalis, cum vniuersale sit *vnum in multis*, & *de multis*, opportune tamen illud AA. frequentiùs excitant circa speciem, *tùm*, vt dicta immediatè de inconnexione subij-

subijcibilitatis speciei cum prædicabilitate dilucidentur, *tùm*, quia cum natura Angelica sit, cui in sententia D.Thomæ repugnant plura indiuidua solo numero distincta, opportunè de specie, quæ respicit pro termino plura solo numero distincta, excitatur quæstio, posita, exempli causa, ipsa natura Angelica, in qua hypotesis dubij iuxta D. Thomæ mentem verum habet. *Hinc* dignoscitur iam dissidium esse magna ex parte domesticum, & quod aliter locum non habet, nisi plurium indiuiduorum impossibilitate supposita.

114 *Pro resolutione* autem vnicè supponenda est tradita sæpe distinctio vniuersalitatis negatiuæ, & positiuæ, quarum prima consistit in vnitate præcisionis, qua natura præscinditur à singularitate, seu cognoscitur sine illa; secunda vero consistit in aptitudine positiua, vi cuius natura à singularitate præcisa respicit plura inferiora, in quibus potest existere, in qua aptitudine, & respectu cōsistit iuxta superius dicta vniuersale logicum, de quo solo procedit dubium; nam quid de prima vniuersalitate sit dicendum respectu naturæ Angelicæ ex progressu ipsius dubij constabit. *Alia*, quæ supponi possent, & deberent, ommittimus modo, quia nec adeò certa, vt ab aliquibus non reuocentur in vtrum, & clarius possunt postea ex ipsa disputatione colligi, quàm modo, vt indubia, præsupponi.

115 *Sententia* affirmatiua in Scola D. Thomæ satis plausibilis à pluribus Thomistis defenditur: negatiuam autem sustinent communiter extranei, & ex Thomistis, Soncinnas, Herueus, Iauellus, quos refert, & sequitur Prado, Lince, Moneta, Aguirre, Curiel, & nouissimè Mag. Palanco satis solidè, & eruditè: quam sententiam amplectimur, vt magis cōsonam principijs, tùm vniuersalitatis logicæ, tùm in multiplicabilitatis Angelicæ, quæ cum D. Thoma omnes eius Discipuli propugnamus.

§. I.

Probatur sententia negans.

116 PRob. 1. ex Angelico Præcept. quæst. vnica de spiritualibus creaturis, art. 9. ad 4. dicente: *Natura Angelica prohibetur esse in multis ex eo, quod non est nata recipi in aliquo subiecto*: si enim natura Angelica esset species prædicabilis, ideo esset (vt AA. dicunt) quia repugnantia ad plura non oritur ex conceptu naturæ: sed hoc est falsum, cum iuxta D. Thomam repugnantia oriatur ex eo, quod non est nata recipi in materia, & non esse natam recipi in materia habeat ex conceptu naturæ: ergo iuxta mētem D. Thomæ non est species prædicabilis. *Deinde* iuxta ipsum ibid. art. 8. *Si autem Angelus est forma simplex abstracta à materia, impossibile est etiam fingere plures Ange-*

gelos: sed antecedens est verum, nam Angelus est forma simplex abstracta à materia: ergo & consequens est verum, ac proinde plures Angeli, quos sic, vel aliter, configunt AA. oppositi, vt saluent terminum relationis vniuersalis, sine fundamento finguntur. *Accedit* ad hæc expressa doctrina D. Thomæ 1. p. q. 13. art. 9. vbi ad vniuersale adhuc secundum rationem tantùm, exigit possibilitatem plurium inferiorum, ideoque negat naturam Solis esse secundum rem vniuersalem, bene vero secundum rationem; sed quia de hoc iterum infra.

117 *Prob. 2. conclusio* ratione. Vniuersale est vnum potens esse in multis: sed natura Angelica nō potest esse in multis: ergo natura Angelica nō est vniuersalis. Mai. est diffinitio vniuersalis, & minorē supponit presens questio, quia naturam posse esse in multis, idē est, ac eam posse multiplicari: sed supponit præsens quæstio naturam Angelicam non posse multiplicari: ergo supponit præsens quæstio eam non posse esse in multis.

118 *Dices*, quod supponitur, naturam Angelicam non posse esse in multis; cæterum cum repugnantia ad essendum in multis non proueniat ex conceptu inadæquato naturæ, sed ex conceptu adæquato comprehendente etiam indiuiduationem, inde est, quod natura Angelica inadæquate concepta, & quantum est ex conceptu specifico naturæ, possit esse vniuersalis.

119 Hæc solutio, in qua tota nititur probabilitas sententiæ oppositę, dupliciter venit impugnanda; primò probando, quod iuxta sententiam D. Thomę, quā supponit quæstio, immultiplicabilitas naturæ Angelicę oritur ex conceptu specifico naturæ; secundò, quod dummodo repugnent plura, ex quocumque capite repugnantia proueniat, repugnat vniuersalitas. Prima ergo via impugnatur. Natura Angelica ex cōceptu specifico naturę est immultiplicabilis purè indiuidualiter: sed dum concipitur inadæquate, concipitur secundum specificam rationem naturæ: ergo dum concipitur inadæquate, concipitur indiuidualiter immultiplicabilis, ac proindè etiam inadæquate concepta nequit esse vniuersalis.

120 *Prob. mai.* 1. Naturę Angelicæ ex conceptu specifico naturæ repugnat materia: ergo ex cōceptu naturæ specifico est solo numero immultiplicabilis. Antec. est certum, nam Angelus materialis figmentum est, non minus repugnans, quam Hircocernus, & conseq. prob. Cui repugnat essentiale principium multiplicationis purè numericæ, repugnat multiplicatio purè numerica, ac proindè est solo numero immultiplicabilis: sed essentiale principium multiplicationis purè numericæ est in via D. Thomæ materia: ergo

go si naturæ Angelicæ ex conceptu specifico naturæ repugnat materia, ex eodem conceptu specifico naturæ est solo numero immultiplicabilis. *Explicatur.* Angelus ex suo conceptu specifico est substantia completa immaterialis: ergo ex suo conceptu specifico excludit materiam: sed ex cõceptu, ex quo excludit materiam, pugnat cum multiplicatione purè numerica, quæ essentialiter pendet à materia: ergo ex conceptu specifico pugnat cum multiplicatione purè numerica.

121 *Si dicas* 1. quod ex conceptu specifico excludit materiã, sed non excludit omne aliud principium multiplicationis, quia ex conceptu specifico non excludi indifferentiam ad plura, sed eam admittit, indifferenti autem in quantum tali repugnare non potest multiplicari per plura.

122 *Contra est.* Nam solutio petit principium; indifferentiam enim ad plura, quam ex doctrina inconcusa D.Thomæ, probat impugnatio repugnantem, assignat pro alio principio multiplicationis à materia distincto, vndè eadem impugnatione supra posita refutatur. Indifferentia enim ad plura solo numero distincta nequit esse ex vi alicuius conceptus, vi cuius est repugnantia ad illa: sed vi conceptus specifici est in natura Angelica repugnantia ad plura solo numero distincta: ergo vi conceptus specifici non est indifferẽtia ad illa. Prob. min. ex dictis. Ex cõceptu specifico est repugnantia cum materia: ergo ex conceptu specifico est repugnantia ad plura solo numero distincta. Patet conseq iuxta sententiam, quam cum D. Thoma supponimus, nam iuxta eam hæc consequentia est infalibilis, *repugnat materia, ergo repugnat multiplicatio purè numerica*, ergo si ex conceptu etiam specifico est verum antecedens, ex eodem etiam est verum consequens, ac proindè adstrui nequit indifferentia, seu non repugnantia ad plura ex conceptu, ex quo, siue à quo repugnantia cum materia non excluditur.

123 *Ex huius* impugnationis doctrina constat nullam esse solutionem aliorum dicentiũ, quod vt res sit phisicè multiplicabilis solo numero, requiritur materia, secus tamen, vt sit logicè multiplicabilis, seu per rationem. *Nam* vt natura Angelica concipiatur, vt vniuersalis, debet concipi, vt realiter multiplicabilis intra eandem speciem, nam debet concipi, vt potens identificari realiter cum pluribus reali numero distinctis, natura enim Angelica, quæ vera, & realis natura est, nequit vere affirmari de illis, cum quibus realiter non identificatur: ergo debet concipi cum materia, siue vt materialis, cum iuxta dicta solum ratione materiæ potest esse intra eandem speciem res multiplicabilis: sed dum concipitur Angelus materialis, iam non conci-

cipitur Angelus: ergo natura Angelica nequit vere concipi vniuersalis.

124. *Prob.* 2. eadem mai. Natura Angelica supponitur in præsenti essentialiter immultiplicabilis intra eandem speciem iuxta sententiam D.Thomæ: ergo supponitur immultiplicabilis ex cōceptu specifico, & non solùm ex conceptu purè indiuiduali. Prob. conseq. Supponitur immultiplicabilis essentialiter, ita, vt conceptus specificus naturæ Angelicæ non saluetur, si in pluribus solo numero distinctis eadē specificè reperiatur natura: ergo supponitur immultiplicabilis ex cōceptu specifico, & non solum ex conceptu purè indiuiduali. Patet conseq. nā si multiplicatio oppositionem nō habeat cum conceptu specifico, quod est idē, ac ex conceptu specifico non esse immultiplicabilē, saluabitur conceptus specificus illius naturæ, etiā si in pluribus reperiatur, & si cōceptus indiuidualis illæsus non maneat. Antec. autē ex eo constat, quod hæc est sententia, quæ supponitur in præsenti, scilicèt, quod cōceptus specificus naturæ Angelicæ destrueretur, si cum pluribus identificaretur solo numero distinctis, hoc enim est, quod sententia D.Thomæ propugnat, contra asserentes naturam Angelicam esse essentialiter capacem, vt pluribus gaudeat indiuiduis intra eandem speciem.

125. *Confirm.* & explicatur. Natura Angelica non est immultiplicabilis ex eo præcisè, quod est in vno indiuiduo, cum ex sua specie potuerit esse in pluribus, hoc enim esset deludere, potius, quàm supponere sententiam D.Thomæ, nā ita fieret, quod ea species, *Angelus* scilicèt, posset esse multiplex numero, & solum non posset esse multiplex numero, quia *Gabriel*, vel *Michael*, quod quidem in qualibet specie materiali essentialiter multiplicabili contingit, cum Petrus non possit esse multiplex numero, & si *homo* sit multiplex numero: ergo ne sententia de immultiplicabilitate naturæ Angelicæ ad hos terminos à disputatione alienos trahatur, ita est immultiplicabilis ex eo quod est in vno indiuiduo, quod ipsa ex sua specie non potuerit esse in pluribus: ergo ipsa ex sua specie est solo numero immultiplicabilis.

126. *Vrgetur.* Hæc consequentia est legitima: *Angelus est in suo esse specifico substantia completè immaterialis: ergo est vnicum indiuiduum*: ergo non stat, quod antecedens sit verum, & consequens sit falsum: ergo ex conceptu specifico est connexus Angelus cum eo, quod non sit multiplex solo numero, ac proindè cum eo, quod non dentur plura indiuidua intra eandem speciem: ergo ex conceptu specifico oritur repugnantia ad multiplicationem.

127. *Si dicas*, quod illa consequentia est bona, si arguatur à cōceptu specifico naturæ Angelicæ

ticeus tamen, si arguatur ab eo præcisè, & inadæquatè sumpto, quomodo non connectitur cum consequenti, sicut licet bene valeat, *est bonum, ergo verum*, quia vtrumque est in re idem, obiectiue tamen, & implicitè, vnum ab altero præscindit.

128 *Contra est*. Nam arguere à conceptu specifico realiter sumpto, seu prout est in re, est arguere à natura specifica prout reperitur indiuiduata, v.g. in Gabriele: ergo si solum sic arguendo, illa consequentia est bona, solum habet repugnantiam cum multiplicatione purè numerica natura Angelica prout in Gabriele, secus vero natura Angelica: at hoc est alienum omnino à sententia Thomistica, imo à quacumque sententia, cum nullus dubitauerit, quod natura Angelica prout indiuiduata nequeat esse multiplex: ergo. *Explicatur*. Vel natura Angelica, saluis constitutiuis metaphisicis prout in sua specie, connectitur essentialiter cũ eo, quod sit vnum tantum indiuiduum, vel non connectitur: si non connectitur ergo & si talis natura sit solum Gabriel, v.g. hoc tamen est per accidens, & aliter potuit euenire, potuit enim, salua eius specie metaphisica, esse in pluribus: ergo sententia D. Thomæ non aliter debet intelligi, quàm posset sustineri de qualibet natura materiali? v.g. de natura Solis, quam Deus vnico alligauit indiuiduo, cum tamen absolute posset in plura diuidere: consequens reddit falsam sententiam, quam supponit: ergo falsum est antecedens. *Si connectitur*: ergo prædicata metaphisica Angeli prout ipsum constituunt metaphisice in sua specie repugnant cum falsitate illius consequentis: vel ergo immultiplicabilitas naturæ Angelicæ deseritur, vel ex specie sua pugnat cum pluralitate, quam requirit vniuersalitas.

129 *Quod si* propter hæc dicas, verum esse, quod natura Angelica nequit in sua specie præscindere saltim pro implicito à radice vnius singularitatis; cum tamen à singularitate ipsa omnino præscindat, potest concipi, vt indifferens ad plura, ac subindè, vt vniuersalis.

130 *Contra est*. Quia conceptus specificus, includens metaphisice radicem vnius tantum singularitatis est conceptus includens obiectiue repugnantiam ad plura: sed cum obiectiua inclusione repugnantiæ ad plura non stat vniuersalitas, *tùm* quia non stat obiectiua indifferentia, quam vniuersalitas requirit, *tùm* quia semper manet obiectiue ex tali conceptu repugnans terminus vniuersalitatis, multiplex scilicèt indiuiduum, *tùm* quia si obiectiue includeret, & si nõ explicaret, ipsam singularitatem, non esset vniuersalis: sed quoad repugnantiam ad plura, quam excludit vniuersalitas, obstat non minus radix vnius tantum singularitatis cum pluribus in-

incomponibilis, quam ipsa singularitas; licet hæc formaliter, illa verò radicaliter obstet: ergo ea præcisio solum pro explicito à radice vnius tantùm singularitatis obstat vniuersalitati.

131 *Hinc excluditur* alia solutio asserens, quod prædicata specifica possunt considerari, vt constituentia naturam, & vt radicantia vnicam tantum singularitatē, & sub primo munere possint subire denominationem vniuersalis. *Excluditur*, inquam, nam ea duo munera, vel ita adæquate distinguuntur, vt conceptus constituendi speciem excludat obiectiue conceptum radicis; vel inadæquate, & ita, vt vnus alium obiectiue includat: Primum est falsum, vt probationes adductæ conuincunt, alias conceptus constitutiuus speciei nullam ex se haberet repugnantiam cum multiplicatione, quod ostendimus falsum. Si inadequate, & vt communiter solent à Thomistis distingui penes implicitum, & explicitum conceptus essentiæ, & naturæ; ergo conceptus constituendi speciem includit obiectiue radicem vnius tantùm singularitatis, ac proinde repugnantiam ad plura. *Hinc* exemplum præcisionis veri à bono, quo solent muniri hæ solutiones, & quod pro se adducebat solutio assignata n. 12. est nullum; nam verum non præscindit præcisione perfecta à bono, sicque vnum essentialiter metaphisice includitur in altero, cum tamen præcisio, de quā est litigiū, debeat esse talis, vt natura Angelica excluderet à suo conceptu repugnantiam ad plura, vt esset logicè vniuersalis; sicut conceptus non excludens differentias inferiorum, conceptus v.g. entis, non est logicè vnus, & vniuocus.

132 *Prob.* denique eadem maior. Indiuiduatio vna, vel multiplex est propter naturam, & non è conuerso: ergo quod multiplex indiuiduum sit possibile, vel impossibile, oritur, vt ex prima radice ex natura: ergo si multiplex indiuiduum intra eandem speciem repugnat in natura Angelica, hæc repugnantia oritur ex conceptu naturæ. Hæc secunda conseq. legitime infertur ex prima, & prima ex anteced. nam in his, quæ propter aliud producuntur, ex illo alio habent, vt ex prima radice, sicut quod dentur, vel non dentur, quod sint, vel non sint possibilia, qua ratione probant cum D. Thoma communiter eius discipuli, quod, & si possibilia essent plura indiuidua Angelica intra eandem speciem, de facto tamen non darentur, quia eis in suo conseruari, & operari natura non indiget, sicut videmus quod in natura Solis vnicum tantum est indiuiduum, & si plura sint absolutè possibilia. *Explicatur*. Quod plura indiuidua sint possibilia in specie substantiali materiali; oritur ex conceptu specifico naturæ materialis, quia enim talis essentia est

est, petit plura indiuidua: ergo quod in specie substantiali omnino immateriali, repugnent plura indiuidua, oritur ex conceptu specifico naturæ omnino immaterialis.

133 *Alia* via supra proposita impugnatur doctrina solutionis principalis, si priùs obserues duo, quæ videntur omninò certa. *Primum* est, quid diuersum esse, quod alicui ex aliquo capite non repugnet, ab eo, quod sit possibile; ad primum enim sufficit, quod ex illo capite repugnantia non oriatur, ad secundum vero est necessum, quod possint poni, quæ ad eius existentiam requiruntur; qua ratione, & si homini ex capite animalis non repugnet hinnibilitas, hominem tamen hinnire, est impossibile. *Secundum* est, quod licèt relatio, qua natura vera, & realis, respicit, vt vniuersalis, inferiora, sit opus rationis, & relatio ficta, media tamen illa nequit natura vera, & realis, refferri ad indiuidua ficta; nam solum potest esse vniuersalis respectu eorum, de quibus prædicetur prædicatione vera: sed natura vera, & realis, nequit vere prædicari de indiuidus fictis: ergo nequit vera, & realis natura, refferri relatione vniuersalis ad indiuidua ficta. His obseruatis.

134 *Opposita* doctrinæ solutio impugnatur. Et si repugnātia plurium indiuiduorum non oriatur ex cōceptu specifico naturæ, plura tamen indiuidua Angelica intra eandem speciem sunt omninò impossibilia: sed natura Angelica nequit respicere, vt inferiora, indiuidua omninò impossibilia: ergo nequit respicere, vt inferiora, plura intra eandem speciem indiuidua Angelica: ergo nequit esse species prædicabilis. Hæc vltima conseq patet, nam terminus relationis speciei sunt plura indiuidua ipsam participantia; sed repugnāte termino relationis, repugnat relatio: ergo si plura indiuidua Angelica intra candē speciem sunt impossibilia, impossibilis quoque est naturæ Angelicæ relatio speciei. Min. autē, in qua sola est difficultas, prob. Natura Angelica nequit esse species prædicabilis respectu eorum indiuiduorum, cum quibus nequit identificari, ac proindè de quibus nequit verè prædicari, cum vniuersale sit vnum potens identificari cum multis, & prædicari de multis: sed vera, & realis natura, qualis est natura Angelica, nequit identificari cum indiuiduis impossibilibus, & de ipsis prædicari: ergo nequit respicere, vt inferiora, indiuidua impossibilia.

135 *Dices* 1, quod terminus primarius relationis speciei potest esse vnicum tantùm indiuiduum, si tamen ita respiciatur à natura, vt non se adæquet cum illo, nam hoc ipso, quod indiuiduum respiciat non se adæquando cum illo, respicit illud natura, vt superior, & consequenter potens, quantum est ex se, ad plura se exten-

tendere, in quo vniuersalitas consistit.

136 *Sed contra* est, quia in primis confingitur nouus terminus vniuersalitatis, quo quæstio hæc redditur inutilis; eo enim dubium præsens iudicatur difficile, quia vniuersale est vnum in multis, & de multis, vt Logici omnes vno ore tradunt, & supponitur vlterius ea multa esse impossibilia in specie Angelica: ergo si pro termino vniuersalitatis assignatur vnum tantùm indiuiduum, & diffinitio communis deseritur, & quæstio præsens fit inutilis. *Vlterius*. Natura Angelica iuxta solutionem ita respicit illud vnicum indiuiduum, vt non se adæquet cum illo, ac proindè, vt quantum est ex se, valeat extendi ad plura, aliter non erit vniuersalis: ergo illud vnicum indiuiduũ non est terminus adæquans naturæ vniuersalitatem: ergo restant alia indiuidua, ex quibus, & illo indiuiduo, cõsurgat terminus adæquatus formalis illius relationis, qualibet enim relatio est ad suũ terminum formalem adæquatum; ergo restat, quod solutio explicet, quomodo illa alia indiuidua, cũ supponantur impossibilia, sint inferiora, cũ quibus possit natura vera, & realis, quãtum est ex se, identificari, & sic incidit solutio in difficultatem, à qua fugit. *Denique*. Natura vera, & realis, cũ solo termino vero, & reali, ac proindè possibili, est adæquataa, nequit enim cum impossibilibus identificari: ergo vel alia indiuidua sunt possibilia, & sic tollitur casus quæstionis, vel natura respicit pro termino vnicum indiuiduum se adæquando cum illo.

137 *Dices* 2. quod licèt plura indiuidua Angelica intra eandem speciem sint impossibilia, non sunt tamen impossibilia ex conceptu naturæ, ac proindè natura refertur ad illa, vt ad terminum, cum quo posset, quantum est ex se identificari, si aliàs illa ex se ipsis non repugnarent.

138 *Sed contra est* 1. Licèt illa plura non sint impossibilia ex cõceptu naturæ, naturæ tamen ex conceptu naturæ repugnat identificari cum impossibilibus: ergo si illa plura sunt ex se impossibilia, nequit natura, quantum est ex se, identificari cum illis. Prob. antec. Enti vero, & reali, repugnat ex suo proprio conceptu idẽtificatio cum ente chimerico, & impossibili: sed natura Angelica ex conceptu naturæ est ens verũ, & reale: ergo ex conceptu naturæ repugnat ei identificatio cum indiuiduis impossibilibus. *Explicatur*, quod impossibilitas mentis aurei v. g. non proueniat ex eo, quod homo sit in proprio cõceptu ens verũ, & reale, homini tamẽ ex proprio conceptu repugnat identificatio cum mõte aureo, & hoc ideò quia aliud est, quod ex proprio conceptu hominis impossibilitas illius aggregati non proueniat, aliud, quod non proueniat ex proprio hominis cõceptu

repugnantia, vt identificetur cum illo, sicut, & cum quolibet impossibili: ergo & si ex conceptu proprio naturæ Angelicæ nō oriatur impossibilitas, cōceptui tamē proprio naturæ Angelicæ repugnat idētificatio cū impossibilius.

139 *Contrà* 2. Vel natura Angelica, pro casu, pro quo illa plura non essent ex se impossibilia, ea respiceret, modo tamen ea nō respicit, vel modo ea respicit sub conditione ex parte ipsorū, quod essent possibilia: Si primum; sequitur, quod modo non sit vniuersalis, sed quod esset in casu, qui non esset casus quæstionis, imò in casu, in quo non esset natura Angelica, nam natura Angelica non est, sed natura materialis, intra cuius speciem sunt plura indiuidua possibilia. *Si secundum*: ergo modo habet pro termino formali, & primario suæ vniuersalitatis natura Angelica terminum absolutè impossibilem, & si possibilem sub hypotesi, seu conditione impossibili. At hoc est falsum, & in via D. Thomæ nullatenus sustinendum; ideo enim negant Thomistæ possibilitatem pœnitentiæ in Christo D. quia actus primarius pœnitentiæ, dolor scilicèt de peccatis, est Christo impossibilis, nec sufficiētem putant dolorē, quo doleret, si peccaret; similiterque negāt possibilitatē temperantiæ in Angelis, quia moderatio passionū illis est impossibilis, nec satis indicant actus conditionatos, quibus moderarētur passion[illegible]æ essent possibiles.

140 *Dices* denique, quod natura Angelica respicit pro termino primario plura, non quidem in re existentia, aut possibilia, bene tamen existētia obiectiuè, siue concepta vt possibilia cum fundamento in re; in ipso scilicèt cōceptu naturæ, nā hoc ipso, quod ex tali conceptu non repugnant, adest in tali conceptu fundamentum ad illa concipienda, vt possibilia, quod sufficit ad vniuersale secundum rationem tantum, cuiusmodi est natura Angelica.

141 *Sed contra est*. Quia plura illa indiuidua concepta, vt possibilia, siue (quod idem est iuxta solutionem) vt obiectiuè existentia, vel sunt indiuidua ficta, vel sunt vera, & realia indiuidua: neutro modo tenet solutio: ergo est nulla. Prob. min. quoad 1. partem: Indiuidua, quæ respiciat natura Angelica pro termino suæ vniuersalitatis, debent esse talia, vt cum ipsis possit natura identificari, verèque de ipsis prædicari: sed vera, & realis natura, qualis est Angelica, nequit identificari cum indiuiduis fictis, nec verè de ipsis prædicari: ergo indiuidua illa obiectiuè, existentia, vel non sunt terminus naturæ Angelicæ in ratione vniuersalis, vel non sunt indiuidua ficta. *Explicatur* ex prænotatis: Et si relatio, qua natura respiciat inferiora, sit relatio rationis, natura tamen Angelica, quæ refertur media illa, est natura vera, & realis, cui correspondent pro termino indi-

diuidua, quæ licèt vt subijcibilia dicant respectum rationis, quæ tamen talem respectum dicunt, sunt vera, & realia indiuidua, aliter de ipsis numquam poterit verè prædicari natura Angelica : ergo vel terminus vniuersalitatis naturæ veræ, & realis, non sunt plura inferiora, vel non sunt plura inferiora ficta.

142 *Quod autem* illa indiuidua non sint vera, & realia, prob. Indiuidua illa talia sunt, vt eis repugnet pro aliquo casu possibili poni in re : ergo non sunt indiuidua vera, & realia. *Vlterius.* Ea indiuidua obiectiuè existentia talia sunt, vt si existerent, cum contradictione existerent : sed ens verum, & reale, tale est, vt si existat, sine contradictione existat : ergo talia indiuidua non sunt ens verum, & reale. *Ex quo* sequitur, quod talia indiuidua sunt indiuidua ficta. Illud enim, cui repugnat habere aliud esse, præter esse obiectiuum in intellectu, est ens rationis, & fictum, nisi communis entis rationis diffinitio deseratur; sed illa indiuidua obiectiuè existētia nullum aliud possunt habere esse præter esse obiectiuum in intellectu ea sic concipiente : ergo sunt indiuidua ficta.

143 *Nec dicas*, quod non possunt habere aliud esse absolutè, bene tamen ex conceptu naturæ, ex quo non repugnat ea habere esse reale. *Nam* in primis sequitur, nullam ferè esse chimæram, quam à linea entis ficti non possis relegare, & intra lineam entis veri, & realis constituere ; identitas enim hominis cum equo non repugnat ex capite animalis, ac proindè si hoc sufficit, vt sit aliquomodo verum ens reale possibile, erit in aliquo sensu talis idētitas vere, & realiter possibilis. *Deinde* illa indiuidua sic obiectiuè existentia sunt simpliciter, & absolutè in linea, vel entis realis, vel rationis : sed non sunt absolutè, & simpliciter in linea entis realis, cum simpliciter, & absolutè repugnent : ergo sunt simpliciter, & absolutè indiuidua rationis, seu ficta : sed ipsi naturæ Angelicæ repugnat ex conceptu veræ, & realis naturæ, prædicari verè de indiuiduis simpliciter, & absolutè fictis, & si ex illa non oriatur repugnantia, vt non sint entia ficta, vt supra est ostensum : ergo.

144 *Confirm.* Repugnat ordo ad terminum primarium absolutè impossibilem, & si repugnantia non oriatur ex omni capite; ergo repugnat ordo in natura ad veram identitatem cum pluribus, si vera identitas cum pluribus est absolutè impossibilis, & si impossibilitas non oriatur ex conceptu naturæ. Patet conseq. Et antec. ostenditur. *Tùm*, quia dū actus est absolutè impossibilis, aptitudo ad illum est absolutè impossibilis. *Tùm* (& tacita solutio præoccupatur) quia si actus primarius alicuius ordinis, seu aptitudinis, esset actus præcisè vt non repugnās ex aliquo capite, posset de-

defensari in Christo pœnitentia ad dolorem de peccatis non repugnantem ex capite naturæ humanæ, nam & si ipsi naturæ assumptæ repugnent peccata, non tamen ex ipsa, sicut plura indiuidua repugnant naturæ Angelicæ, & si non ex ipsa: Similiter posset defendi in Angelis temperantia ad moderamen passionum, vt non repugnātium ipsis ex capite creaturæ intellectualis, & si repugnent absolutè, quia creatura purè, & perfectè intellectualis est: consequens est falsum, præsertim in via D. Thomæ: ergo falsum est antecedens.

145 *Ex quibus* vltimò impugnatur solutio. Quod indiuidua Angelica non repugnent ex conceptu inadæquato naturæ, verificatur per hoc, quod talis conceptus omnino præscindat à titulo repugnantiæ, nam hoc ipso ex conceptu sic præscindente indiuidua non repugnat: sed hoc non est sufficiens fundamentum, vt indiuidua concipiantur possibilia, vera possibilitate, nec absolutè, nec ex capite, seu conceptu naturæ: ergo non repugnantia plurium ex conceptu naturæ, non sufficit, vt concipiantur possibilia, possibilitate, quam vera, & realis natura exigit, vt possit affirmari verè de ipsis. Min. quoad eius primam partem de absoluta possibilitate fatetur solutio, & quoad 2. prob. *Tum* ratione. Per hoc quod conceptus ille præscindat tàm à titulo impossibilitatis, quam à titulo possibilitatis plurium, præscindit a titulo impossibilitatis plurium, si enim præscindit ab vtroque, ergo præscindit ab vno: sed ex vi conceptus præscindentis tàm ab impossibilitate, quàm à possibilitate plurium, non est fundamentum, vt illa plura potius concipiantur ex vi illius conceptus possibilia, quàm impossibilia: ergo ex hoc, quod ille conceptus omnino præscindat à titulo impossibilitatis plurium, non habetur sufficiens fundamentum, vt illa plura concipiantur ex vi talis conceptus possibilia.

146 *Tum* exemplo, quod ipsis Logicis est manifestum; quod enim conceptus naturæ secundum se præscindat omnino à singularitate, non sufficit, vt verè affirmetur, quod natura ex vi talis conceptus est non singularis, quia ex vi talis conceptus tàm à singularitate, quàm à non singularitate præscindit, quod sufficit, vt à singularitate præscindat: ergo quod conceptus specificus naturæ Angelicæ præscindat omnino ab impossibilitate plurium, non sufficit vt cum fundamento in re affirmetur, quod ex vi talis conceptus plura sint possibilia, seu sint non impossibilia, per hoc enim, quod ab vtroque præscindat verificatur, quod ab impossibilitate plurium præscindit: minus ergo rectè assignatur pro fundamento ad concipienda plura indiuidua verè pos-

possibilia ex conceptu naturæ, conceptus ipse naturæ non dicens impossibilitatem plurium.

§. II.

Soluuntur argumenta.

147 OBijcies 1. D. Thom. in quæst. vnica de spiritualibus creaturis art. 9. ad 4. dicente: *Sicut hæc albedo non prohibetur habere sub se multa indiuidua ex hoc, quod est albedo, sed ex hoc, quod est in hoc, quod pertinet ad rationem indiuidui, ita natura huius Angeli non prohibetur esse in multis ex hoc, quod est natura in tali ordine rerum, quod pertinet ad rationem speciei, sed ex hoc, quod non est nata recipi in aliquo subiecto, quod pertinet ad rationem indiuidui.* Ex quibus clare constat, quod conceptus specificus naturæ Angelicæ nullum habet ex se impedimentum, vt possit esse in pluribus, sed omne impedimentum prouenire ex conceptu indiuidui, à quo cum præscindat conceptus specificus, potest sub induere intentionem vniuersalis.

148 *Confirm.* 1. ex eodem Angel. Præcept. 1. p. q. 13. art. 9. asserente, naturam Solis posse intelligi vt in pluribus existentem, *quia intellectus intelligit naturam cuiuslibet speciei per abstractionem à singulari*: quam doctrinam affert etiam pro natura Angelica opusc. 42. cap. 5. dicens, *quia naturam Angelicam cognoscimus per speciem alienam naturæ materialis, & non per propriam, ideo formamus intētiones communes, quæ vniformiter istis, & illis conueniunt.*

149 *Sed in primis*, ex testimonijs D. Thomæ tantum habetur, quod impedimentum, vt natura Angelica sit in multis, non oritur ex conceptu speciei, ac proindè quod talis conceptus ab impedimento præscindit; ex quo non sequitur, quod ex vi talis conceptus sit fundamentum, vt concipiatur, vt positiuè potens esse in pluribus, nam præcisio à repugnantia plurium non est sufficiens fundamentum ad concipiendam plurium possibilitatem positiuam, si alias illa plura absolutè repugnent, vt probatum est.

150 *Nec obstat*, si dicas. Vbi nullum est impedimentum, vt natura comparetur ad plura, potest intellectus eam comparare ad plura: sed si natura inadæquatè concepta præscindit secundum conceptum specificum ab impedimento plurium, nullum est in ea vt sic concepta impedimentum, vt comparetur ad plura: ergo potest intellectus eam comparare ad plura.

151 *Resp.* disting. mai. Vbi nullum est *contrariè* impedimentum, conced. mai. vbi nullum est *purè præcisiuè*, subdisting. potest *prohibito, & sine fundamento ex parte obiecti* comparare naturam ad plura, omitt. mai. *cum fundamento ex parte obiecti*, neg. mai. Sicut aërem secundum se non habere lucem,

non præbet fundamentum, vt cōcipiatur secundum se tenebrosus, ita naturam Angelicam ex conceptu specifico naturæ non esse singularem, quod est non habere impedimentum præcisiuè, non est fundamentum sufficiens, vt concipiatur non singularis, seu potens esse in multis; nam ex vi illius conceptu tam ab impedimēto, quam ab exclusione impedimenti præscindit. *Præterquam quod* illa plura semper remanent impossibilia, & licèt ex natura non oriatur impossibilitas eorum, ex illa tamen oritur repugnantia, vt identificetur cum indiuiduis ex se impossibilibus.

152 *Instabis.* Et si ex vi talis conceptus non sit fundamentum, vt comparetur ad plura indiuidua possibilia absolutè, bene tamen ad plura possibilia ex tali conceptu naturæ, cum ex tali conceptu non repugnent: ergo per comparationem ad plura, vt præcisè possibilia ex tali conceptu, potest natura Angelica esse vniuersalis. *Vlterius* natura abstracta abstractione purè negatiua à singularitate est fundamentum proximum vniuersalitatis Logicæ, vt nos ipsi propugnauimus q. 2. sed vniuersalitas Logica consistit in comparatione ad plura, & per abstractionem negatiuam concipitur natura vt præcisè non habens impedimentum ad plura: ergo naturam Angelicam non habere ex conceptu naturæ impedimentum ad plura, est sufficiens fundamentum, vt comparetur ad plura. *Denique.* Si plura non repugnāt ex conceptu naturæ, ita respicit natura, quantum est ex se, illa plura, vt si ipsa aliàs non repugnarent, cum ipsis identificaretur, sicut identificatur cum illo vnico indiuiduo, quod habet: ergo potest eadem relatione respicere illud vnicum indiuiduum, & illa plura, si non repugnarent, sicut datur de facto potentia visiua, quę prout est modo, & eadem manens, posset videre Angelum, si esset coloratus.

153 *Resp.* ad 1. instantiam neg. anteced. *Tùm* quia per hoc, quod sint possibilia ex tali conceptu, nō desinunt esse absolutè impossibilia, & indiuidua ficta, ad quæ ipsa natura ex conceptu naturæ pugnat comparari. *Tùm* quia repugnante pro omni casu termino primario relationis, repugnat absolutè relatio, & per hoc, quod plura ex conceptu naturæ non repugnent, non redditur possibilis pro aliquo casu identitas cum pluribus. *Tùm* quia licèt non repugnans absolutè, & possibile æquipolleat, secus tamen non repugnans ex aliquo tantum capite, & possibile adhuc ex illo capite. Quod patet exemplo supra adducto, & satis manifesto; licèt enim aliquid non esse non singulare absolutè, inferat bene esse singulare, non esse tamen ex aliquo tantum capite non singulare, non infert esse ex illo capite singulare, vnde non bene valet, *homo secundum se non est*

non

non singularis, ergo secundum se est singularis; quia secundum se, siue ex capite prædicatorum essentialium ab vtroque præscindit: ergo quod plura indiuidua non sint ex conceptu naturæ impossibilia, seu non possibilia, nō infert, quod ex conceptu naturæ sint possibilia, potest enim ex conceptu naturæ tàm à possibilitate positiua, quàm ab eius exclusione præscindere.

154 *Ad 2. instantiam*, disting. mai. natura abstracta abstractione negatiua, *si ex se inferat possibilitatem plurium*, est fundamentum proximum vniuersalitatis Logicæ, conced. mai. *si non inferat*, neg. mai. & disting. min. concipitur natura, vt præcisè non habens *formaliter* impedimentum ad plura, conced. min. vt præcisè non habens *illatiuè*, neg. min. & conseq. quia vt constat ex dictis ibidem, solùm ponitur fundamētum proximum vniuersalitatis Logicæ per abstractionem negatiuam; cum natura abstracta, titulo materialis infert possibilitatem plurium, quæ possunt cognosci in ipso exercitio, quo comparatur ad illa, nam per præcisè non dicere impedimentum, sufficiens fundamentum non ponitur.

155 *Ad 3. instantiam*, neg. antecéd. nam si illa plura non repugnarent, respiceret tunc casus illa indiuidua natura, quæ tunc casus non esset natura Angelica, modo tamen illa non respicit, quia respectus est impossibilis, dum terminus formalis primarius est impossibilis. *Nec exemplum* adductum probat oppositum, nam eo omisso, adest disparitas; quia & si Angelus coloratus absolutè repugnet, non tamen ideo repugnat obiectum formale primarium potentiæ visiuæ, scilicèt coloratum, à quo solo pendet species potentiæ, sicut ex eo quod deficiat similiter hic determinate filius, dum filius detur, datur terminus formalis primarius paternitatis; at repugnante identitate cum pluribus, repugnat actus primarius, terminusque formalis vniuersalitatis, ac proindè repugnat vniuersalitas.

156 *Hæc diximus*, vt constet quod nullatenus infertur, naturam posse cum fundamento concipi, vt positiuè potentem identificari cum pluribus, ex quo secundum conceptum naturæ non prohibeatur esse in pluribus, vt asserit D. Thomas. *Modo* insistendo primo conclusionis fundamēto, aliter resp. explicando D. Thomæ testimonium; natura huius Angeli non prohibetur esse in multis ex eo quod pertinet *explicitè* ad rationem speciei, cōced. antec. ex eo, quod pertinet *implicitè* neg. antec. nam licèt natura Angelica ex conceptu specifico non exprimat repugnantiam ad plura, eam tamen includit, nam includit exigentiam vnius tantum singularitatis, quæ exigentia est principium oppositum plurium indiuiduorum possibilitati. ...

157 *Instabis* 1. D. Thomas duo asserit, & quod esse in pluribus non prohibetur naturæ Angelicæ ex conceptu specifico, & quod prohibetur ex cōceptu pertinente ad rationem indiuidui, ac proinde sentit, quod ex solo conceptu indiuidui oritur repugnantia: ergo non oritur ex conceptu specifico pro implicito, nam conceptus ille adhuc pro implicito, & pertinet ad rationem speciei, & non pertinet ad rationem indiuidui.

158 *Instabis* 2. Si illa repugnantia ortum traheret ex exigentia conceptus specifici, potiori iure debuit dicere D. Thomas, quod repugnantia oritur ex pertinētibus ad rationem speciei, quā ex pertinētibus ad ratione inidui-dui, cum conceptus ille radicis vnius singularitatis pertineat formaliter ad rationem speciei, & solum radicaliter, seu illatiuè ad rationem indiuidui: sed Diu. Thomas oppositum asserit, reducens repugnantiam ad solam rationem indiuidui: ergo in conceptu specifico nulla est repugnantia.

159 *Instabis* 3. Si conceptus radicandi vnicam singularitatem pertinet ad rationem speciei, talis conceptus radicis se habebit vt conceptus inadæquatè solùm distinctus à conceptu differentiali speciei: sed conceptus solùm inadæquatè distinctus à conceptu differētiali speciei, pertinet explicitè ad rationem speciei; ergo vel in conceptu specifico nō est ratio radicis, vel natura Angelica prohibetur esse in multis ex eo, quod pertinet *explicitè* ad rationē speciei. Omnia patent, & min. prob. ex eo, quod non alia ratione conceptus *ad* pertinet explicitè ad rationem specificā relationis, nisi quia inadæquatè differtā conceptu peculiari *In*. Denique. Singularitas non est passio naturæ Angelicæ: ergo non radicatur in ipsa natura, nam solùm passiones alicuius essentiæ radicantur in illa.

160 *Resp.* ad 1. instantiam disting. anteced. sentit D. Thomas, quod ex solo conceptu indiuidui oritur *formaliter*, & *proximè*, repugnantia, conced. antec. *exigentialiter*, & *illatiuè*, subdist. ex solo conceptu indiuidui, *radicaliter sumpti* conc. antec. *formaliter sumpti*, neg. antec. formalis, & immediata oppositio cum pluribus oritur ex eo, quod natura illa non est nisi in vno indiuiduo, ratio tamē, & radix, cur nequeat esse, nisi in vno, petitur ex immaterialitate completa constituente speciem; ex quo non sequitur, quod fallo dixerit D. Thomas, quod repugnantia illa non oritur ex conceptu specifico, sed ex conceptu indiuiduali. *Nam* ea exigentia est conceptus ipse indiuidui radicaliter sumpti, qui quidem conceptus, & si sit de pertinentibus implicitè ad rationem speciei, secus explicitè, in quo solo sensu negat D. Thomas repugnantiam pertinere ad rationem speciei.

161 *Ad 2. instantiam* neg. sequelam: nam D. Thomas ita asseruit pertinere ad rationem indiuidui repugnantiam, vt conceptum specificum includeret, & sic solum ab eo illam excludere intelligeretur pro explicito constitutionis specificæ; ait enim, quod ea natura prohibetur esse in multis ex eo, *quod non est nata recipi in aliquo subiecto*, naturam autem non esse natam recipi, est ipsam (quod verba etiam sonant) non esse natam, non præcisè indiuiduū, ac proindè ex ipsa natura prouenit repugnantia; vt recipiatur in subiecto, seu materia, à qua pēdet essentialiter pluralitas: quia tamen talis conceptus nō pertinet explicitè ad constitutionem speciei, & est ipse conceptus radicalis indiuidui, potiori iure dixit, oriri repugnantiam ex pertinentibus ad rationem indiuidui, & non ex pertinentibus ad rationem speciei.

162 *Ad 3. instantiam* resp. concessa mai. disting. min. pertinet explicitè ad rationem speciei, *adæquatam, vt ambit vtrumque munus constituendi, & radicandi*, conced. min. *inadæquatam, & sub munere præciso constituendi*, neg. min. & conseq. sicut natura sub munere naturæ non pertinet ad expressum conceptum essentiæ sub munere essentiæ, vtrumque tamen munus est de ratione explicita adæquata eiusdem quidditatis; ita immaterialitas specifica completa sub munere radicandi vnicum indiuiduum non pertinet ad expressum conceptum sui ipsius sub munere constituentis, vtrumque tamen munus est de ratione explicita adæquata speciei. Quod exemplo magis ad rem comprobatur in ipsa natura materiali, cuius naturæ specificè pars est materia, ac proindè pertinens ad rationem speciei, quæ tamen materia per modum radicis exigit plura indiuidua possibilia sub ea natura specifica, quam cōponit; vnde vterque conceptus est de ratione adæquata illius, & si sub munere radicandi sit solum pro implicito de conceptu ipsius sub munere componendi, seu constituendi speciem.

163 *Ad vltimam* resp. quod radicatio vnius singularitatis in natura complete spirituali, vel plurium in natura materiali, non sumitur strictè pro radicatione eius generis, qualis est passionum fluentium à natura, sed pro exigentia identitatis cum vna tantum, vel pluribus singularitatibus, fundata in ipso cōceptu specifico; ex eo enim, quod natura talis speciei est, exigit vnū tantū indiuiduū, vel plura esse possibilia.

164 *Si dicas*. Natura Angelica ex conceptu generico est spiritualis complete: & tamen ex conceptu generico non infert impossibilitatem plurium indiuiduorum: ergo nec etiam ex immaterialitate completa specifica infertur eorum impossibilitas. *Vlterius*. Præcisio solum quoad explicitum entis à modis ipsum di-

diuidentibus, sufficit, vt cum fundamento in re possimus ipsum concipere sub positiua vnitate: ergo si saltim quoad explicitum præscindit natura à determinatione ad vnicum indiuiduum, & exigentia illius, hoc sufficiet, vt cum fundamento in re possimus ipsam concipere sub positiua communitate.

165 *Resp.* concessa mai. disting. min. non infert ex conceptu generico impossibilitatem plurium, *quæ specie, & numero differant*, conced. min. *quæ solo numero differant*, neg. min. non negamus naturæ Angelicæ, nisi possibilitatem termini primarij relationis speciei prædicabilis, plura scilicet solo numero distincta, hæc autem repugnant ex quocumque conceptu, ex quo repugnet materia, ac proindè repugnant ex conceptu generico spiritualitatis completæ.

166 *Ad aliam* instantiam resp. quod ens concipimus sub positiua vnitate, quæ talis est solùm pro explicito, & qua conceptus communis entis est vnus solùm dialecticè, & ex modo significandi, secus logicè, & obiectiuè, vnde defectu vnitatis excluditur communiter à ratione vniuersalis: ex quo solùm sequitur, quod natura Angelica sit dialecticè cōmunis, secus logicè, & obiectiuè. *Præter quam quod* inferiora entis cognoscit intellectus similia in essendo, in qua similitudine potest inuenire fundamentum vt ea concipiat vt vnum, non quia præcisè ens à pluralitate præscindat: at plura indiuidua Angelica specificè similia repugnant, & alias pura præcisio à non repugnantia non sufficit, vt concipiantur, vt positiuè possibilia.

167 *Ex his* tandem constat ad confirmationem principalis argumēti ex D. Thom. ideo enim naturam Solis dixit vniuersalem, & hoc secundum rationem tantum, quia intellectus intelligit naturam per abstractionem a singulari, supposita tamen plurium possibilitate, quæ ex ipsa quidditate naturæ abstractæ colligatur; alias, vt quid ibi D. Thomas exigit plurium indiniduorum possibilitatem, vt naturam Solis statuat vniuersalem secundum rationē tantum, & vt distinctam à natura de facto existente in pluribus, quam vocat vniuersalem secundum rem, & rationem? *Ad aliud* testimonium ex opusc 42. quod opusculum est dubij Authoris, resp. quod naturam Angelicam concipi per speciem rei materialis, sicut non sufficit, vt eam concipiamus communem ad indiuidua materialia, ita nec vt ea concipiamus pluribus indiuiduis communem; solùm quippè ei possumus tribuere intentiones, quarum est capax, & in quarum capacitate conuenit cum natura materiali.

168 *Obijcies* 2. Prædicatio naturæ Gabrielis de Gabriele est prędicatio superioris de inferiori, nam talis prædicatio, non est æqualis de æquali, alias prædicatio

tio esset identica, & non formalis: ergo natura Gabrielis est vniuersalis. *Confirm.* Indiuidum Gabrielis non ponitur immediatè sub genere, sed mediante specie: at si indiuiduum, & species essent æqualia, vtrumque poneretur immediatè sub genere: ergo non sunt æqualia, ac proindè ad plus se extendit natura Gabrielis, quam indiuiduum. *Vrgetur.* Indiuiduum est, quod de vno tantum prædicatur: sed natura Gabrielis, vt à singularitate præcisa, non est indiuiduum: ergo non de vno tantum, sed de pluribus potest prædicari, ac proindè est vniuersalis.

169 *Resp. neg.* anteced. ad eius insertam prob. resp. quod illa prædicatio non est æqualis positiuè de æquali, est tamen negatiuè æqualis de æquali, idest, non est prædicatio, in qua se extendit ad plura prædicatū, quam subiectū, est tamen prædicatio, in qua prædicatum non ita exprimit determinationem, ac subiectum: ex hoc autem non sequitur, quod non sit prædicatio formalis, ad hoc enim sufficit, quod extrema sint obiectiuè distincta, qualiter distinguuntur natura specifica, & eius indiuiduatio; & est simile, casu, quo sola species humana esset inter species animalis possibilis, hæc prædicatio, *homo est animal*, esset formalis, & æqualis negatiuè de æquali, quæ tamen non esset superioris de inferiori; cum animal non esset superius, nec genus in sententia etiam aliquorum nobis modo adversantium, variaque assignantium discrimina inter genus respectu specierum, & speciem respectu indiuiduorum.

170 *Ad confirm.* concessa mai. neg. min. nam vt indiuiduum non ponatur immediatè sub genere, sed mediante specie, sufficit quod species exprimat minorem determinationem, quam indiuiduum, nam hoc ipso est negatiuè vniuersalis, ac proindè minorem exprimens distantiam à genere positiuè superiori, quam indiduum vltimo determinatum: dicit autem minorem determinationem, quā indiuiduum, species, quia illud exprimit hæcceitatem, à qua omnino præscindit species, licèt, quia species non præscindit pro implicito ab exigentia illius, ad aliud nequeat se extendere indiuiduum.

171 *Ad id*, quo argumentum vrgetur, resp. quod indiuiduum nequit prædicari adhuc dialecticè, & ex modo significandi de pluribus, quia non potest concipi sine expressa repugnantia, vt prædicetur de pluribus, quam expressè non dicit natura Angelica à singularitate præcisa, ideoque dialecticè; & ex modo significandi est communis, negatiuè scilicèt, quatenus non exprimit in conceptu naturæ repugnantiam, vt prædicetur de pluribus; vnde vox illam significans est terminus communis iuxta dicta in summulis de com-

communitate illius termini *Deus*.

172 *Dices*: ergo non minus singularem facimus naturã creatam, qualis est Angelica, quam naturam Diuinam, quę est essentialiter singularis. *Vlterius*. Indiuiduum speciei Angelicæ subijcitur generi media sua specie: ergo vt subijcibile respicit pro termino speciem: ergo respicit speciem vt prædicabilem, solum quippè vt prædicabilis est terminus correlatiuus Indiuidui, vt subijcibilis. *Denique*. Natura specifica Angeli ita cotrahitur per indiuiduationem, vt per hanc determinetur ad hoc indiuiduũ: ergo ipsa ex se erat indifferens ad illud, & ad alia, ac proindè vniuersalis, solum enim indifferens potest ab alio determinari.

173 *Resp*. neg. conseq. quia natura Diuina ita est singularis, vt singularitas sit de essentia naturæ Diuinæ in eius metaphisico conceptu intimè imbibita; at natura specifica Angeli, nec exprimit, nec includit in sui conceptu metaphisico singularitatem. *Ex hoc autem* non inferas, quod natura Angelica sit plusquam negatiuè communis, & vniuersalis. *Nam* communitati logicæ, & positiuæ non solum obstat singularitas, verum exigentia vnius tantùm singularitatis, vnde licèt naturæ Diuinæ repugnet ex perfectiori titulo communitas logica positiua, sufficiente tamen titulo repugnat naturæ Angelicæ.

174 *Ad 2. instantiam* resp. quod Indiuiduum Angeli cum respicit pro termino speciem subijcibilem, vt est negatiuè vniuersalis, & prædicabilis; vt positiuè autem vniuersale, & prædicabile, solum respicitur ab ipso pro termino genus, nam licèt hoc respiciat mediante specie, respectu tamen solius generis exercet inferioritatem logicam, & positiuam, in qua consistit subijcibilitas logica, & positiua indiuidui.

175 *Ad vltimam* disting. antec, determinatur per indiuiduationem, *determinatione formali*, cõced. antec. *radicali*, neg. antec. & conseq. quia vt natura esset indifferens indifferentia positiua, de qua sola loquimur, necessum erat, quod à suo conceptu excluderet determinationem etiam radicalem ad vnum; ex quo autem determinetur formaliter, solum sequitur, quod sit indifferens negatiuè, idest, quod determinationẽ formalem, nec habeat, nec excludat ex conceptu naturæ, nam hoc ipso, quod eam ex tali conceptu non habeat, potest eam habere, ac proindè ex vi talis conceptus capax est determinationis formalis.

176 *Colliges* ex dictis, quod vniuersale secundum rem, & rationem, est illud, cuius plura dantur indiuidua existentia inter se similia, quibus visis, sumit intellectus occasionem abstrahendi ab illis rationem, in qua assimilantur, & eam comparandi ad illa: vniuersale vero secunda rationem

nem tantum esse illud, cuius non dantur actu plura indiuidua, possunt tamen dari, qui ex conceptu naturę materialis, eorum infertur possibilitas, qua ratione iuxta D. Thomam vbi supra natura Solis est vniuersalis secundum rationem tantum, natura vero humana dicitur ab ipso vniuersalis secundum rem, & rationem simul.

ARTIC. VI.

Quid sit indiuiduum?

177 INdividuum, quod correlatiuum est speciei, dupliciter accipitur, primo intentionaliter, & secundo intentionaliter. Primo intentionaliter acceptum est concretum metaphisicè compositum ex natura specifica, & differentia indiuiduali; secundo intentionaliter sumptum est compositum constans ex indiuiduo primo intentionaliter sumpto, vt substracto, & ex secunda intentione, vel subijcibilis ad speciem, vel prædicabilis de vno tantum.

178 *Primò* intentionaliter sumptum diffinitur à D. Thoma 1. p. q. 29. art. 4. *Indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio*; & lib. 10. metaph. lect. 11. *Quod non diuiditur vlterius, nec formali, nec materiali differentia*, idest, indiuiduum non est diuisibile in partes subiectiuas, quarum singulæ sint ipsum diuisum, & sicut homo diuiditur, vt in partes subiectiuas, in Petrum, & Paulum, quorum quilibet est homo; vnde non negat posse diuidi in partes integrantes, vt Petrus est diuisibilis in caput, pedes, & manus, quorum nihil est Petrus; & aqua diuiditur in plures partes, quarum quælibet, & si sit aqua, non est tamen illa prima aqua, quæ diuiditur. Quod si *aliquis homo* est diuisibilis in partes subiectiuas, vt in Petrum, & Paulum, quorum quilibet est aliquis homo, hoc tamen non obstat rectitudini diffinitionis, qua solum indiuiduum determinatum diffinitur, & *aliquis homo* non est indiuiduum determinatum, sed vaguum.

179 *Aliter* diffiniuit Porphirius indiuiduum primò intentionaliter sumptum, scilicèt, *cuius collectio proprietatum in vno reperta in altero reperiri non potest*, qua diffinitione describitur potissimè indiuiduum substantiæ, per suas proprietates, vt melius innotescat. Proprietates autem continent hi versus:

Forma, figura, locus, tempus, cum nomine sanguis,
Patria, sunt septem, quæ non habet vnus, & alter.

In quibus ly *forma* non accipitur pro forma substantiali, sed pro qualitate in colore, & complexione; *figura* vero accipitur pro partium proportione, & lineamentis; cætera accipiuntur, vt sonant. Ex his affectionibus, cū plura sint accidentia communia, plures possunt in pluribus reperiri col-

collectio tamen earum vni tantùm conuenire potest.

180 *Indiuiduum* secundo intentionaliter sumptum diffiniuit Porphirius dupliciter; vt subijcibile sic, *quod immediatè subijcitur speciei*: vt prædicabile autem sic, *quod de vno tantum prædicatur*, in qua vltima diffinitione denotatur indiuiduum non habere sub se inferius, de quo prædicetur, prædicatione formali, & artificiosa, qua ratione asseruit Aristot. cap. de substantia, quod prima substantia de nullo prædicatur, de nullo scilicèt sibi inferiori, sed tantum de se ipsa, prædicatione idêtica, & in qua nulla est ex parte obiecti maior ratio, vt vnum sit prædicatum, aut subiectum, quam aliud, vt in hac propositione, *Petrus est Petrus*. Ex quo iterum colligitur quod hic diffinitur indiuiduum determinatum, & quod propriè est indiuiduum, non vagum, quod de pluribus prædicatur.

181 *Obijcies*. Indiuiduum est singulare: sed singulare nequit diffiniri: ergo nequit diffiniri indiuiduum, ac proindè frustra in eo diffiniendo laboramus. *Si dicas*, quod singulare exercitè sumptum nequit diffiniri, secus tamen signatè sumptum, & vt significatur nomine exprimente solam singularitatem, vt significatur his nominibus, *indiuiduum*, *singulare*, *Prima substantia*, & alijs huiusmodi.

182 *Contra est*, nam singulare signatè sumptum, & vt exprimitur eis nominibus, non prædicatur de vno tantum, sed de pluribus: ergo vel diffinitio indiuidui, vt prædicabilis, non est bona, vel per eam non diffinitur indiuiduum signatè sumptum. *Ex quo* rursus sequitur, quod indiuiduum non sit essentialiter de vno tantum prædicabile, oppositum enim eius, quod alicui conuenit essentialiter, in nullo statu potest ipsi competere: sed indiuiduum signatè sumptum, & abstractum ab hoc, & illo indiuiduo, prædicatur de pluribus, ac proindè non prædicatur de vno tantum: ergo indiuiduo non conuenit essentialiter prædicari de vno tantum.

183 *Resp.* Solutione data, & ad replicam disting. anteced. non prædicatur de vno tantum ratione status abstractionis, sub quo diffinitur conced. antec. res ipsa, seu indiuiduum, quod sub illo statu diffinitur, neg. anteced. Nam sicut species prædicatur ratione secundæ intentionis signatè importatæ de pluribus differentibus specie, nam *homo est species*, *equus est species*, sunt prædicationes veræ, quin ideo falsum sit, quod species prædicetur de solo numero differentibus; ita Petrus, & quodlibet aliud indiuiduum de vno tantum prædicatur, & si secunda intentio indiuidui signatè sumpta in cõcreto prædicetur, vt *quod*, de pluribus, quod accidit indiuiduo essentialiter sumpto, & vt est id, cui essentialiter competit diffinitio. *Hinc*

184 *Hinc ad 2.* replicam resp. quod oppositum eius, quod conuenit essentialiter indiuiduo, nũquam ei competit, Petrus enim, vel Paulus numquam potest prædicari nisi de vno tantum; vnde prædicari de pluribus competit rationi indiuidui denominatiuè acceptæ, & vt *quod*, cui prout sic numquam non conuenit prædicabilitas de pluribus: sicut secundæ intentioni speciei, vt *quod* sumptæ, semper conuenit posse prædicari de pluribus differentibus specie, quin ipsi vt *quo* conueniat aliquando prædicari de pluribus, nisi solo numero differentibus.

ARTIC. VII.

An detur vnus conceptus communis indiuidui?

185 Sit conclusio. *Ratio indiuidui non est ratio vniuoca ad omnia indiuidua.* Duo supponit conclusio, vt omnino certa: primum est, quod ab omnibus indiuiduis secundò intentionaliter sumptis est abstrahibilis vna communis ratio vniuoca ipsis; nam licèt indiuidua secundò intentionaliter sumpta dicant pro substracto, & præsuppositiuè differentias, quibus differunt, formaliter tamen solum dicunt secundam intentionem prædicabilis, aut subijcibilis, in qua vniuocè conueniunt, sicut omnes species conueniunt vniuocè in secunda intentione speciei, & si præsuppositiuè quælibet includat suam differentiam specificam. *Secundum*, quod conclusio præsupponit, est, quod datur vna analogicè saltim ratio metaphisica indiuidui communis omnibus indiuiduis primo intentionaliter sumptis; nam licèt talis ratio includat indiuiduorum differentias, eas tamen confundit sub explicito conceptu conuenientiæ in faciendo differre, in quo omnes sunt similes; vnde licèt non detur indiuiduum exercitè sumptum, quod sit commune, Petrus v.g. vel Paulus, datur tamen ratio indiuidui, quæ signatè sumpta est omnibus communis.

186 *Conclusio* igitur asserit, quod conceptus communis indiuidui primo intentionaliter, seu metaphisicè acceptus, non est vniuocè communis omnibus indiuiduis, quod breuiter prob. Ratio includens diuersitatem inferiorum non est ipsis vniuoca: sed talis est ratio communis indiuidui primò intentionaliter sumpta: ergo non est vniuoca. Prob. min. ratio communis indiuidui includit differentias indiuiduales, nam includit quidquid est de essentia indiuidui: sed tota diuersitas inferiorum sunt differentiæ indiuiduales: ergo includit inferiorum diuersitatem.

187 *Confirm.* Hæcceitas siue differentia numerica est simplex conceptus non constans genere, & differentia: ergo ratio includens

dens hæcceitates indiuiduorum, vt includit ratio indiuidui, includit inferiorum diuersitatem. Patet conseq. nam ideò, & si hæcceitates includeret, non includeret earum diuersitatem, quia eas includeret sub ratione communi hæcceitatis omnibus vniuoca: sed si hæcceitas est simplex conceptus non constans ratione cõmuni vniuoca, & ratione differentiali, nequit eas sic includere: ergo. Antec. autem constat, quia de illo conceptu differentiali iterum inquiram; & si componitur ex genere, & differentia, abibimus in infinitum, vel sistendum erit in conceptu simplici differentiæ indiuidualis, & respectu huius formo argumentum, nam hic etiam est similis alteri conceptui differentiali hæcceitatis in faciendo differre, quod est oppositæ sententiæ motiuum, vt vniuocationem propugnet.

188 *Obijcies.* Illa ratio communis est vniuoca, in qua inferiora conueniunt: sed omnia indiuidua conueniunt in ratione indiuidui, nam sicut Petrus est indiuiduum, Paulus est indiuiduum: ergo ratio communis indiuidui est vniuoca. Confirmat. *Persona* in communi est ratio communis vniuoca omnibus personis, teste D.Thom. 1.p.q.30.art.4. ergo, & ratio indiuidui, cum iuxta D. Thomam ibidem *persona* significet aliquid commune admodum indiuidui vagi.

189 *Resp.* disting. mai. In qua inferiora conueniunt, *& non differunt*, conc. mai. in qua conueniũt, *& differunt* neg. mai. & applicata distinctione min. neg. conseq. Indiuidua enim per vnum, & eundẽ conceptum conueniunt, & differunt, cum hæcceitas sit simplex conceptus, in quo assimilantur, & dissimilantur indiuidua, ac proindè ratio includens hæcceitates partim est eadem, & partim diuersa, ac proindè analoga; esse enim Paulum indiuiduum, sicut est Petrus, est esse solum proportionaliter vnum, nam est solum assimilari in eo, quod ita se habet Paulus in sui diuersitate à Petro, sicut se habet Petrus in sui diuersitate à Paulo.

190 *Ad confirm.* disting. antec. *Persona* est ratio communis vniuoca, dialecticè, & ex modo significandi, conced. antec. logicè, & ex parte obiecti neg. anteced. nam cum persona directè significet subsistentiam, quæ est modus, & complementum naturæ, est quid substantiale incompletum; cum autem ratio substantiæ incompletæ sit transcendens, & ratio analoga, & non vniuoca logicè, & obiectiuè, respectu inferiorum, & si dialecticè sit vniuoca; nec amplius intendit D.Thomas; cum ibi asserat, quod persona ad nullum ex quinque prædicabilibus pertinet.

(o:o)

QVÆS-

QVÆSTIO VI.

De differentia, proprio, & accidente.

191 EXpositis vniuersalibus quæ prædicantur *in quid*, restant explicanda quę prędicantur *in quale*: ea sunt *differentia, proprium*, et *accidens*, inter quę, quia primum locum obtinet differentia, primo venit examinanda.

ART. I.

Diffinitiones, et diuisiones differentiæ expenduntur.

192 DIfferentia nil aliud est quam forma faciens differre vnum ab alio, *Differunt* propriè secundum D. Thomam 1. p. q. 9. art. 1. ad 3. quæ in aliquo conueniunt, discōueniunt in alio, nam quæ in nullo conueniunt, vt genera suprema, non differunt, sed sunt primò diuersa; vnde omne differens est diuersum, non tamen omne diuersum est differens.

193 *Diuisit* Porphirius differentiam in communem propriam, et proprissimam. Differentia communis est *accidēs separabile faciens differre vnum ab alio, vel idem à se ipso*, vt sedere facit differrè hominem sedentem à non sedente, vel à se ipso, vt stante. Differentia propria est *accidens inseparabile faciens vnum differre ab alio*, vt nasi curuitas, vel cęruleus oculorum color. Differentia proprissima est, *quæ vnum facit differre essentialiter ab alio*, vt rationalitas, per quam homo differt ab equo. Tria hæc membra comprehenduntur sub duobus in alia diuisione differentiæ, quā in præsenti etiam assignat Porphirius, in eam, *quæ facit differre per se*, sub quo primo membro comprehenditur proprissima, et in eam, *quæ facit differre per accidēs* sub quo membro comprehendūtur communis, et propria, nam licèt hæc faciat differre propriè, non tamē simpliciter; sicut accidens est propriè ens, non tamen est ens simpliciter.

194 *Ex quibus* constat, et quod diuisio sit adæquata, & quod sit analoga. *Hoc secundum* constat: quia sola differentia proprissima est simpliciter differentia, aliæ vero tantùm secundum quid, cum faciāt differre precisè secundū quid: ergo ratio differentiæ, quæ diuiditur, conuenit simpliciter vni membro diuidenti, alijs vero secundum quid, ac proinde diuisio est analoga. Et hęc quidē ratio probat analogiam diuisionis differentiæ primò intentionaliter sumptæ in illa tria; quod autem secundò intentionaliter sumpta differentia, et vt; constituit prædicabile differentię, diuidatur etiā analogicè in illa tria prob. nā licet illa tria sint simpliciter, et vniuoce prędicabilia, nō tamē sunt simpliciter prædicabile differentiæ, cum sola differentia proprissima prædicetur *in quale quid*, aliæ enim differentiæ nullo modo prædicantur *in quid*: ergo etiam in

in ratione tertij prędicabilis sola proprijssima pertinet simpliciter ad prædicabile differentiæ.

195 *Quod autem* prædicta divisio sit adequata, patet ex eo, quod nulla est differentia, quæ non faciat differre, vel per se, vel per accidens, simpliciter scilicet, vel secundum quid; sed sub his compræhenduntur differentię, communis, propria, aut proprissima: ergo nulla est differentia, quæ non sit communis, propria, aut proprissima. Accedit ad hæc, quod omnis differentia, de qua dubitatur, ad quam ex illis pertineat, ad aliquam ex illis reducitur; nam propria passio, vt *visibilitas*, reducitur ad differentiam propriâ, licet enim risibilitas non suscipiat magis, & minus suscipere tamen magis, & minus non iudicatur à Porphirio quid necessario exactū, sed purè permissum, à conceptu differentiæ propriæ, qui essentialiter consistit solum in eo, quod sit accidens inseparabile. *Differentia* autem individualis reducitur ad proprissimam, quia facit *aliud* simpliciter, & constituit speciem, non metaphisicam, sed phisicam, & provt à parte rei. *Similiter* differentia, qua vna Persona differt in divinis ab alia, est proprissima, nam per eam, vt per metaphisicū constitutivum, differt Pater à Filio; & licèt Pater non sit *aliud* à Filio, facere tamen *aliud* solum est proprium differentiæ proprissimæ, quæ est differentia specifica, aut naturæ, secus illius, quę tantùm est differentia personalis.

196 *Nec contra* eiusmodi divisionis bonitatem obstat, quod aliqua differentia, *vt disgregativum visus* est communis, propria, & proprissima, nam respectu hominis est communis, respectu Cigni est propria, & respectu albi est proprissima. *Non obstat*, nam differentia eadem materialiter potest esse communis, propria, & proprijma; ex hoc enim solum sequitur, quod membra dividentia non sint entitativè distincta, non tamen, quod non sint formaliter distincta, quod sufficit, vt divisio sit bona.

197 *Differentiam* igitur proprissimam, quæ sola constituit tertium prædicabile, quadripliciter diffinivit Porphirius, iuxta quatuor, quæ exercet munera; habet enim dividere genus, constituere speciem, esse rationem distinguendi vnum ab alio, & esse insuper prædicabilem de pluribus: Vnde sub primo munere diffinitur, *quæ suapte natura separat ea, quæ sunt sub eodem genere*: sub secundo verò, est id, *in quo species excedit genus*; sub tertio est, *qua differunt inter se singula*; sub quarto denique diffinitur differentia, *quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quale, seu in quale quid*. Totum patet in sensibili, quod est differentia proprissima animalis: separat enim ea, quæ sunt sub eodem genere viventis, est quo animal excedit vivens, est insuper id, quo animal differt ab alijs viventibus, quæ animalia non sunt, & denique est prædicabile *in quale quid* de homine, & Equo, qui specie differunt.

Sed

198 *Sed cum* non solum differentia subalterna vt *sensibile*, sed infima, vt *rationale*, sit differentia propriſsima, ingerit difficultatem, quomodo differentiæ infimę conveniat prædicari de pluribus differentibus specie, vt vltima diffinitio asserit, rationale enim solum potest esse vniversale respectu individuorum, Petri scilicèt, & Pauli, qui solo numero differant. *Ad quod* resp. quod Porphirius solam differentiam subalternam diffinivit, vt pote notiorem nobis; infimę quippè differentiæ sunt regulariter nobis incognitæ, & innominatæ. Posset autem differentia in co mmuni diffiniri, *quæ prædicatur de pluribus in quale quid*, accidit enim differentiæ, vt prædicabili; quod illius inferiora differant solo numero, vel specie, vt ostensum est quæst. 4. art. 1. & solum est de essentia illius, quod prædicetur vt pars determinativa essentiæ, quod significat ly *in quale quid*, vt manet explicatum quæst. 5. artic. 1. vndè difinitio non debet exprimere, quæ sit diversitas inferiorum.

199 *Resp.* 2. prædictam diffinitionem competere etiam differentię infimæ, v. g. rationali nam ly *de differentibus specie* in diffinitione positum debet accipi de differentibus specie per ipsam differentiam non inter se, sed *ab alijs*, quomodo rationale prædicatur de differentibus specie per ipsam ab alijs animalibus; nam per rationale differunt specie Petrus, & Paulus ab individuis aliarum specierum animalis, seu ab animalibus, quæ rationalia non sunt. Cum enim relatio optime diffiniatur per eius fundamentum, & fundamentum relationis differentiæ sit munus faciendi differre, quæ per ipsam constituuntur, ab alijs; optimè exponitur diffinitio sic intellecta; nam rationale v. g. non facit differre Petrum à Paulo, sed Petrum, Paulum, aliaque individua per ipsam specificè constituta facit differre ab alijs, quæ per ipsam non constituuntur.

200 *Ex quibus* dignoscitur nullius esse momenti argumenta, quæ contra expositionem istam solent obijci. *Si enim opponas*, 1. sequeretur, quod posset diffiniri differentia per prędicari de differentibus genere, nam ab alijs differunt etiam genere inferiora differentiæ. *Resp.* neg. conseq. cuius inserta probatio non est efficax, nam licèt Petrus, & Paulus, v. g. differant etiam genere à lapide, non differunt tamen genere per ipsam differentiam rationalitatis, & diffinitio differentiæ non debet explicare, quomodo inferiora absolutè differant, sed quomodo differant per ipsam differentiã, quæ de illis prædicatur. Nec est vlla differentia quæ faciat inferiora genere differre, sed vel specie infima, vel subalterna; vnde licet inferiora differant genere ab alijs, non tamen per ipsam differentiam cui accidit, quod constitutum ex ipsa & ex ratione communi, sit aliàs genus, differant genere ab alijs, non tamen per ipsam differentia.

201 *Si opponas.* 2. sequeretur, quod species posset diffiniri etiam per prædicabilitatem de pluribus differentibus specie, nam inferiora illius differunt specie ab alijs per ipsam speciem; cum species constitutiva rei sit distinctiva eiusdem ab alijs extra illam speciem existentibus.

Resp. neg. conseq. quia Petrus, & Paulus non differunt specie ab alijs per suam speciem, humanitatem scilicèt, adæquatè sumptam, quo solo modo est species, sed per ipsam in adæquatè sumptam, & ratione solius differentiæ, scilicèt rationalitatis; nam adæquatè sumpta species includit animalitatē etiam, quæ est ratio conveniendi, non differendi.

202 *Si denique* opponas. In alijs prædicabilibus particula *de differentibus specie, vel numero*, intelligitur de differentibus inter se, non ab alijs: ergo pariter in diffinitione differentiæ. *Resp.* neg. conseq. Quia fundamentum relationis tertij prædicabilis est convenientia plurium in vna ratione faciente ea differre ab alijs, quo fundamento cætera prædicabilia non gaudent; quare sola differentia debuit diffiniri per prædicari de pluribus differentibus specie ab alijs.

(*)

****
***

ART. II.

An differentia sit vniversalis per ordinem ad speciem?

203 Differentia potest considerari per ordinem ad speciem, vel subalternam, vel infimam, quam constituit, vel per ordinem ad inferiora speciei: v.g. sensibile potest considerari, vel per ordinem ad speciem subalternam animalis, vel per ordinem ad inferiora illius, species scilicèt sub animali contentas, aut individua illarum: & similiter rationale potest cōsiderari, vel per ordinem ad speciem hominis, quam constituit, vel per ordinem ad Petrum, & Paulum, quæ sunt inferiora talis speciei. Inquirimus, an differentia sit vniversalis per ordinem ad speciem ex ipsa constitutam, vel solum per ordinem ad inferiora speciei, in quo dubio sit cum communi sententia.

204 Conclusio. *Differentia non constituitur vniversalis per ordinem ad speciem, sed per respectum ad inferiora speciei.* Probatur. Vniversale constituitur per respectum ad sibi inferiora: sed differentia non respicit speciem, vt sibi inferiorem: ergo nō est vniversalis per ordinē ad speciem. Mai. est certa, nam vniversale, vt tale, est superius, & superius constituitur per respectum ad sibi inferiora. Min. autē prob. quod nō exceditur à differētia, sed adæquatur cū illa, non respicitur à differentia, vt sibi inferius: at species non exceditur à differentia, sed adæquatur

tur cum illa, nam species, & differentia dicuntur ad convertentiam cum benè valeat, est homo, ergo rationalis, & è converso: ergo differentia non respicit speciem, vt sibi inferiorem. *Confirm.* Vniversale est vnum in multis, & de multis, ac proinde constituitur per respectum ad plura: sed species, quam constituit differentia, tantum est vna, sicut ipsa differentia: ergo non constituitur vniversalis per ordinem ad speciem.

205 *Si dicas*, quod species est vna formaliter, virtualiter tamen est multiplex quia continet in potentia plura inferiora, in quę potest dividi. *Contra est.* Nam vniversale constituitur per respectum ad plura formaliter: ergo si species non est plura formaliter, differentia non est vniversalis per ordinem ad speciem. Prob. ant. tùm quia vniversale constituitur per ordinem ad pluralitatē, quam in se non habet: sed solam pluralitatem formalem in se non habet, cum quodlibet vniversale sit virtualiter, & in potentia plura, in quæ dividi potest: ergo constituitur per respectum ad plura formaliter. *Tùm etiam* quia constituitur per respectum ad plura, quæ respiciat vt superius: sed vniversale tantum est superius respectu plurium, quæ sint plura formaliter: ergo idem quod prius.

206 *Obijcies* 1. Differentia est vniversalis per ordinem ad illud, respectu cuius exercet munus differentię; sed exercet munus differentiæ respectu speciei: ergo est vniversalis per ordinem ad speciem. *Confirm.* 1. Differentia debet esse vniversalis per ordinem ad terminū, quem immediatius respicit, sed immediatius respicit speciem, quàm inferiora speciei, cū hæc respiciat mediante illa: ergo respectu speciei, & non inferiorum illius est vniversalis. *Confirm.* 2. eodem modo, quo prædicatum dicitur de subiecto, prædicatur de omni contento sub illo: ergo eodem modo, quo differentia prædicatur de specie, prædicabitur de inferioribus sub specie contentis: ergo vel de inferioribus speciei non prędicatur, vt vniuersalis, vel vt vniuersalis prędicatur de specie.

207 *Resp.* disting. mai. respectu cuius, *vt sibi inferioris*, exercet munus differentiæ, conced. mai. respectu cuius, *vt sibi æqualis*, neg. mai. & applicata distinctione min. neg. conseq. nam licet exerceat munus differentiæ etiam respectu speciei, cum tamen illud non exerceat per modum superioris, sed æqualis cum ipsa specie, nequit esse vniversalis per ordinem ad illam. *Ex quo* ad 1. confirmat. eodem modo respond. disting. maior. debet esse vniversalis per ordinem ad terminum, quem, *vt sibi inferiorem*, immediatius respicit, conced. maior. quem, *vt sibi æqualem*, immediatius respicit, neg. maior. nam per ordinem ad terminum, quem differentia non respicit, vt sibi inferiorem, nullo modo est superior, ac proinde

nec vniversalis. Ex quo colliges, quod inferiora speciei sunt vnicus terminus differentiæ, vt vniversalis, ac proinde, quod, vt vniversalis, formaliter, seu media relatione vniversalis non respicit inferiora speciei mediante specie; cuius oppositum accidit in genere, quod quia, respicit inferiora individua mediante specie, etiam sibi inferiori, & est vniversale primariò per ordinem ad species, & eadem relatione generis respicit species, & individua.

208 *Ad 2. confirm.* disting. antec. eodem modo, *quoad prædicationem essentialem, vel accidentalem,* conced. ant. *quoad prædicationem per modum superioris, aut æqualis,* neg. antec. quia quod excedit ea, quæ continentur sub subiecto, potest non excedere subiectum, sed adæquari cum illo, ac proinde potest, vt superius, & vniversale, dici de contentis sub subiecto, quin, vt superius, & vniversale, prædicetur de subiecto.

209 *Dices.* Nequit differentia esse constitutiva individui contēti sub specie, quin sit constitutiva speciei: ergo nequit esse vniversalis respectu individui, quin sit vniversalis respectu speciei. *Neg. conseq.* quia differentia constituit individuum ratione naturæ specificæ, quam participat individuum, ac subinde prius debet constituere speciem, quam individuum: at est vniversalis respectu individui ratione superioritatis, quam non habet respectu naturę specificę, habet tamen respectu individui.

210 *Obijcies 2.* Differentia prędicatur de specie, & de individuis, & species de solis indiuiduis, cum de se ipsa non possit, nisi prædicatione identica prædicari: ergo ad plus se extendit differentia, quam species, ac proinde respectu speciei est vniversalis. Disting. anteced. de specie, *vt sibi inferiori*, & de individuis, neg. anteced. de specie, *vt sibi æquali*, & de individuis, *vt sibi inferioribus*, conced. antec. & neg. conseq. quia etiam species prædicatur de individuis, vt sibi inferioribus, & de differentia, vt æquali, vnde remanent species, & differentia omnino sibi æquales, quin vna in alteram superioritatem exerceat.

211 *Denique obijcies.* Quidquid prædicatur de vniversali, vt ipsi æquale, est vniversale, nam vniversale solo vniversali potest æquari: ergo si differentia prædicatur de specie, quæ est vniversalis, vt ipsi æqualis, differentia erit vniversalis. *Resp.* disting. antec. est vniversale, *per ordinem ad aliud vniversale, de quo dicitur, vt æquale*, neg. anteced. *per ordinem ad sibi inferiora*, conc. ant. ex quo solum sequitur, quod differentia sit vniversalis respectu sibi inferiorum, non tamen respectu speciei, cui est ęqualis: sicut æqualis Regi est Rex non quidem respectu Regis, cui est æqualis, sed respectu sibi subditorum.

212 *Si dicas.* Differentia, vt respicit speciem, non est singularis: ergo est vniversalis. *Neg. conseq.* quia licèt quodlibet prædicatū debeat

beat esse, vel singulare, vel vniversale, non tamen necessario respectu huius debet esse, vel singulare, vel vniversale, sicut species respectu generis, nec est singularis, nec vniversalis, licèt ipsa sit vniversalis.

ART. III.

De proprio quarto prædicabili.

213 DOcuit Porphirius, proprium quatuor modis accipi posse: *Proprium* primo modo est, *quod convenit soli, sed non omni*, vt esse Gramaticum convenit soli homini, sed non omni. *Proprium* secundo modo est, *quod convenit omni, sed non soli*, vt esse bipedem convenit omni homini, sed non soli. *Proprium* tertio modo est, *quod convenit omni, & soli, sed non semper*, vt canescere, quod convenit omni, & soli homini, non tamen semper, sed in senectute. *Proprium* quarto modo est, *quod convenit omni soli, & semper*, vt risibile, respectu hominis, cui soli, semper, & in omnibus convenit individuis.

214 *Ex hac autem* propriorum descriptione colligitur iam quod proprium simpliciter tale solum est proprium quarto modo, ac proinde quod divisio est analoga. Proprium quippè simpliciter tale, nec debet esse commune, nec contingens: sed quod non convenit soli, est commune, quod non convenit omni, & semper, est contingens: ergo proprium simpliciter tale solum est, quod convenit omni, soli, & semper. Vnde duo requiruntur ad huiusmodi proprium conditiones. Prima est, quod profluat ab essentia rei, & connectatur cum illa, quia debet rei necessario convenire, & ita, vt sub carentia exigentię illius res nequeat intelligi: sed ad hoc necessum est, quod profluat ab essentia rei, & cum illa connectatur: ergo. *Secunda* conditio est, quod dicatur ad convertentiam cum re, cuius est proprium, quia cum tali re adæquatur, qua ratione bene valet, *est homo, ergo risibilis*, & è converso. Vnde Aristot. lib. 1. Topic. cap. 4. diffiniuit proprium, *quod non indicat quid est esse rei*, (non enim est quidditas rei) *soli tamen inest, & conversim prædicatur.*

215 *Dividitur* proprium simpliciter tale in genericum, & specificum: *Proprium* generi cum est, quod profluit à gradu generico, & connectitur cum illo, vt potentia sensitiva, quæ provenit à gradu generico animalis, & cum eo connectitur. *Proprium* specificũ est, quod profluit à gradu specifico, & connectitur cum illo, vt risibile, quod prouenit à gradus specifico hominis, cum quo dicitur ad convertentiam, & cum quo necessario connectitur.

216 *Dividitur* præterea in phisicum, & metaphisicum; *Phisicum* est quod phisicè dimanat ab essentia rei, vt ri sibilitas, quæ phisicè oritur ab essentia hominis. *Metaphisicum*, quod nostro modo inte-

aliunde superveniente, potest violenter impediri motus, quem tamen semper exigit grave extra cētrum existens: sicut in his etiam, quæ ab extrinseco in sui existentia non pendent, potest Deus absolute existentiam auferre, quin ideo proprietates non sint, nam etiam ablata divinitus ab homine risibilitate, eam semper exigit essentia hominis.

220 *Ad alia exempla* ab opposito suadentia diffinitionem proprij non esse bonam resp. quod nigredo convenit necessario Corvo, necessitate orta ex eius indiuiduali temperamento, secùs orta ex eius prædicatis specificis, & qualiter proprium ex prædicatis specificis necessario oritur; & idem dicimus de bipedalitate, quæ nec oritur a gradu specifico hominis, cum alijs ab homine conveniat, nec à gradu generico animalis, cum pluribus animalibus non cōpetat; sed oritur à temperamento, & dispositione organica, quæ sunt principia materialia individuantia. Hinc absolute dicenda sunt accidentia communia, nam licèt phisicè non possunt adesse, & abesse, possunt tamen metaphisicè, & obiectiue negari de essentia, ipsa metaphisicè illæsa, quomodo intelligitur, vt statim constabit, ly *adesse, & abesse* positum in diffinitione accidentis communis.

221 *Si dicas*, etiam risibilitas potest negari de essentia hominis, nam casu, quo Deus separaret risibilitatem ab homine, homo nō esset risibilis: ergo in hoc, quod est abesse per solam negationem, nequit accidens commune differre à proprio. *Resp.* disting. antec. potest negari risibilitas de homine *enuntiando eam actu non convenire homini*, conced. antec. *exactiuè*, neg. antec. & neg. conseq. quia nigredo, ita potest negari de essentia metaphisica Corvi, vt etiam exactiue negetur de, ipsa, idest, etiam potest vere negari de illa, quod nigredinem exigat, imò, quod affirmetur oppositum, idest, Corvum esse album, in nullo præiudicat essentiæ metaphisicæ Corvi; de essentia autem metaphisica hominis nequit negari exigentia risibilitatis, aut concipi homo sub opposito contrariè prędicato, quin metaphisicè destruatur essentia hominis.

ART. IV.

De accidenti quinto prædicabili.

222 Accidens commune diffiniuit ità Porphirius, *quod adest, & abest, præter subiecti corruptionem*; vbi adverte 1. quod ly *&* non est accipiendum copulatiuè, repugnat enim, quod accidens adsit simul, & desit; sed debet accipi disiunctiuè, idest, siue adsit, siue desit accidens, nō destruitur subiectum, in quo sensu disiunctiuo, inconveniens non est, sed congruum, quod diffinitio tradatur per opposita.

223 *Aduertes 2.* quod paulo ante iam insinuavimus, quod ly

ad hoc, & illud coloratum, & sic licet semper sit accidens prædicamentaliter, secus prædicabiliter, nã de albo, & nigro prædicatur, vt genus, & de hoc, & illo colorato, vt species, vnde in ordine ad ea inferiora non est quintum prædicabile, de quo in præsenti: potest insuper comparari ad inferiora ratione substracti, ad hominem, v.g. & Equum, & sic est accidens quintum prędicabile, homo enim contingenter est albus.

228. *Si opponas*. Vel accidens prędicatur pro formali de substracto, & ita, vt color sit, qui prædicatur de homine, vel substractum illius, idest, subiectum habens colorẽ: Si primum, nequit vere prædicari de homine, nam color non identificatur cum homine, vt prædicatio vera exigit: si secundum, non prædicatur contingenter, siquidem licet homo non sit essentialiter habens albedinem, essentialiter tamẽ est id, quod est substractum albedinis: ergo nullo modo accidens potest respicere, vt accidens, inferiora ratione substracti.

229. *Resp.* quod accidens in concreto prædicat de substracto formam etiam in concreto, & cum forma in concreto, v.g. coloratum, supponat non pro forma, sed pro substracto, quod identificatur cum homine, seu est ipse homo; inde euenit, quod prędicatio sit vera, nam subiectum, & prædicatum supponunt pro eodem. *Ad huius* impugnationem Resp quod licet homo non sit cõtingenter id, quod est substractum coloris, contingenter tamen est substractum coloris, & contingenter est habens albedinẽ, nam accidit ipsi, quod habeat albedinem. *Nec ex hoc* sequitur, quod coloratum abstrahatur ab homine, & Equo, vt coloratis, ly vt *reduplicatiue* sumpto, nam sic sunt essentialiter colorata; sed ly *vt* specificatiue sumpto, idest, abstrahitur ab illis, vt dicentibus solum exercite colorem in obliquo, qua ratione, & sunt in recto inferiora substracti, & accidit ipsis esse colorata.

230. *Si instes*. Coloratum prædicatur adiectiue de homine & Equo: ergo coloratum non affert secum suum suppositum, seu substractum, sed immediatè applicat formã subiecto. *Vlterius*. Terminus prædicat solum, quod significat: sed coloratum solum colorem significat: ergo solum colorem, & non substractum prædicat.

231 *Resp.* conced. conseq. ex quo solum infertur, quod coloratũm nõ afferat secum suppositum, quod de novo subijciat, seu ponat sub verbo, sicque sensus non sit, homo est substractum, quod est coloratum, sicut in simili diximus supra quæst. 3. art. 4. secus tamen, quod coloratum non supponat pro substracto, ita, vt sensus sit, homo est substractum immediatum coloris, homo est habens albedinem, nam quævis propositio affirmativa significat extremorum identitatem, quæ vere nequit affirmari, si vel extrema non supponant, vel non supponat pro eodem. *Ad aliam* instan-

nem distinctis, vt *Deus*, *Ens*, vel vt *entitatiuum*, & *diuinum*, in quibus forma, & suppositum, vel subiectum, sola ratione differunt. *Quod* proportionali modo locum habet etiam in entibus rationis, hæc quipe concreta, *genus species* dicunt formam, & substractum, quod potest esse separabile à forma, ac subinde quasi realiter distinctũ: hæc autem concreta, *ens rationis*, *vnum rationis*, possunt dici cõcreta metaphisica, quia subiectum, & forma differunt solũ ex modo significandi.

235. Supponendum est 2. id quod apud omnes est certum, scilicet, concretum posse vere prædicari de concreto, quoties significant formas in eodem subiecto, seu supposito existentes, vt *homo est animal*, *album est dulce* sunt prædicationes veræ, quia animalitas, & humanitas sunt in eodem supposito, similiterque albedo, & dulcedo in eodem substracto. *Ratio est*, quia quoties extrema supponunt pro eodem, prædicatio est vera: sic contingit, cum predicatur concretum de concreto, si significent formas in eodem subiecto existentes; nam si concreta sunt substantialia, idem est suppositum constitutum per vtramque formam; si est accidentale, idẽ est substractum vtriusque formæ, pro quo substracto concreta supponunt: ergo prædicationes sunt veræ.

(o)(§)(o)

§. I.

Mutuò conferuntur concreta, & abstracta.

236 **S**It conclusio. *Concreta phisica non prædicantur vere de suis abstractis, nec è conuersò abstracta de concretis, bene tamen concreta metaphisica de suis abstractis, & è conuersò.* Probatur prima pars ratione D. Thomæ opusc. 69. Extrema prædicationis affirmatiuæ veræ debent supponere pro eodem: sed cõcretum phisicum, & eius abstractũ nequeunt supponere pro eodem: ergo vnum de altero nequit verè prædicari. Prob. min. Concretum supponit pro supposito, vel substracto, eius vero abstractum supponit pro sola forma: sed in concretis phisicis, suppositum, siue substractũ, differt realiter à sua forma: ergo concretum, & abstractum non supponunt pro eodem.

237 *Ex quo* infertur, quod hæ predicationes, *humanitas est homo*, & è conuerso *homo est humanitas*, similiterque hæc, *albedo est album*, & è conuerso, *album est albedo*, sunt prædicationes falsæ; quia id, pro quo supponit vnum extremum, differt realiter ab eo, pro quo supponit aliud; nam licet in primo exemplo homo supponat pro supposito vt per humanitatem constituto, suppositum tamen adhuc sic constitutum differt realiter inadæquate ab humanitate, & vt propositio sit vera, debet id, pro quo in recto suppo-

nant extrema esse idem realiter adæquatè. *Ex quo* ab opposito sequitur: quod hæc propositio *homo est albus* est vera, quia licet albedo realiter differat ab homine, subiectum tamen, pro quo solo in recto supponit album, adæquate identificatur cum homine, & idem dices de hac, animal est genus, nam licet genereitas non identificetur cum animali, subiectum tamen, pro quo solo supponit in recto genus, est idem adęquatè cum animali.

238 *Diximus* autem concreta huiusmodi non vere prædicari de *suis* abstractis, quia de abstractis aliorum possunt vere prædicari, cum forma, pro qua supponit abstractum, potest esse subiectum formæ alterius concreti, tunc enim abstractum, & concretum supponent pro eodem. Vnde istæ prædicationes, *humanitas est sancta, superficies est alba, albedo est similis*, sunt veræ, nā humanitas est subiectū sanctitatis, superficies albedinis, albedo similitudinis, & cum pro tali subiecto supponant concreta, *sanctum, album, simile*, propositiones evadunt veræ: hæc autem propositio, quantitas est quanta, est vera, sumpto ly *quanta*, provt est idem ac extensa, provt scilicet; est concretum huius abstracti, *extensio*, nam quantitas est habens in se effectum extensionis. Similiter in concretis, quasi phisicis, entis rationis, supra descriptis, est vera hæc, *genereitas est species*, nam ipsa genereitas est quædam species vniuersalis: & similiter est vera hæc: *specieitas est species*, nam similiter ipsa specieitas est quædam species vniversalis: & generaliter in his, cū vna secunda intentio est subiectum alterius.

239 *Secunda* autem pars cōclusionis patet ex eo, quod cum in concretis metaphisicis suppositum, seu subiectum solum per rationem, seu ex modo significandi differat à forma, forma, & subiectū supponunt pro eodem. Vnde hæ prædicationes sunt veræ. *Deus est Deitas, Ens est entitas*, & è converso, similiterque est vera hęc, *entitas rationis est ens rationis*, & è converso.

§. II.

Comparantur inuicem abstracta.

240 SEcunda conclusio. *Abstracta significantia formas realiter identificatas verè prædicantur ad inuicem.* Prob. eadem ratione cum præcedente. Quoties extrema supponunt pro eodem, prædicatio est vera: sed dum abstracta significant formas realiter identificatas, supponunt pro eodem: ergo verè prædicantur ad inuicem abstracta significantia formas realiter identificatas. Prob. min. Abstracta, quæ sunt extrema, supponunt pro formis: sed formę sunt realiter idem: ergo extrema supponunt pro eodem.

241 *Cum tamen* prædicatio sit dupliciter vera, vel in sensu identico solum, vel in sensu etiam formali, vt ex prenotatis constat, ad-

adhuc restat pro abstractis genericis, specificis, & differentialibus, examinare, an etiam in sensu formali vere prædicentur, pro quo sit.

242 Tertia conclusio. *Abstracta generica verè prædicantur in sensu etiam formali de abstractis specificis*, vnde hæ prædicationes, *humanitas est animalitas, albedo est color*, sunt in sensu formali veræ. Prob. Prædicatio concreti generici de specifico est in sensu formali vera, vt conceditur ab omnibus, vnde hę prædicationes, *homo est animal, album est coloratum*, sunt veræ in sensu formali: ergo etiam in sensu formali est vera prędicatio abstracti generici de specifico. Prob. conseq. Ideo primum est verum, quia prædicatum est de conceptu quidditatiuo subiecti: sed hæc eadem ratio militat in abstractis, nàm animalitas est de conceptu quidditativo humanitatis, sicut animal est de conceptu quidditativo hominis: ergo si concretum genericum prædicatur in sensu formali de specifico, etiam abstractum genericum prædicatur in sensu formali de specifico.

243 *Confirm*. Ratio communis, in qua inferiora vniuoce, essentialiter conveniunt, potest de illis verè, & formaliter prædicari: sed in animalitate conveniunt vnivoce essentialiter humanitas, & Equinitas: ergo animalitas vere, & formaliter prædicatur de humanitate, & Equinitate. Prob. min. nàm in primis animalitas est de essentia humanitatis, & Equinitatis, deinde in animalitate præcissa à differentijs nullam in æqualitatem habent humanitas, & Equinitas: ergo conveniunt in animalitate vnivocè, & essentialiter.

244 *Patet* ex his, quod abstracta differentialia verè, & in sensu formali prædicentur de specificis; nam hæc prædicatio, *homo est rationalis*, est prædicatio vera in sensu formali: ergo est vera in sensu etiam formali hæc, *humanitas est rationalitas*. Patet conseq. ex dictis, ideo enim prima prædicatio est vera in sensu formali, quia prædicatum, rationale scilicet, est de conceptu quidditatiuo hominis: sed eodem modo rationalitas est de conceptu quidditatiuo humanitatis: ergo prædicatur verè in sensu formali de humanitate.

245 *Si opponas*. Humanitas tantum inadæquatè est animalitas: sed ex dictis supra constat, quod prædicatum, & subiectum debent adæquatè identificari: ergo animalitas non prædicatur verè de humanitate. *Resp*. quod humanitas distinguitur obiectiuè ab animalitate, realiter tamen identificatur adæquatè cum humanitate, cum animalitas solum obiectivè sit pars humanitatis, in re tamen est etiam ipsa rationalitas, ac proinde est in re tota humanitas. *Ex quo* non inferas, quod non sit vera in sensu formali ea propositio, nam ad hoc non requiritur, quod animalitas sit de conceptu quidditativo adæ-

adæquato humanitatis, aliàs hęc propositio, *homo est animal*, non esset vera in sensu formali; sufficit enim quod sit de conceptu quidditatiuo, & si indadæquato.

246 Vltima conclusio. *Abstracta generica* prædicantur *verè de differentialibus*, *non tamen in sensu formali*. Quoad 2. partem constat conclusio, nam genus non est de conceptu metaphisico differentiarum, vt quæst. 5. art. 3. manet probatum, ac subinde prędicatio non est in sensu formali vera, rationalitas enim, vt rationalitas, non est animalitas. *Quoad* 1. vero partem prob. animalitas, & rationalitas sunt idem realiter: ergo supponunt pro eodem realiter: sed prædicatio, in qua extrema supponunt pro eodem realiter, est prædicatio vera: ergo verè prædicatur animalitas de rationalitate.

247 *Si dicas*, quod cum abstracta significent sua significata cum abstractione, & præcisione, propositio illa facit sensum formalem, & cum in sensu formali sit falsa, absolutè est falsa.

248 *Contra est* quia abstractio, & præcisio, quam importat abstractum, est præcisè à substracto formę, cùm sit abstractio formalis: ergo licet de suo substracto posset non prædicari vere animalitas, sicque hęc sit falsa, animalitas est animal, & hæc, rationalitas est animal, secus tamen de suo abstracto differentiali. Patet conseq. nam ideo non esset vera iuxta solutionem, quia ratione abstractionis facit sensum formalem: ergo si respectu sui abstracti differentialis non dicit abstractionem, & præcisionem, non est cur non sit vera, etiam si non sit vera in sensu formali.

249 *Confirm.* Præcisio vnius ab alio tunc impedit prædicationem absolutè veram, quando præcisio importatur signate, & exprimitur, vt pars subiecti, vel prædicati, secus tamen quando solum importatur exercitè, & ex modo significandi: sed abstractio, & præcisio solum importatur in animalitate exercitè, & ex modo significandi: ergo non impedit absolutam veritatem prædicationis. Vnde hæc erit falsa, *rationalitas, vt rationalitas, vel in quantum rationalitas, est animalitas*, hæc tamen, *rationalitas est animalitas est vera*, cum faciat sensum identicum, & identificentur animalitas, & rationalitas. Hæc sufficiant pro re non spectante ex professo ad Logicum, præsertim cum quidquid ad substantiam prędicationum pertinet, maneat explicatum.

****
****
*****

QVÆST.

QVÆSTIO VII.

De Ante prædicamentis.

1 CLasses, quas Aristoteles Cathegorias, idest prędicatorum series inscripsit, latinè dicuntur prædicamenta. Est autem prædicamentum: *Ordo, aut series prædicatorum essentialium ab vno supremo genere, quo nihil est superius, vsque ad indiuiduum, quo nihil est inferius*: v. gr. prædicamentum substantiæ est ordo, quo hæc prædicata Petri, homo, animal, viuens, corpus collocantur sub suprèmo genere substantiæ; qui vtique ordo consistit in eo, quod indiuiduum, quod est vltimum subijcibile, participat supremum genus medijs his gradibus; nam Petrus immediatè subijcitur homini, homo animali, animal viuenti, viuens corpori, corpus substantiæ.

2 *Librum* hunc de prædicamentis, qui primus est Logicę, & pro cuius notitia prėmisimus cum communi Doctorum quęstiones precedentes (ad ordinanda quippè prędicabilia necessum fuit illa prenoscere) diuisit Aristot. in quatuordecim capita, & claritatis gratia, diuidunt Logici in tres partes, scilicet in ante prędicamenta, prędicamenta, & post prędicamenta. Ante prędicamenta sunt preābulum ad prędicamenta, siue pręcognita quędam necessaria ad intelligenda predicamenta, eaque reduxit Aristoteles in primis quatuor capitibus ad tres diffinitiones, duas diuisiones, duas regulas, eisque diuisionem in decem Cathegorias: de quibus sigillatim in sequentibus disseremus.

ART. I.

Quæ sint diffinitiones vniuocorum, æquiuocorum, & denominatiuorum?

3 IN *prædicamentis* triplex potest fieri comparatio. *Prima*, ad rationem entis, quod sub se comprehendit omnia prędicamenta. *Secunda*, prędicatorum adinuicem in vna classe existentium. *Tertia*, vnius prędicamenti ad alia; & quia plura prędicamenta in ratione eis superiori analogicè, vel ęquiuocè conueniunt; & ea, quę sunt in eodem prędicamento conueniunt vniuocè; ea verò, quę sunt in vno prędicamento solùm denominatiuè possunt conuenire alteri; idcircò premittuntur diffinitiones ęquiuocorum, vniuocorum, & denominatiuorum.

4 *Æquiuoca* sunt: *Quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ nomini accommodata, diuersa*. Dicitur, *quorum nomen est commune*, vt denotetur hìc diffiniri æquiuoca æquiuocata, non æquiuoca æqui-

uocantia: æquiuoca æquiuocata sunt res significatæ per nomen æquiuocum, non quidem res ipsæ secũdùm se, sed prout in solo nomine significante conueniunt: æquiuoca æquiuocantia sunt nomina, quæ res ita significant, vt nullam inter eas significent conuenientiam: diffiniuntur ergo res vt subsunt nominibus æquiuocis, non nomina vt res æquiuocè significant. Dicitur, *ratio substantiæ*, accepta substantia pro rei quidditate, non pro ente existente per se. Dicitur tandèm, *nomini accomodata*, ad denotandum non sufficere pro æquiuocis, quod res sint diuersæ; sed requiri, quod eorum diuersitas per nomen illis commune significetur. Vnde canis terrestris, & cœlestis, vt hoc nomine *canis* significãtur, sunt æquiuoca; quia eorum quidditas, vt per ly *canis* significatur, est diuersa. Ad æquiuoca reducuntur analoga, quæ prout à purè æquiuocis distinguuntur, possunt diffiniri: *Quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ nomini accomodata, est partim eadem, partim diuersa.*

5 *Et si dicas*: æquiuoca non possunt diffiniri, cùm non habeãt vnam essentiam: ergo frustrà conamur illa diffinire. *Dist. ant.* æquiuoca *exercitè sumpta* non possunt diffiniri: conc. ant. æquiuoca *signatè sumpta*, non possunt diffiniri: neg. ant. æquiuoca signatè sumpta sunt æquiuoca vt significantur hoc nomine *æquiuoca*, & sic possunt diffiniri; quia per hoc nomen *æquiuoca* significantur, vt conueniunt in non conuenire, & vt conueniunt in significari vno nomine: æquiuoca exercitè sũpta sunt æquiuoca vt significantur hoc nomine *canis*, & sic non possunt diffiniri; quia per hoc nomen *canis* non significantur vt cõueniunt in non conuenire, vel significari vno nomine.

6 *Dices*: Vt conueniunt in non conuenire sunt vniuoca; sed æquiuoca non possunt diffiniri vt vniuoca: ergo non possunt diffiniri vt conuenientia in non cõuenire. Dist. mai. sunt vniuoca *denominatiuè, & vt subsunt huic nomini æquiuoca*: conced. mai. sunt vniuoca *formalitèr, & vt subsunt peculiaribus nominibus, canis* v.g. & *sanum*: neg. mai. & dist. min. non possunt diffiniri vt vniuoca essentialitèr: conced. min. vt vniuoca denominatiuè: neg. min. & conseq.

7 *Vniuoca* diffiniũtur; *quorum nomen est commune, & ratio substantiæ nomini accommodata est eadem.* Etiam intelligitur diffinitio de vniuocis vniuocatis, quę in eo, quod est habere nomen commune, conueniunt cum ęquiuocis; in cęteris verò particulis discriminantur: *Nota* tamen quod vniuoca, alia sunt stricta, illa scilicèt, quorum nomen est commune, & conceptus essentialis est idem; vt Petrus, & Paulus, quo-

quorum nomen, scilicèt *homo*, est commune, & per illud eadem vtriusque essentia significatur: alia sunt vniuoca communitèr dicta, ea nimirum, quorum nomen est commune, & conceptus obiectiuus est idem, siuè talis conceptus sit essentialis, siue sit accidentalis, vt Petrus, & Paulus, quatenus sub hoc nomine *album* comprehenduntur; habent enim nomen commune, sed per illud non significatur essentia eadem in vtroque. Philosophus in pręsenti diffiniuit vniuoca stricta; quia diffiniuit vniuoca ad intelligendam comparationem eorum, quæ in eodem prędicamento collocantur; quorum certè nomen est commune, & per illud significatur ratio, in qua essentialitèr conueniunt; vniuoca verò communitèr dicta comprehendit sub denominatiuis: quibus tamen si diffinitionem vniuocorum adaptare velis, per ly *ratio substantiæ* intelliges, non quod essentia sit eadem, sed quod conceptus obiectiuus, siue sit accidens, siue essentia, sit idem in rebus, vt per illud nomen significatur.

8 *Denominatiua* dicuntur (inquit Aristot.) *quæ ab aliquo nominis appellationem habent solo differentia casu*: in qua diffinitione non diffiniuntur nomina, sed res, vt per nomen significantur: dicitur *solo differentia casu*, idest differentia in sola cadentia, aut terminatione finali; vnde sensus diffinitionis est ille: denominatiua dicuntur ea, quorum nomen trahit originem vocis, & significationis ab alio, à quo differt in sola terminatione; vt *album*, est denominatiuum, quia nomen *album* deriuatur quoad vocem, & significationem ab albedine cum sola differentia in terminatione; album enim, & albedo incipiunt eisdem litteris, & desinunt diuersis.

9 *Denominatiua* sunt in triplici differentia; nàm quædam sunt denominatiua re, & non voce, vt *studiosus*, & *virtuosus*: *studiosus* enim trahit significationem, non tamen vocem à virtute; similitèr *musica* cùm accipitur pro fœmina perita artis musicæ, & *musica* cùm supponit pro ipsa arte: musica enim primo modo accepta, quoad significationem deriuatur à musica secundo modo accepta, non tamèn quoad vocem; cum ab ea in terminatione non differat. Alia sunt denominatiua voce, & non re, vt *studiosus*, & *studium*; studiosus enim quoad vocem ortum ducit ab studio, non tamèn quoad significationem. Alia tandem sunt denominatiua re, & voce; vt *fortis*, & *fortitudo*, *pius*, & *pietas*, & hæc sunt propriè denominatiua. Interrogas: vtrùm sola concreta accidentalia, vt *album*, *iustum*, & his similia sint denominatiua; an etiam superiori diffinitione comprehendantur concreta substantiæ, vt *homo*, & *rationale*, quorum no-

nomina ab humanitate, & rationalitate trahunt originem?

10 *Resp.* Sub hac diffinitione solùm comprehendi concreta accidentalia. Tùm; quia cùm denominatiua diffinierit Aristoteles ad intelligendam comparationem eorum, quæ sunt in vno prædicamēto, ad res alterius prædicamenti; sola concreta, quorum nomen desumitur à rebus alterius prædicamenti, sunt denominatiua; sed sola concreta accidentalia sunt huiusmodi: ergo sola concreta accidentalia sunt denominatiua. Prob. min. Sola concreta accidentalia denominantur à forma sibi accidentali; sed cuilibet est accidentalis res alterius prædicamenti: ergo sola concreta accidentalia sunt ea, quorum nomen desumitur à rebus alterius prædicamenti. 2. De Deo nihil denominatiuè, sed omnia dici essentialitèr, frequentèr docent Theologi: ergo censent denominatiuū, & accidentale non distingui. 3. Ly *ab aliquo* in diffinitione, idē valet ac ab alio; aliquid enim est aliud quid: ergo forma, à qua sumitur denominatio, est extrà essentiam denominatiui: ergo denominatiuum est concretum accidentale.

11 *Denique colligitur* ex illa particula diffinitionis, *nominis appellationem*; in qua innuitur, denominatiuis applicari nomen proprium alterius: ergo id, à quo sumunt denominationem est extra essentiā illorum; à propria quippè forma non habent res nominis appellationem, aut applicationem; sed habent ab ea propriū nomen. Sed nota; formam denominatiui debere esse accidentalem prædicabilitèr, non prædicamentalitèr, id est, debere esse extrà essentiam denominatiui, siue talis forma sit substantia, siue sit accidens; vnde aureum dictum de annulo est denominatiuum, quia licèt aureum sit substantia, est extrà essentiam annuli; & album sumptum non adiectiuè pro subiecto habēte albedinem, sed substantiuè pro aggregato dicente in recto, & ex æquo corpus, & albedinem nō est denominatiuum; quia etsi albedo sit accidens, non est extrà essentiam eius.

ART. II.

Quæ sint diuisiones, & regulæ ante prædicamentales?

15 DVas diuisiones præmisit Philosophus, quarum prima sic habet: *Eorum, quæ dicuntur, quædam cum complexione dicuntur, vt homo albus, quædam sine complexione, vt homo.* Hic etiam Philosophus non voces, sed res vt substant nominibus diuisit, eo certè fine, vt ostenderet excludi à prædicamento res, quæ voce complexa significantur; solent enim pertinere ad diuersa predicamenta, vt *homo albus*, ad prædicamentum substantiæ, & qualitatis.

13 *Secunda diuisio* his verbis trad-

traditur: *Eorũ quæ sunt, alia de subiecto dicũtur, in subiecto verò nõ sunt, vt homo; alia in subiecto sunt, de nullo verò dicuntur subiecto,* vt hoc albũ; *alia de subiecto dicuntur, & sunt etiam in subiecto,* vt album; *alia denique, nec in subiecto sunt, nec de vllo dicuntur subiecto,* vt Petrus.

14 *Subiectum*; aliud est inhæsionis, illud scilicet, in quo aliquid existit per modum accidentis; aliud attributionis, illud nempè, de quo aliquid prædicatur. Cũ ergo ait Philosophus aliquid esse, vel non esse in subiecto, loquitur de subiecto inhæsionis; loquitur verò de subiecto attributionis, cùm asserit, aliquid prædicari, aut non prædicari de subiecto.

15 *Quarè* per ea, quæ dicuntur de subiecto, & nõ sunt in subiecto intelligit substantias vniuersales, hoc est, genera, & species prædicamenti substantiæ: per ea, quæ sunt in subiecto, & de subiecto dicuntur intelligit genera, & species accidentium: per ea, quæ nec sunt in subiecto, nec de subiecto dicuntur, intelligit substãtias particulares: per ea tandem, quæ in subiecto sunt, sed de nullo subiecto dicuntur, intelligit accidentia particularia.

16 *Circà* hanc diuisionem aduerte primò; in ea quatuor contineri diuisiones: *prima*, eorum quæ sunt (intellige directè in prædicamento, per quod excludes à diuiso huius diuisionis omnia incompleta, vt materiam, formã, & differentias) in ea, quæ sunt in subiecto, & ea quæ nõ sunt in subiecto; quæ diuisio est analoga, cùm sit entis in accidens, & substantiam. *Secunda* eorum quæ sunt, in ea, quæ dicuntur de subiecto, & ea quæ non dicuntur de subiecto: quæ diuisio est subiecti in accidentia, cũ sit diuisio entis in vniuersale, & particulare. *Tertia* eorum quæ dicuntur de subiecto, in ea quæ sunt in subiecto, & ea quæ in subiecto non sunt; & hæc est accidẽtis in subiecta, cùm sit diuisio vniuersalis in substantiam, & accidẽs. *Quarta* est eorum, quæ de nullo dicuntur, in ea quæ sunt in subiecto, & ea quæ non sunt in subiecto; & hæc etiam potest dici accidentis in subiecta, cùm sit diuisio singularis in substantiam, & accidens.

17 *Aduerte 2.* quod cũ diuisum sit res ponibilis in eodem prædicamento, dici, vel nõ dici de subiecto intelligitur quidditatiuè: prædicationes enim directæ intrà idem prædicamentum sunt quidditatiuæ; quarè rectè dixit Philosophus, hoc albũ de nullo subiecto posse dici, quia licèt possit dici de Petro, nõ tamèn quidditatiuè.

18 *Aduerte 3.* Notitiam huius diuisionis prærequiri ad prædicamẽta; quia cùm sit series prædicatorum, quorum alia sunt superiora, & alia inferiora, necessarium fuit præmittere notitiam eorum, quæ dicuntur de subiecto, & eorũ quæ de subiecto non dicuntur.

19 *Regulæ*, quas in tertio capite traddit Aristoteles sunt duæ. Prima est: *Cum quidpiam de quo-*

 piam

piam, vt de subiecto prædicatur, quæ dicuntur de prædicato, dicuntur etiam de subiecto. Vt quia animal prædicatur de homine, & de animali prædicatur viuens, etiam viuens prædicatur de homine. Legitima huius regulæ explicatio est, quod cùm quidpiam de quopiam prædicatur quidditatiuè, quidquid dicitur quidditatiuè de prædicato, dicitur etiam quidditatiuè de subiecto. *Ratio est*: nam Aristoteles statuit hanc regulam vt per eam dignosceremus, quænàm in recta linea prædicamentali deberent constitui; at si intelligatur de prædicatione quidditatiua, & non aliter, per eā dignoscitur quæ prædicata debeant in recta linea prædicamentali cōstitui: ergo sic debet intelligi. Prob. min. per eam sic intellectam constat quæ prædicata dicuntur quidditatiuè de subiecto; sed in recta linea prædicamentali non ponuntur prædicata, quæ identicè, vel denominatiuè, sed ea solùm quæ quidditatiuè dicuntur de subiecto: ergo. Vnde per hanc regulam cognoscimus, in recta linea prædicamentali substantiæ poni animal, viuēs, corpus, & substantiam, quia in ea ponuntur quæ de prima substantia, vt de Petro, dicūtur quidditatiuè; & eiusmodi prædicata dici quidditatiuè de Petro, probatur: quia de Petro prædicatur homo quidditatiuè, & de homine animal, de animali viuens, de viuenti corpus, de corpore substantia: ergo animal, viuens, corpus, & substantia prædicantur quidditatiuè de Petro.

20 *Confirm.* cùm quidpiam de quopiam prædicatur, potest aliquid dici accidentalitèr de prædicato, quin dicatur accidentalitèr de subiecto; & patet: nam de homine prædicatur animal, & de animali genus; & tamèn de homine non prædicatur genus: ergo intellecta de prædicatione accidentali regula non est vera.

21 *Secunda regula* est bimembris, & sic se habet: *Diuersa genera non subalternatim posita diuersas specificè habent differentias: genera verò quorum vnum sub altero collocatur non inconuenit easdem habere differentias.* Genera non subalternatim posita sunt, quorum vnum non collocatur sub altero, nec vtrumque sub vnotertio; vnde genera, quæ sub vnotertio collocantur possunt habere easdem differentias; animal enim volucre, & terrestre, quorum vtrumque subijcitur animali, diuiditur per easdem differentias, cùm vtrumque diuidatur per bipes, & quadrupes; sicut enim ex terrestribus, alia duos, alia quatuor habent pedes, ita in volucribus, alia duos, alia quatuor, vt Gryphi, pedes habent: & per hæc patet prima pars regulæ. *In secunda* docemur, quod differentia constitutiua generis inferioris est diuisiua generis superioris; vt sensibile, quod constituit animal, diuidit viuens. Et deseruit tota regula ad cognoscendum

dum

dum differentias, quæ ponuntur ad latus cuiusvis prædicamenti.

ART. III.

Quid, & quotuplex sit analogum?

22 Acturi de diuisione entis in decem prædicamenta, de qua sermonem instituit Philosophus cap. 4. huius lib. debemus præmittere notitiam analogorum, cùm circà præfatam diuisionem non modica sit difficultas in decernendo, sit nè vniuoca, vel analoga; & insupèr præsens doctrina sit necessaria valdè ad intelligētiam vniuocorum, & æquiuocorum, quorum diffinitiones dedimus suprà artic. 1. ex Aristotele.

23 *Analogia* nomen est Græcum significans proportionem, siue proportionalitatem; est autem proportio, *habitudo vnius quantitatis ad aliam*, vt si compares lineam ad lineam: proportionalitas verò est *habitudo proportionum*; vt si dicas, ita se habere duodecim ad sex, sicut se habent quatuor ad duo.

24 *Analoga*, attenta re significata per nomen, diffiniuntur: *Quorum nomen est commune, ratio verò significata, partim est eadem, partim diuersa.* Deducitur hæc diffinitio ex Arist. 4. Metaph. cap. 2. text. 2. & 7. Metaph. cap. 4. text. 15. Et constat primo; per eam non diffiniri analoga analogantia, ide t nomina; sed analoga analogata, idest res vt subsunt nominibus. Constat secundò; analoga esse media inter vniuoca, & purè æquiuoca, cùm de his diuersitatem, & de illis participent vnitatem.

25 *Analogia* diuiditur primò in phisicam, & logicam: analoga phisica sunt, *quorum nomen est commune, & ratio significata est simplicitèr eadem, sed inequalitèr participata*; vt animal, quod nobiliori modo est in homine, quā in Equo. Analoga logica sunt, *quorum nomen est cōmune, & ratio significata est eadem secundùm quid, & simplicitèr diuersa*; vt *sanum* dictum de animali, vrina, & medicina: sumitur hæc diuisio ex D. Th. in 1. d. 19. q. 5. art. 2. ad 1. Analoga phisica sunt secundùm quid analoga, & simplicitèr vniuoca; vnde à D. Th. vocantur analoga secundùm esse, & non secundùm intentionem; quia intentio, seù ratio significata præcisa ab inferioribus omnino est eadem; qua etiam de causa dicuntur phisica, & non logica, quia apud Logicum, qui considerat res cum præcisione, nullam habent diuersitatem, licèt eam habeant quoad Phisicum, qui res considerat vt à parte rei existunt. Dicuntur analoga analogia phisica quælibet prædicata superiora, præter speciem infimam; quia cùm sola species infima participetur æqualitèr ab inferioribus, sola illa est vniuoca vniuocatione opposita analogiæ phisicæ. *Ex quo* inferes, quod vt aliqua ratio sit logicè analoga, non suffi-

cit quod inæqualitèr participetur, inæqualitate orta à differentijs; sed requiritur, quod ratio cõmunis præcisa à differentijs habeat ex se inæqualitatem.

26 *Analoga logica*, alia sunt proportionis, seu attributionis, alia proportionalitatis: analoga attributionis sunt, *quorum nomẽ est commune, ratio verò significata est eadem secundùm terminum, & diuersa secundùm habitudinem ad illum*. Ita D. Thom. 11. Metaph. lect. 3. Exẽplum: animal, vrina, & medicina, vt significantur hoc nomine *sanum*, sunt analoga attributionis; quia in eis ratio significata, nempè sanitas, est eadem secundùm terminum, cum eadem sit sanitas, quam animal, vrina, & medicina respiciunt, & diuersa secundùm habitudinem ad illum, cum habitudines eorum sint diuersæ; animal enim per modum subiecti, vrina per modum signi, medicina per modum causæ respicit sanitatem.

27 *Dicũtur* hæc analoga attributionis, aut proportionis, quia res significata per nomen inuenitur principalitèr in vno, à quo cætera denominantur propter proportionem, aut ordinẽ ad illud; illi enim tribuitur, quod reliqua sic denominentur.

28 *Proprietates* analogorum attributionis ex Caiet. cõmunitèr receptæ opusc. de nominum analogia, sunt quatuor. *Prima*: quod ratio significata per nomẽ intrinsecè inueniatur in principaliori analogato, in alijs verò per extrinsecã denominationem, & per respectum ad illud. *Secunda*: quod ratio significata per nomẽ sit vna numero, & non multiplicetur in analogatis. *Tertia*: quod analogatũ principale ponatur in diffinitione cæterorum; quia cùm hæc sint talia per respectum ad primum, nõ possunt intelligi, aut diffiniri sine ordine ad illud. *Quarta*: quod nomini analogo nullus conceptus formalis, vel obiectiuus cõmunis omnibus analogatis correspondeat; vndè *sanum*, quod est analogum attributionis significat sanitatem, quæ solùm est intrinsecè in animali; non multiplicatur in vrina, & medicina; nõ potest diffiniri medicina vt sana nisi per ordinẽ ad sanitatem animalis; nec ab animali, vrina, & medicina potest abstrahi conceptus sanitatis, qui omnibus illis sit communis.

29 *Analoga* proportionalitatis sunt, *quorum nomen est cõmune, ratio verò significata est eadem proportionalitèr*. Idest, est similis secundũ proportionem: quod contingit quando, sicut res vna cõparatur ad aliquid, ita alia comparatur ad aliud v.g. quia sicut se habet visus ad corpus, ita se habet intellectus ad animam, in eo quod sicut visus repræsentat corpori visibilia, ita intellectus repræsentat animæ intelligibilia, licèt modus vtriusque potẽtiæ sit diuersus; intellectus, & oculus, vt significantur hoc nomine *visus* sunt analoga proportionalitatis. Similitèr, quia sicut se

ha-

habent fundamēt in ad domum, & fons ad riuos, ita se habent cor ad vitam, & Pater ad filios; fundamentum, cor, fons, & Pater sunt analoga proportionalitatis, vt significantur hoc nomine *principium*.

30 *Hic tamen adverte*: proportionalitatem posse inveniri in vniuocis; nam sicut se habet animal hominis ad rationale, ita se habet animal equi ad hinnibile; quia tamen per hoc nomen *animal* non significatur proporcionalitas, sed identitas hominis cum equo in ratione animalis, ideo homo, & equus vt significantur hoc nomine *animal* (& idem dico de quibuscumque alijs vt nomine vniuoco designantur) non sunt analoga proportionalitatis, sed simplicitèr vniuoca.

31 *Subdiuiditur* analogia proportionalitatis, in analogiam proportionalitatis propriæ, & impropriæ. Analoga proportionalitatis propriæ sunt, *quibus ratio significata per nomen convenit propriè, & absque metaphora*. Vt punctum, & fundamentum, quibus ratio principij lineæ, & domus convenit absque metaphora. Analoga proportionalitatis impropriæ sunt, quandò ratio significata per nomen convenit vni propriè, & alijs metaphoricè: vt ridere respectu hominis, & prati.

32 *Quatuor* ex Caiet. vbi suprà, numerantur proprietates analogorum proportionalitatis propriæ: *prima*, quod ratio significata per nomen sit in omnibus intrinsecè: *secunda*, quod non sit vna numero, sed multiplex in illis: *tertia*, quod vnum non debeat diffiniri per alterum: *quarta*, quod possit abstrahi conceptus, eis aliquo modo communis.

ART. IV.

Quæ sint causæ analogiæ?

33 **N***Otandum est*, quod cùm analogia Logica, de qua tantùm est sermo, sit convenientia cum diuersitate, illud est causa analogiæ, quod est principium, & ratio, ob quam ratio cōmunis participetur ab inferioribus cum diuersitate.

34. *Prima conclusio: Sola transcendentia est sufficiens causa analogiæ*. Prædicatum illud dicitur transcēdens, quod imbibitur in vltimis differentijs suorum inferiorum, ita vt de illis formalitèr prædicetur; quarè asserimus, nullum esse prædicatum transcendens, quod logicè non sit analogum. Conclusio sic explicata defenditur communitèr a Thomistis, alijsque pluribus cōtra Scotū, Suarez, & alios.

35 *Et probatur* 1. ex D. Th. qui 10. Metaph. lect. 1. & q. 2. de verit. art. 11. probat ex transcendentia entis, illud non esse vniuocum respectu suorum inferiorum. *Secundo* hac ratione: sola transcendentia sufficit, vt ratio transcendens sit partim eadem, & partim diuersa: ergo sola illa sufficit, vt sit analoga. Prob. antec. ratio transcendens talis est, vt in ea conveniant

niant inferiora, & vt inferiora simul differant per eam: ergo sola transcendentia sufficit, vt ratio transcendens sit partim eadem, & partim diuersa. Antec. quoad primam partem patet; quia in ratione communi inferioribus conveniunt inferiora; sed ratio transcendens est communis inferioribus: ergo conveniunt in ea. Quoad secundam verò probatur: inferiora differunt per differentias: ergo differunt per rationem transcendentem. Prob. conseq. quæ differunt per differentias, differunt per id, quod est de conceptu quidditatiuo differentiarum; sed ratio transcendens est de conceptu quidditatiuo differentiarum: ergo si inferiora differunt per differentias, differunt per rationem transcendentem. *Confir.* Ideo quæ differunt per rationale non differunt per animal, quia animal est extra conceptum rationalis: ergo si ratio transcendens, v. g. ens, est de conceptu rationalis, quæ differunt per rationale, differunt per ens.

36 *Dices*: quæ differunt per differentias non differunt per ens, nam ad hoc sufficit quod ens non sit de conceptu explicito differentiarum: sicut ob hanc rationē Personæ Diuinæ differunt per relationes, & non in natura, esto natura transcendat relationes: & homo, & equus conveniunt in ente, & non in differentijs, licèt ens transcendat differentias.

37 *Contra*: quæ conveniunt in animali, conveniunt in viuenti; & quæ conveniunt in substantia conveniunt in ente; quia viuens est de conceptu implicito animalis, & ens de conceptu implicito substantiæ: ergo quæ differunt per rationale differunt per ens, hoc ipso quod ens sit de conceptu implicito rationalis.

38 *Confirm.* quæ differunt per rationale non conveniunt simpliciter in ente: ergo differunt per ens. Pat. conseq. quia quæ non conveniunt in ente simpliciter, cōveniunt in illo secundùm quid; ac subinde partim conveniunt, & partim differūt. Antec. verò prob. *Tùm* quia ratio, in qua simpliciter conveniunt inferiora, perfectè præscinditur à differentijs; sed si ens est transcendens, non præscinditur perfectè à differentijs: ergo quæ differunt per rationale, si ens est transcendens, non conveniunt simpliciter in ente. *Tùm* quia conceptus, in quo aliqua differunt, & conceptus, in quo nullo modo differunt, sed simpliciter conveniunt, non potest esse simplex, sed debet esse compositus; atqui rationale, & ens non faciunt compositionem, sed sunt simplex conceptus: ergo quæ differunt per rationale, non conveniunt simpliciter in ente.

39 *Nec motiua* solutionis vrgent: nam ad primum Resp. quod essentia in Diuinis transcendit realiter, non logicè relationes, nam imbibitur in eis, non per modum superioris logici multiplicati in eis-

eisdem, sed per modum essentiæ, quæ cum omnimoda sui identitate communis est illis: tunc autem, quæ differunt in aliqua differentia, differunt in eo, quod est de conceptu illius, quando id quod est de conceptu illius, differt sicut ipsa differentia, secùs verò quando ita est de conceptu differentiæ, vt non obstante distinctione differentiæ, ipsum suam seruat vnitatem: quarè stat, personas Diuinas distingui per relationes, & non distingui in natura; quia natura licèt sit de conceptu relationum, quæ distinguuntur, non est distincta; non tamen stat differre per differentias, & non differre per ens; quia ens ita est de conceptu differentiarum, vt multiplicetur in eis, & disting[illegible]r quotiès ipsæmet differentiæ distinguuntur.

40 *Ad 2. Resp.* quod homo, & equus conueniunt secundùm quid in differentijs, licèt nomen, vel conceptus significans differentias non exprimat conuenientiam; vndè non sequitur quod homo, & equus non differant in ente, estò verum sit nomine, vel conceptu entis eorum non exprimi differentiam.

41 *Secundò prob. conclusio:* Accidens vt abstrahit à completo, & incompleto est analogum respectu nouem generum accidentis, aliàs esset genus ad illa; ac subindè nouem genera accidentis non essent genera suprema: similitèr ens vt abstrahit a completo, & incompleto est analogum respectu Petri, & Pauli, cùm conueniant in ente, & differant per ens, hoc est, per differentias indiuiduales, quarum quælibet formalitèr est ens; sed in prædictis sola transcendentia potest esse causa analogiæ: ergo. Prob. min. Ex prædictis nouem generibus non participat vnum rationem accidentis dependentèr ab alio; nec vnum participat illam simplicitèr, & alterum secundùm quid: similitèr nec Petrus participat rationem entis dependentèr à Paulo, nec alter illorum contrahit simplicitèr, & alter secundùm quid: ergo cùm præter transcendentiam, dependentiam, aut inæqualem participationem, nulla assignari possit causa analogiæ, sequitur quod in prædictis sola transcendentia sit causa analogiæ.

42 *Obijc.* 1. contra conclusionem: in ea ratione communi magis conueniunt inferiora, quæ est principium maioris conuenientiæ inter illa; sed ratio transcendens, v. g. ens, est principium maioris conuenientiæ inter inferiora entis, quam animal inter inferiora animalis: ergo magis conueniunt inferiora entis in ente, quàm inferiora animalis in animali: hæc cōueniunt vniuocè in animali: ergo & illa in ente. Min. primi syllogismi prob. Ens est suis inferioribus ratio conueniendi in vltimis differentijs; animal non est suis inferioribus ratio conueniendi in vltimis differentijs: ergo.

43 *Dist. min.* Ens est principium ma-

maioris convenientiæ *extensiuè*: concedo min. *intensiuè*: neg. min. Ens enim facit sua inferiora in pluribus convenire, quia facit ea convenire, nedùm in genere, sed etiam in differentijs: non tamen facit adeò perfectè convenire; quia cùm eo ipso quod faciat cōvenire in differentijs, faciat etiam differre, non facit simplicitèr convenire, sed partim differre, & partim convenire.

44 *Instas*: Ratio metaphisicè composita, vt animal, non est suis inferioribus ratio conveniendi, & differendi: ergo multo minus ratio simplicissima, qualis est ratio transcendens. *Resp.* quod ratio transcendens, etsi non sit composita ex genere, & differentia, non est simplex, sed actu includens inferiorum diuersitatem; vndè non mirum quod sit ratio conveniendi, & differendi potiori iure, quàm animal; quod licèt sit compositum ex genere, & differentia, inferiorum diuersitatem actu non includit.

45 *Obijcies* 2. *Verum* est transcendens respectu suorum inferiorum; & tamen non est analogum, sed vniuocum: ergo. Prob. min. *Verum* est obiectum specificativū intellectus; at obiectum specificativum intellectus est vniuocum, nam vnitas potentiæ sumitur ab vnitate obiecti: ergo. *Neg. min.* ad probationem *Resp.* quod sicut stat potentiam esse vnam specificè, & obiectum esse vnum genericè; vt patet in visu, cuius obiectum est color; ita stat, potentiam esse vnam simplicitèr, & obiectū esse vnum analogicè, & secundùm quid: vt enim potentia (maximè si sit vniuersalis, qualis est intellectus, & voluntas) sit vna, sufficit, quod omnia obiecta, ad quæ se extendit conveniant in vna ratione, quæ sit proportionalitèr eadem.

46 *Obijcies* 3. inferiora animalis conveniunt simplicitèr in animali: ergo in ente, quod est de cōceptu animalis. *Neg. conseq.* quia licèt ens sit de conceptu animalis, est etiam de conceptu rationalis, & ea, quæ conveniunt simplicitèr in genere, conveniunt simplicitèr in eo, quod est de conceptu generis, nisi simul sit de conceptu differentiæ.

47 *Secunda conclusio.* Dependentia in participanda ratione cōmuni est sufficiens causa analogiæ. Traditur à D. Thom. qui 1. part. q. 13. art. 5. & q. 4. art. 3. ex dependentia creaturæ à Deo in ratione entis infert, ens esse analogum ad Deum, & creaturas, & prob. Tunc dependent inferiora in participanda ratione communi, quandò ratio communis significata per nomen, hoc est, conceptus obiectivus, secundùm se præcisè consideratus, invenitur in vno dependentèr ab altero; sed cùm ratio significata per nomen invenitur in vno dependentèr ab altero, est partim eadem, & partim diuersa, ac subindè analoga: ergo dependentia in ratione communi-

muni participanda est sufficiens causa analogiæ. Prob. min. Tùm, quia ratio, quæ reperitur in vno dependentèr ab altero non est omninò diuersa, vt de se patet, nec est omninò eadem in vno, & in altero. Tù quia idem à se ipso non dependet. Tùm etiam, quia ratio, quæ secundùm se considerata inuenitur in vno cum dependentia ab altero, non potest præscindi a dependentia ab altero, quod autem præscindi nequit à dependentia ab altero, nec à diuersitate potest omninò præscindi, cùm dependentia diuersitatem essentialitèr includat: ergo ratio quæ reperitur in vno dependentèr ab altero est partim eadem, & partim diuersa.

48. *Confirm.* Ratio conueniēs vni simplicitèr, & alteri secundùm quid non est vniuoca, sed analoga; at ratio quæ reperitur in vno dependentèr ab altero conuenit vni simplicitèr, & alteri secundùm quid: ergo non est vniuoca, sed analoga. Maior est certa: *Tùm* quia, ea quæ non participant simplicitèr aliquam rationem, non sunt idem simplicitèr in illa ratione; homo enim pictus non est vnum, & idem simplicitèr in ratione hominis cum viuo; quia non est simplicitèr homo, sicut viuus. *Tùm* quia ideo sanum non est vniuocum respectu medicinæ, & animalis, quia sanitas conuenit simplicitèr animali, & secundùm quid medicinæ: ergo ratio conueniens vni simplicitèr, & alteri secundùm quid, non est illis vniuocè communis. Maior verò probatur; quod conuenit vni ratione habitudinis ad alterum, & alteri proptèr se, conuenit vni simplicitèr, & alteri secundùm quid; sed ratio, quæ conuenit vni dependentèr ab alio, conuenit vni ratione habitudinis ad alterum, & alteri propter se: ergo ratio quæ conuenit vni dependentèr ab alio, conuenit vni simplicitèr, & alteri secundùm quid. Maior explicatur superiori exemplo medicinæ, quæ ideo dicitur secundùm quid sana, quia præcisè denominatur sana ratione habitudinis ad alterum, nempè ad animal, cui proptèr se conuenit esse sanum: ergo quod conuenit vni ratione habitudinis ad alterum, & alteri proptèr se, conuenit vni simplicitèr, & alteri secundùm quid. Min. verò prob. Ratio quæ conuenit vni dependentèr ab altero, ei, à quo alter dependet, conuenit proptèr se, ei verò quod ab altero dependet conuenit ratione alterius: ergo conuenit vni ratione habitudinis ad alterum, & alteri proptèr se.

49 *Obijcies.* Actus participat rationem communem qualitatis dependentèr à potentia; & tamen ratio qualitatis vniuocè prędicatur de actu, & potentia: ergo dependentia vnius ab altero in participanda ratione communi-

muni non est sufficiens causa analogiæ.

50 *Dist. mai.* actus participat rationem qualitatis dependenter à potentia, dependentia intrinseca rationi communi qualitatis, & proueniente ab ea; neg. mai. dependentia extrinseca rationi cõmuni qualitatis, & proueniente à conceptu differentali actus; concedo mai. & concessa min. dist. consequens; non est causa analogiæ dependentia orta à conceptu differentiali; concedo conseq. orta à ratione communi; neg. conseq.

51 *Instas*: dependentia vnius ab altero, v. g. effectus à causa nequit esse intrinseca rationi communi causæ, & effectui: ergo prædicta dependentia non potest esse causa analogiæ. Prob. ant. si dependentia esset intrinseca rationi, quæ communis est causæ, & effectui, esset intrinseca causæ, & effectui; nàm quod convenit superiori, convenit omnibus contentis sub eo; sed dependentia non est intrinseca causæ, & effectui, cùm causa vt talis nullam dependentiam dicat: ergo dependentia non est intrinseca causæ, & effectui.

52 *Neg. antec.* ad prob. dist. mai. quod convenit superiori cõvenit omnibus contentis sub eo, si superius sit vnum simplicitèr; concedo mai. Si sit vnum secundùm quid; neg. mai. quia si superius sit vnum secundùm quid, includit diuersitatem inferiorum, & diuersimodè participatur ab eis, quo circa potest rationi communi causæ, & effectui, si sit vna secundùm quid, esse intrinseca dependentia, & independẽtia, quin independentia participetur ab effectu, nec dependentia à causa participetur; sicut de conceptu entis sunt (vt dicemus infra) modi essendi per se, & in alio, quin modus essendi in alio prædicetur de substantia, nec modus essendi per se de accidenti prædicetur.

53 *Inquires*: Vtrùm transcendentia, & dependentia constituāt peculiarem speciem analogiæ distinctam ab analogia proportionis, & proportionalitatis? *Resp.* negativè; non enim sunt species, sed causæ analogiæ, quæ si proueniat ex transcendentia, est proportionalitatis, cùm ratio significata per nomen in omnibus intrinsecè imbibatur; si verò proueniat ex dependentia, aliquandò est analogia attributionis, nempè cum ratio significata per nomen ab vno principaliori intrinsecè, ab alijs verò extrinsecè participatur, vt contingit in hoc anologo *sanum*: aliquandò est proportionalitatis, vt cùm ab vno principaliori, & ab alijs intrinsecè participatur ratio significata per nomen, sed deficientèr, vt contingit in hoc analogo *ens*, cuius conceptum obiectivum intrinsecè, sed deficientèr participant substantia, & nouem genera accidentium.

AR-

ARTIC. V.

Vtrùm ratio communis entis realis transcendat quascumque differentias?

54 PRæmittere opportet quid sit ens, & quid sit transcendere. Ens dicitur duplicitèr, participialitèr,& nominalitèr: ens participialitèr sumptum est, quod significatur per participium verbi *sum, es, fui*; & est idem ac *existens*; nominalitèr dictum est idem, ac *non repugnans, possibile, seu aptum ad realiter existendum.*

55 *Rationem* aliquam transcendere differentias est ita includi in differentijs, vt per illam in recto possint quidditatiuè diffiniri; ad hoc autem minimè requiritur, quod si vnum concipitur expressè, eadem expressione concipiatur alterum, sed sufficit quod conceptus obiectiuus vnius non possit adæquatè diffiniri sine altero. Procedit difficultas præsens de ente nominalitèr dicto; vtrum, scilicèt transcendat differentias, ita vt quælibet formalitèr,& præcisiuè sumpta sit ens reale.

§. I.

Vnica conclusio.

56 R*Atio communis entis realis transcendit quascumque inferiorum differentias.* Ita omnes Thomistæ; quibus consentiunt Suarez, Vazquez, Hurtado, Tellez, Alphonsus, & plures alij, cõtra Scotum, Merinero, Lycherũ, Arriaga, Izquierdo, P. Lince, & Quiros.

57 *Primum* sententiæ nostræ fundamentum est authoritas Angelici Præceptoris, qui q.1.de verit. artic. 1. ait: *Enti nihil potest addi extraneum per modum, quod differentia additur generi, vel accidens subiecto; quia qualibet natura essentialitèr est ens*: ergo ex D. Th. ens includitur essentialitèr in quacũque differentia. Id ipsum docuit 1.2.quæst.94. art. 2. dicens: *Illud quod primò cadit in apprehensione est ens, cuius intellectus includitur in omnibus quæcumque quis apprehendit.* Videatur prætereà in 1. dist. 22. quæst.1.art. 3.ad 2.& 8.Met.text. 16.lect.vltim.

58 *Prima conclusionis ratio* sic instruitur: ens reale transcendit ea, quæ formalitèr sunt entia; sed differentiæ omnes sunt formalitèr entia: ergo transcendit omnes differentias. Prob. min. Rationalitas, v. g. formalitèr considerata, hoc est, vt præcissa ab animali, est possibilis: ergo est ens. Patet conseq. nam possibile, seu potens existere, & ens sunt formalitèr idem: ergo si rationalitas formalitèr est possibilis, formalitèr est ens. Antec. verò prob. possibile est quod excludit suum contradictorium; sed rationalitas formalitèr excludit suum cõtradictorium, nempè non rationalitatem: ergo formalitèr est pos-

possibilis. Mai. solum eget explicatione: nam possibile est, quod sine contradictione potest existere; sed existere sine contradictione est existere excluso contradictorio: ergo possibile est quod excludit suum contradictorium; idest, ex cuius existentia sequitur exclusio proprij contradictorij.

59 *Dices*: rationalitatem non esse formalitèr possibilem, nec impossibilem, sed ab vtroque præscindere; nec formalitèr excludere suum contradictorium, nempè non rationalitatem; quia formalitèr sumpta præscinditur à prædicatis, per quæ non diffinitur, & non diffinitur per possibile, nec per impossibile, nec per oppositionem cum suo contradictorio, sed per talitatem, aut determinationem animalis ad hominem.

60 *Sed contra* 1. Animal formalitèr excludit non animal: ergo rationalitas formalitèr excludit non rationalitatem. Antec. admittitur à contrarijs, & meritò; quia quod non excludit suum contradictorium non est possibile, est enim repugnans id, quod contradictorium sui secum compatitur; at animal formalitèr est, possibile, cùm sit formalitèr ens: ergo excludit formalitèr suum contradictorium, nempè non animal.

Consequentia verò prob. Tùm quia ita opponitur rationale non rationali, ac animal non animali. *Tùm* quia animal non diffinitur per exclusionem non animalis, sed per viuens sensibile; nec ens diffinitur per recessum à nihilo, sed per potens existere; & tamen animal, & ens formalitèr excludunt non animal, & nihil: ergo etsi rationalitas non diffiniatur per exclusionem non rationalis, sed per talitatem, aut determinationem, cum quia animal constituit hominem, poterit formalitèr excludere non rationalitatem. *Tùm etiam*, quia animal, & ens ideo formalitèr excludunt non animal, & nihil; quia cùm illa diffinitio *viuens sensibile* sit inadæquata, & similitèr illa *potens existere*, restant alia prædicata quidditatiua, per quæ possit animal, & ens iterùm inadæquate diffiniri, inter quæ vnum est esse exclusiuum proprij contradictorij; sed hæc ratio, se tota, militat in rationalitate: ergo rationalitas formalitèr excludit non rationalitatem.

61 *Contra* 2. Rationalitas formalitèr est vera rationalitas: ergo possibilis. Prob. antec. Est rationalitas potiùs quàm non rationalitas: ergo est vera rationalitas. Patet conseq. Nam rationalitas abstrahens à vera, & falsa non est potiùs rationalitas, quàm non rationalitas. Antec. verò prob. Rationalitas formalitèr, est rationalitas potius quam hinnibilitas: ergo à fortiori est formalitèr rationalitas potiùs quàm non rationalitas.

62 *Contra* 3. Rationalitas forma-

maliter sumpta non præscinditur à possibili, & impossibili: ergo determinatè est possibilis. Probo antec. *Tùm* quia rationalitas formaliter, est determinatio animalis ad hominem; sed repugnat ex terminis, determinationē animalis ad hominem esse impossibilem, cùm repugnet requisitum ad aliquid possibile esse impossibile: ergo rationalitas formaliter, non præscinditur, sed determinatè excludit impossibilitatem sui. *Tùm* quia formalitati, quæ præscinditur à duobus, non repugnat formaliter coniungi cum vtroque; nam si id repugnaret, vnum saltem ex illis excluderet determinatè, ac subindè cum altero determinatè coniungeretur; sed rationalitati formaliter sumptæ repugnat coniungi cum impossibili, quia rationalitas impossibilis non est talitas animalis, ac subindè non est rationalitas: ergo formaliter sumpta non præscinditur à possibili, & impossibili, sed coniungitur cum possibili.

63 *Confirm.* Differentia chymœræ determinatè est impossibilis, cùm ratione illius ipsa chymœra sit impossibilis: ergo differentia entis realis determinatè est possibilis, cū ratione illius quodlibet ens reale sit possibile. *Vrgetur*: homo per rationalitatem distinguitur ab omni eo, quod non est homo: ergo per rationalitatem distinguitur homo ab impossibili: ergo rationalitas formaliter est possibilis.

64 *Si dica.* rationalitatem, & aliam quamcumque differētiam esse possibilem vt *quo*, non tamen vt *quod*; quia licèt sit constitutiua possibilis, & id, quo ens excludit non ens, non tamen ipsa est in se formaliter possibilis, nec ipsa in se est quod excludit formaliter non ens.

65 *Contra*: Ex duplici conceptu, quorum neuter est formaliter possibilis, nequit resultare tertiū, quod sit formaliter possibile: ergo si nec ens, nec talitas, aut determinatio illius ad reale præ ficto sunt formaliter possibilia, nequit ex illis resultare ens reale, quod sit formaliter possibile: ergo si nec ens, nec prædicta determinatio sunt possibilia vt *quod*; nec vt *quo* erit possibile aliquod eorum.

66 *Contra* 2. Differentia, iuxta solutionem, est formaliter possibilis vt *quo*, idest, constitutiua possibilis: ergo formaliter pugnat cum eo, quod sit impossibilis vt *quod*. Patet conseq. Nam quod est impossibile vt *quod* nequit esse constitutiuum possibilis; sed si differentia formaliter sumpta est constitutiua possibilis, pugnat formaliter cum eo, quod non sit constitutiua possibilis: ergo formaliter sumpta pugnat cum eo, quod sit impossibilis vt *quod*. Tunc sic: sed quod pugnat cum eo, quod sit impossibile vt *quod*, non præscinditur à possibili, & impossibili, sed determinatè est vt *quod* possibile; aliàs non pugnaret cum

 esse

esse vt *quod* imposibile: ergo falsum est, quod differentia ratione sui, & formaliter sumpta præscindatur à possibili, & impossibili.

67 *Probatur* 2. conclusio, & præcedens ratio magis roboratur. Intelligibile transcendit differentias inferiorum: ergo, & ens. Patet conseq. & antec. prob. quæcũque inferiorum differentia formaliter, & vt præcisa à ratione communi, quam determinat, est intelligibilis; immò de facto intelligitur, cùm per eam species diffiniatur: ergo. *Confirm.* 1. Talitas intelligibilis est intelligibilis: ergo talitas entis est ens. Antec. patet; nam cùm voces sint signa conceptuum, quidquid est nominabile est intelligibile; sed talitas intelligibilis vt *quod*, & vt præcisa ab intelligibili, est nominabilis: ergo prout sic est intelligibilis. Conseq. verò prob. nam sicut talitas entis superadditur per rationẽ enti, ità talitas intelligibilis superadditur per rationem intelligibili; hoc non obstante, talitas intelligibilis est intelligibilis: ergo hoc non obstante, talitas, aut determinatio entis est ens. *Confirm.* 2. Talitas differentiæ est differentia: ergo ratio communis differentiæ transcendit suas differentias. Cùr ergo ens differentias eius non transcendet?

68 *Denique* probatur conclusio contra Scotum; qui ex eo putat differentias entis non esse formaliter entia, quia differentia est præcisa ratio distinguẽdi ab alijs, quæ subindè nihil includit, quod sit ratio conueniendi cum illis, cùm sit simplex conceptus, non compositus ex ratione conueniẽdi, & differendi. Vltimæ differentiæ, quantumuis simplices cõueniunt in ratione vltimæ differentiæ; conueniunt in ratione entis *quale*, siue entis adiectiuè, vt Scotus loquitur, cùm quælibet earum sit ens quale, vel ens adiectiuè; conueniunt prætereà in ratione intelligibilis: ergo non obstante earum simplicitate, includunt prædicatum illis commune; conuenientia quippè inferiorum in aliquo prædicato sufficiens fundamentum est, vt illud possit præscindi, & concipi commune ad illa: ergo pariter possunt differentiæ conuenire in ente, & illud per modum transcendentis formaliter includere.

69 *Colliges ex dictis*, differentias esse formaliter ens *quale*, & ens *quid*, hoc est, ens adiectiuè, & ens substantiuè: nam ens *quale*, aut adiectiuè est determinatio entis, ac subindè includit ens in obliquo. Ens *quid*, seu substantiuè, est, quod potest realiter existere, ac subindè est ens in recto; atqui probatum est, differentias formaliter nedùm esse determinationes entis, sed per se ipsas esse possibiles, ac per consequens aptas ad realiter existendum: ergo differentiæ formaliter sunt, nedum ens *quale*, & adiectiuè, sed ens *quid*, & substantiuè.

Col-

70 *Colliges* 2. Ens a differentijs non distingui formaliter, hoc est, per exclusionem vnius conceptus ab alio, vt distinguuntur animal, & rationale; sed tantùm distingui penès implicitum, & explicitum, ea nimirùm distinctione, qua inter se distinguuntur diffinitio, & diffinitum, ens, & illius attributa, verum scilicèt, & bonum cum reliquis entis proprietatibus.

§. II.
Obiectionibus satisfit.

71 OBijcies 1. Per vltimam differentiam hominis homo præcisè differt ab alijs: ergo non includit aliquid, in quo conuenit cum illis. Prob. antec. Si in vltima differentia hominis cōueniret homo cum alijs, non distingueret hominem ab alijs per se ipsam, sed per aliam superadditam; at distinguit hominem ab alijs per se ipsam: ergo per eam non conuenit homo cum alijs, sed præcisè differt ab illis. Prob. mai. nam animal eo indiget differentia superaddita, vt hominem distinguat ab alijs, quia in animali homo conuenit cum alijs: ergo.

72 *Confirmat.* Vltima differentia non componitur ex conceptu communi, & differentiali; aliàs non esset vltima, cùm restaret distinctio facienda per cōceptum differentialem illam componentem, & daretur processus in infinitum, quia differentia non esset simplex conceptus, sed resolubilis in duos, ex quibus conceptus ille differentialis pari ratione deberet componi ex conceptu communi, & differentiali: ergo vltima differentia non includit conceptum communem entis, sed est præcisè conceptus differentialis.

73 *Nego antec.* ad probat. dist. mai. Si in vltima differentia hominis conueniret homo *vniuocè* cum alijs, illa non distingueret hominem ab alijs per se ipsam: conced. mai. Si conueniret *analogicè*: neg. mai. animal enim eo indiget differentia superaddita, quia in animali conuenit homo cum equo vniuocè; conuenientia quippè vniuoca est conueniētia sine diuersitate, cùm sit conuenientia identitatis obiectiuæ; quarè id, in quo inferiora conueniunt vniuocè, nequit per se ipsum illa distinguere: at conuenientia analoga, cum sit conuenientia proportionis, est conuenientia cum diuersitate, quare differentia quæ per se ipsam diuersificat inferiora, potest includere prædicatum, in quo analogicam habeant conuenientiam.

74 *Ad confirm.* disting. antec. Differentia non componitur ex conceptu communi *vniuoco*; & differentiali: conced. antec. *analogo*: neg. antec. Conceptus vniuocus, & differentialis faciunt compo-

positionem, cùm vnus sit extra alium; conceptus verò analogus, & differentialis compositionem non faciunt, quia cum vnus alterum transcendat, vnus non est extra alium; quare ex entis transcendentia, nec sequitur differentiam vltimam indigere vlteriori differentia, nec dari in differentijs processum in infinitum; idem enim conceptus rationalis est ens, in quo conuenit cum alijs entibus, & est rationale, in quo differt ab his, quæ non sunt rationalia; sicut in opposita sententia, idem conceptus talis differentiæ est differentia, in quo conuenit cum alijs differentijs, & est talis differentia, per quod differt ab his, quæ non sunt talis differentia.

75 *Obijc.* 2. Ratio communis non includitur in ratione determinante, vt patet in animali, quod non includitur in rationali; sed ratio communis entis determinatur per differentias, v. gr. per esse per se, & esse in alio, ad substantiam, & accidens: ergo non includitur in differentijs ratio cōmunis entis.

76 *Distin. mai.* Ratio communis non includitur in ratione determinante, *si determinatio fiat per veram, & propriam contractionem*, conced. mai. *si fiat per maiorem eiusdem expressionem*, neg. mai. Solùm vera contractio est determinatio rationis communis facta per conceptum eidem superadditum, & metaphisicè extraneum ab essentia ipsius; hoc modo determinantur rationes vniuocè communes, & idcircò non includuntur quidditatiuè in ratione determinante: prædicata verò analoga, cùm diuersitatem inferiorum actu includant, non determinantur per additionem conceptus obiectiui, sed per conceptum obiectiuum exprimentem magis id, quod implicitè, sed actu continebat ratio communis; quare non inconvenit, superiora analoga includi quidditatiuè in ratione determinante.

77 *Si instes*: rationalitas propriè contrahit rationem animalis: ergo propriè contrahit ens, quia ens est de ratione animalis. *Disting. conseq.* Rationalitas contrahit propriè ens *determinatum ad animal*, conced. conseq. *ens absolutè sumptum*, neg. conseq. Quia cum ens determinatum ad animal sit vniuocum, ac proinde extra conceptum differentiæ; propriè contrahitur per eam; ens verò absolutè sumptum, cum sit analogum, solum potest determinari per differentias, quas actu includit, quo circa propriè contrahi non potest, sed determinari per maiorem earumdem expressionem.

78 *Obijcies* 3. Perseitas, quæ est differentia entis non diffinitur per ens: ergo ens non transcendit differentias. Prob. ant. perseitas est

est conceptus adueniens, & superadditus enti; sed nihil diffinitur per id, quod aduenit: ergo. *Confirma'.* perseitas non diffinitur per solum ens: ergo diffinitur per ens, & aliquid aliud; sed hoc aliud solum potest esse differentia entis: ergo differentia entis non est ens, sed aliquid aliud.

79 *Neg. antec.* ad probat. dist. antec. perseitas est conceptus superadditus enti, *quoad explicitum*: conc. ant. *quoad implicitum*: neg. antec. est enim perseitas maior explicatio entis, cum quo stat optimè, eam non distingui formaliter ab ente, sicut animal rationalẽ est maior hominis expressio, cum quo compatitur, illud ab homine, nec realiter, nec formaliter distingui.

80 *Ad confirm.* dist. consequẽs: diffinitur perseitas per aliquid aliud *quoad modum explicandi*: conced. conseq. per aliquid aliud *formaliter*: neg. conseq. Id enim, quod est aliud ab ente quoad modum explicandi, potest esse idem formaliter cum ente; ex his enim, quæ differunt penès implicitum, & explicitum, potest vnum esse de alterius diffinitione, vt patet in quocumque diffinito, & eius diffinitione; nec putes diffinitionem, & diffinitum in omnibus parificari enti, & differentijs; dissident, & sanè, in eo quod diffinitio exprimit totam confusionẽ diffiniti, differentia verò non est expresßio totius entis, sed entis inadæquatè sumpti, idest partis, quæ actu inclusa, seu in distincta, cum reliquis latebat in ente. Tenet ergo exemplum quoad modum distinctionis; nam sicut diffinitio nõ addit aliquid extraneum diffinito, sed est expresßio omniũ, quæ actu latebant in illius quidditate; ita differentiæ nihil extraneum ab ente enti superaddunt, sed exprimunt partem illius, quod erat inclusum in entis quidditate.

81 *Si dicas.* Rationalitas diffinitur, *principium discurrendi*, vbi nulla entis fit mentio: ergo non diffinitur per ens. *Dist. conseq.* non diffinitur per ens, *vt per prædicatum speciale*: conced. conseq. *vt per prædicatum quidditatiuè inclusum in ipsa diffinitione*: neg. conseq. Nam sicut animal diffinitur per ens, quia diffinitur per viuens, & substantiam, de quorũ quidditate est ens; ita rationale diffinitur per ens, quia diffinitur per principium, talitatem, aut determinationem, de quorum quidditate est ens.

82 *Obijcies 4.* Modus non est formaliter ipsa res, sed determinatio rei; at perseitas est modus entis: ergo non est formaliter ens, sed entis determinatio. *Dist. mai.* modus, qui tantùm distinguitur à re, *vt maior expresßio ipsius*, non est formaliter ipsa res: *neg. mai.* modus, *qui plusquam per modum expresßionis distinguitur à re*: *conced. mai.* at perseitas vt maior expresßio entis distinguitur ab ente; quo circà formalisßimè est ens, tametsi sit modus entis.

83 *Obijcies* 5. Quidquid est formalitèr ens causatur à Deo; sed malitia peccati non causatur à Deo: ergo malitia peccati non est formalitèr ens: ergo aliquod inferius ente non est formalitèr ens, nec transcenditur ab ente. *Dist. mai.* quidquid est formalitèr ens, *quoad expressiones non dicentes deformitatem*, causatur à Deo: conced. mai. *quoad expressiones dicentes deformitatem*: neg. mai. Quare licèt malitia peccati sit formalitèr ens, causatur à Deo vt entitas, vt libera, & vt vitalis, quia in his expressionibus nulla relucet deformitas; non tamen causatur quoad expressionem malitiæ, quia in ea deformitas explicata importatur.

84 *Obijcies* 6. Per vltimam differentiam equus est magis dissimilis homini, quam Petrus Paulo; ergo est summè dissimilis, ac subindè nullatenùs ei similis: ergo cum homine per vltimam differentiam non conuenit equus in ente. Prob. conseq. nihil est magis simile, quàm id quod secundùm omnes formalitates est simile: ergo si Petrus est magis dissimilis Paulo, quam equus homini, equus non est similis homini secundùm omnes formalitates: ergo vltimò deueniendum est ad aliquam, in qua differat, & nullo modo sit similis homini: ergo per vltimam differentiam est equus summè dissimilis homini.

85 *Neg. conseq.* ad prob. dist. mai. nihil est magis simile *extensiue*: conc. mai. *intensiuè*: neg. mai. Similius enim est alteri, quod in tribus conuenit cum altero, in duobus simplicitèr, & in tertio secundùm quid, quàm id, quod in tribus conuenit cum altero, in vno simplicitèr, & in duobus secundùm quid; Petrus ergo similior est Paulo, quam equus homini, quia Petrus conuenit cum Paulo in genere, differentia, & hæcceitate, sed in genere, & differentia simplicitèr, & hæcceitate secundùm quid; equus verò conuenit cum homine in genere, differentia, & hæcceitate, sed in hæcceitate, & differentia specifica secundùm quid, & in solo genere simplicitèr.

86 *Denique obijcies*. Animal, & rationale distinguuntur penès excludens, & exclusum, quia dicunt habitudinem ad distincta connotata, scilicèt ad sensationem, & discursum; sed ens, & rationale dicunt habitudinem ad diuersa connotata, nimirùm ad existentiam, & ad discursum: ergo datur sufficiens fundamentum ad prædictam distinctionem excludentis, & exclusi intèr ens, & rationale.

87 *Dist. mai.* ideò *præcisè*: neg. mai. ideo, *& quia habitudo ad vnum connotatum non est de conceptu habitudinis ad alterum*: conced. mai. quarè distinguuntur formalitèr animal, & rationale, quia habitudo ad discursum non est de quidditate habitudinis ad sensatio-

tionem: ens autem, & rationale non distinguuntur formalitèr, quia de conceptu habitudinis ad discursum est habitudo ad existentiam; habitudo quippè rationalis ad discursum formalitèr est vera, possibilis, & distincta à nihilo, ac subindè potens existere; quod est habitudinem ad discursum includere formalitèr ordinem ad existentiam.

ART. VI.

Vtrùm ens reale sit analogum ad Deum, & creaturas, necnon ad substantiam, & accidens, & qua analogia?

88 SVpponit titulus, ens diuidi in reale, & rationis; & posse rursùs ens reale subdiuidi. *Primò*, in completum, & incompletum, idest, in ens quod directè ponitur in prædicamento, vt homo, & albedo, & in ens quod reductiue in prædicamento ponitur, vt differentiæ, partes phisicæ, & modi. *Secundò*, in creatum, & increatum, idest, in Deum, & creaturas. *Tertiò*, in ens per se, & in alio, hoc est, in substantiam, & accidens.

89 *Supponimus* 2. Ens non esse purè æquiuocum respectu suorum inferiorum; nam omnia participant aliquid aliud præter nomen, nempè vel rationem entis, vel similitudinem entis, aut proportionem cum ente.

90 *Supponimus* 3. Ens non dici vniuocè de ente reali, & ente rationis; nam ens rationis, nec intrinsecè, nec simplicitèr participat rationem entis, sed tantùm secundùm quid; vnde sicut homo non est vniuocè communis viuo, & picto, ita nec ens est vniuocè commune enti reali, entique rationis.

§. I.

Prima conclusio.

91 ENs reale vt abstrahit à completo, & incompleto non dicitur vniuocè, sed analogicè de Deo, & creaturis. Ita omnes Thomistæ; & insupèr Suarez, Vazquez, Hurtado, Tellez, Conimbric. Alphons. Contra Scotum, Nominales, Arriaga, Oviedo, & Lince.

92 *Probatur primò* ex D. Th. qui 1. contra gent. cap. 32. ait: *Relinquitur ergo, nihil de Deo, & rebus alijs vniuocè prædicari.* Videatur etiam 1. p. q. 13. artic. 5. & 3. Metaph. lect. 8.

93 *Secundò prob. ratione*, quæ supposita transcendentia entis in vltimis differentijs, efficacitèr suadet hanc sententiam: Ratio, in qua non conueniunt simplicitèr inferiora, non est simplicitèr eadem; sed in ente non conueniunt simplicitèr Deus, & creatura: ergo ratio entis non est simplicitèr eadem respectu Dei, & creaturæ. Prob. min. Deus, & creatura differunt per rationem en-

entis, cum differentia Dei à creatura formaliter sit ens: ergo Deus, & creatura non conueniunt simpliciter in ente.

94 *Confirm.* 1. *Vnum* est indiuisum in se; sed ratio entis non est simpliciter indiuisa in se: ergo nō est simpliciter vna. Prob. min. Ratio entis est essentialiter multiplex: ergo non est simpliciter indiuisa. Prob. ant. Est multiplex per se ipsam, cùm non sit multiplex per aliquid, quod nō sit formaliter ens: ergo essentialiter est multiplex.

95 *Confirm.* 2. Ratio cōmunis, de cuius essentia sunt differentiae, est partim eadem, & partim diuersa; sed de essentia entis sunt differentiae; ergo ratio entis est partim eadem, & partim diuersa. Mai. est certa, quia cùm diuersitas sit effectus formalis differentiae, essentialiter est diuersa ratio communis de cuius essentia sunt differentiae. Min. verò prob. *Tùm* quia ideò animal hominis, & animal equi sunt de essentia animalis in communi, quia animal hominis formaliter est animal, & animal equi formaliter est animal; sed differentiae sunt formaliter entia: ergo sunt de essentia entis. *Tùm* quia de essentia entis sunt quaecumque non addunt aliquid suprà ens; sed differentiae nihil addunt suprà ens, quia nihil addunt quod non sit formaliter ens: ergo sunt de essentia entis.

96 *Secundo prob. conclusio.* Ratio significata per hoc nomen *ens* inuenitur cum diuersitate, nec dùm phisica, & orta à differentijs, sed logica, & orta à ratione ab eis praecisa, in Deo, & creaturis: ergo est analoga. Prob. antecd. Ratio significata per hoc nomen *albus* inuenitur cùm diuersitate logica in homine albo secundùm se totum, & in Aethiope albo tantùm secundùm dentes: ergo ratio significata per hoc nomen *ens* inuenitur cum diuersitate logica in Deo, & creaturis. *Antec. videtur certum*; nam homo secundùm se totum albus est albus simpliciter, Aethiops autem est albus secundùm quid. Conseq. verò prob. Ideo album descendit cum diuersitate logica ad praedicata inferiora, quia ratio albi significata per hoc nomen *albus* reperitur totaliter in vno, & limitate, siue ex parte in altero; sed *esse*, quod est ratio significata per hoc nomen *ens*, inuenitur plenè, & totaliter in Deo, est enim Deus plenitudo essendi; & limitatè, seù ex parte in creaturis: ergo ratio significata per *ens* inuenitur cum diuersitate logica in creaturis.

97 *Tertiò prob. conclusio.* Si ens esset vniuocum ad Deum, & creaturas, esset genus ad illa: consequens est falsum: ergo. Prob. min. *Tùm* quia si ens esset genus, Deus componeretur ex genere, & differentia, quod est impossibile, cum summa Dei actualitas generis potentialitatem excludat. *Tùm* quia si ens esset genus ad Deum,

Deum, & creaturas, daretur genus superius decem prædicamentis, quæ subindè non essent suprema genera; contra Aristotelem, D. Thom. & communem Metaphisicorum sensum: ergo.

98 *Obijcies* 1. Mensura debet esse eiusdem rationis cum re, quam mensurat; sed esse Dei est mensura creaturarũ: ergo est eiusdem rationis cum illis in essendo: ergo in ratione entis vniuocè conuenit cum illis. *Confirm.* Nihil cognoscitur nisi per aliquid eiusdem rationis cum illo; sed per esse Dei cognoscuntur creaturæ: ergo Deus in essendo est eiusdem rationis cum creaturis.

99 *Dist. mai.* Mensura *homogenea*, *& adæquata* debet esse eiusdem rationis cum re mensurata: conced. mai. mensura *æthereogenea*, *& excedens*; neg. mai. Deus autem non est mensura adæquata cum creaturis, sed excedens illas; quare non debet esse eiusdem rationis cum creaturis. *Ad confirmat. Resp.* quod vt vnum per aliud cognoscatur, non requiritur, quod illud sit eiusdem rationis cum re cognita, sed sufficit quod, vel sit eiusdem rationis, vel illam contineat eminenter; vt contingit in Deo, in quo cognoscuntur creaturæ, quia licèt non sit eiusdem rationis cum illis, illas per modum causæ continet eminenter.

100 *Obijcies* 2. Diuersitas orta ex differentijs non obstat vniuocationi; sed tota diuersitas inter Deum, & creaturas oritur ex differentijs, scilicèt ex conceptu finiti, & infiniti: ergo ea nõ obstãte, Deus & creatura conueniunt vniuocè. *Dist. mai.* Diuersitas orta ex differentijs *actu inclusis in ratione communi* non obstat vniuocationi: neg. mai. Diuersitas orta ex differentijs *superadditis rationi communi*: conced. mai. Cæterùm differentiæ, quibus Deus, & creatura distinguuntur, non sunt superadditæ enti, cùm sint formaliter entia; vnde diuersitas ex illis orta impedit vniuocationem entis.

§. II.

Secunda conclusio.

101 **E***Ns vt abstrahit à completo, & incompleto non est vniuocum respectu substantiæ, & accidentis.* Ita D.D. relati pro præcedente, quibus fauet Arist. 7. Metaph. text. 15. ibi: *Ens neque æquiuocè dicitur, neque eodem modo.* Necnon D. Thomas locis suprà citatis.

102 *Et prob.* 1. *ex dictis*; nam transcendentia alicuius rationis communis est sufficiens causa analogiæ; sed ratio communis entis est transcendens respectu substantiæ, & accidentis: ergo est analoga.

103 *Secundo prob.* Substantia est ens simplicitèr, & accidens est ens secundùm quid: ergo substantia, & accidens non conueniunt vni-

vniuocè in ratione entis. Prob. ant. Ens est quod potest existere; sed existere conuenit simplicitèr substantiæ, & accidenti secundum quid: ergo. Prob. min. Substantia existit per se, & accidens in alio; sed existere solùm dicitur simplicitèr de his, quæ existunt per se: ergo.

104 *Confirm.* Et simul explicatur hæc ratio: Illud dicitur simplicitèr tale, quod nomen ex prima sui institutione significat; vnde *Nero* simplicitèr est ille, ad quem significandum primo imposita fuit vox *Nero*; sed nomina fuerunt primo imposita ad significandum id, quod est per se tale, vt patet in hoc termino *sanum*, qui ex vi primæ impositionis solùm significat animal, quod est per se sanum; reliqua verò, quæ ab alio dicuntur sana, significat per translationem: ergo illud tantùm est simplicitèr tale, quod est tale per se: ergo solùm existit simplicitèr quod existit per se. *Denique* prob. hæc conclusio rationibus, quibus probata est prior; nam ferè omnes probant analogiam entis ad accidens, & substantiam.

105 *Obijcies* 1. accidens in ratione entis non dependet à substantia: ergo conuenit vniuocè cum illa. Prob. ant. quod conuenit accidenti in quantum ens, cōuenit omni enti; sed non omne ens dependet à substantia, nam substantia ab ea non dependet: ergo accidens in quantùm ens non dependet a substantia.

106 *Inprimis dato antecedenti, neg. conseq.* qua seclussa dependentia accidentis à substantia, sola transcendentia entis sufficit, vt accidens, & substantia non vniuocentur in ente. *Secundò. Resp.* neg. antec. ad probat. dist. mai. Si quod conuenit accidenti in quantùm ens, sit *de conceptu explicito* entis, conuenit omni enti: conc. mai. si sit *de conceptu implicito* entis: neg. mai. Cùm enim iuxta sæpè dicta, differentiæ inferiorum contineantur actu in ente, seù implicitè, dependentia, & perseitas, quę sunt differentiæ substantiæ, & accidentis, non explicitè, sed implicitè in ente continentur; quod sufficit vt sint de conceptu entis; non tamen sufficit vt omni enti conueniant; quia cùm conceptus entis non sit simplicitèr vnus, sed sit etiam multiplex, non requiritur quod omnia, quæ conceptus entis includit, omnibus inferioribus conueniant.

107 *Obijcies* 2. Accidens non est ens metaphoricè, sed verè; verè quippè existit, & causat: ergo est simplicitèr ens. *Nego conseq.* quia licèt accidens intrinsecè, & verè participet rationem entis, illam non participat simplicitèr, ac subindè nec vniuocè.

§. III.

§. III.

Tertia conclusio.

108 ENs *completum non est vniuocum ad decem prædicamenta.* Eam traddit expressè D.Thomas 2.ad Annibaldum, dist.25.q.1.artic. 3.dicens; quod *quæcumque non conueniunt in vno genere generalissimo non potest de eis aliquid vniuocè dici.* Et 8. Metaph. lect.5.inquit: *Ens non expectat aliquid additum ad hoc vt fiat hoc, idest, substantia, vel quantitas, vel qualitas*: ergo modi, per quos contrahitur ens vt sit substantia, quantitas, vel qualitas, &c. non sunt superadditi, nec extra conceptum entis, quod diuiditur in decem prædicamenta: ergo ens quod diuiditur in decem prædicamenta, scilicèt ens completum non est vniuocum; ratio quippè communis, cui non superadduntur inferiorum differētiæ, includit eas; ac subindè non est vniuoca. Id ipsum reperit S.D.in 1.dist. 22.q. 1.art.3.ad 2.Et in dist.19.q.5.art. 2.& 4.Metaph.lect.1.

109 *Ratio conclusionis est*: quod non est simplicitèr ens, non est simplicitèr vnum in ratione entis completi cum substantia completa; sed accidens etiam completum non est simplicitèr ens: ergo non est simplicitèr vnum in ratione entis completi cum substantia completa: ergo inferiora entis completi, nempe substantia completa, & accidens completum non conueniunt vniuocè in ratione entis completi: ergo nec ens completum est vniuocum ad illa. Mai. patet; nam quod non est simplicitèr ens, non est simplicitèr ens completum; sicut quod non est simplicitèr homo, non est simplicitèr homo perfectus; sed quod non est simplicitèr ens cōpletum, non est simplicitèr vnum cum substantia completa in ratione entis completi; cùm substantia completa simplicitèr sit ens completum: ergo. Minor verò prob. accidens completum nō est ens per se: ergo non est ens simplicitèr. Prob. conseq. illud est simplicitèr tale, quod nomen ex vi suæ institutionis primò significat; sed nomen quodlibet, & proinde nomen *ens* ex vi suæ institutionis primariò significat ens per se: ergo solùm ens per se est ens simplicitèr.

110 *Confirm.* Nec album vt tale, nec albedo est ens simplicitèr: ergo accidens completum, nec in concreto, nec in abstractò est ens simplicitèr. *Prob. ant. quoad primam partem*: esse album non est esse simplicitèr, sed est esse secundùm quid: ergo album vt tale nō est ens simplicitèr; ens enim constituitur per esse. *Quoad secundam verò partem patet anteced. Tùm* quia albedo est esse albi, vt albi; sed esse albi, vt albi non est esse simplicitèr: ergo. *Tùm* quia albedo, licèt respectiuè ad differentiam, & ad modos v. g. intensionis, & in-

inhærentiæ sit ens completum, simplicitèr non est ens completum; sed ens, quod non est completum non est simplicitèr ens: ergo albedo non est simplicitèr ens. Mai. est certa; quia albedo est forma constituens album, ac subindè pars ipsius: ergo non est simplicitèr ens completum. Minor verò prob. quia partes non recipiunt simplicitèr denominationem totius, vnde pars domus non est simplicitèr domus: ergo.

111 *Confirm*. 2. Esse simplicitèr est esse absolutè; sed esse album non est esse absolutè: ergo nō est esse simplicitèr. Prob. min. quod incipit esse album, non incipit esse; nec quod desinit esse album, desinit esse: ergo esse album non est esse absolutè; esse namque absolutè nihil aliud est, quam esse sinè addito, vel esse nudè prolatum.

112 *Ex his denique prob. conclusio*: Vnitas proportionalis non est vnitas simplicitèr; sed substantia, & accidens sunt tantùm vnum proportionaliter: ergo non sunt vnum simplicitèr. Maior est certa; quia proportionalitas includit diuersitatem, cum enim inter quatuor terminos versetur, & consistat in eo, quod *A*. se habet ad *B*. sicut *C*. ad *D*. non præscinditur perfectè à differentijs, nec importat naturam communem extremis, sed conuenientiam eorum in modo se habendi ad proprios terminos. *Min. verò prob.* Nā substantia est ens simplicitèr, & accidens est ens secundùm quid: ergo solùm sunt proportionaliter vnum. *Prob. conseq.* Nam, ea, quorum vnum est tale simplicitèr, & alterum tale secundùm quid non habent vnam naturam communem, sed conueniunt in modo se habendi ad sibi propria; homo enim viuus, & pictus naturam communem hominis minimè participant, sed conueniunt in eo; quod sicut homo viuus constat ex veris membris, sic pictus ex apparentibus: ergo substantia, & accidens tantùm sunt vnum proportionaliter.

113 *Obijcies* 1. Ratio entis cōpleti præscinditur perfectè à modis, quibus distinguuntur prædicamenta: ergo est ratio vniuoca. *Prob. antec.* Hæ prædicationes sunt veræ: *Substantia est ens completum; quantitas est ens completum*; sed veræ non essent, si ratio entis completi à prædictis modis non præscinderetur: ergo. *Prob. min.* Ideo *Populus* nequit de quolibet Ciue seorsim prædicari, quia non præscinditur ab eorum diuersitate: ergo si ratio entis completi non præscinderetur ab inferiorum diuersitate, de illis non posset prædicari.

114 *Neg. antec.* ad prob. neg. min. ad cuius prob. disting. antec. Ideo præcisè *populus* nequit de quolibet prædicari, quia non præscinditur *perfectè* ab eorum diuersitate: *neg. ant.* quia *nec perfectè, nec imperfectè* præscinditur ab eorum diuersitate: conc. ant. Cæterùm

rùm ens completum præſcinditur ſaltem imperfectè à ſubſtantia,& quantitate;quo circà poteſt de eis ſeorſim prædicari ; etenim populus explicitè importat conuictum polyticum,qui vni ſeorſim à reliquis nequit conuenire; ens verò dicit explicitè eſſe, in quo omnia proportionantur ; & eſſe,in quo omnia proportionantur,cuilibet eorum ſeorſim poteſt conuenire: quare poteſt ens completum ab inferioribus præſcindi, modo quo nequit à Ciuium pluralitate Populus præſcindi.

115 *Obijcies* 2.Cauſæ analogię ſunt tranſcendentia, & dependentia ; ſed ens completum non eſt tranſcendens,cùm differentiæ nō ſint formaliter entia completa, nec vnum ens completum depēdeat ab alio:ergo. *Neg.min.pro ſecunda parte*;quia accidēs completum,cùm ſit entis ens,dependet à ſubſtantia in ratione entis,& licèt accidēs completum ab altero accidenti completo non dependeat, cōuenit analogicè cum illo proptèr diuerſum modum reſpiciendi ſubſtantiam,à qua vtrumque dependet;ſicut in ratione ſani analogantur vrina,& medicina,propter dependentiam in ratione ſani non vnius ab altero,ſed vtriuſque à ſanitate animalis,quam diuerſo modo reſpiciunt.

116 *Obijcies* 3.Ens completum prædicatur vniuocè de Petro, & Paulo:ergo de ſubſtantia, & accidente.*Neg. conſeq.* quia nec ens completum eſt tranſcendens reſpectu Petri, & Pauli, nec in ratione entis completi dependet vnus ab altero, aut vterque ab vnotertio ; at licèt ens completum non ſit tranſcendens reſpectu prædicamentorum, vnum tamen in ratione entis completi pendet ab alio, vt accidens à ſubſtantia, vel vtrumque ab vnotertio,vt à ſubſtantia quantitas, & relatio.

§. IV.

Quarta concluſio.

117 **E***Ns eſt analogum ad Deum, & creaturas, ad ſubſtantiam, & accidens vtraque analogia,nempè proportionalitatis, & attributionis.* Prima pars probatur. Analogia proportionalitatis inuenitur inter ea, in quibus ratio ſignificata per nomen intrinſecè reperitur ; ſed ratio ſignificata per hoc nomen *ens* intrinſecè reperitur in Deo, & creaturis,necnon in ſubſtantia, & accidenti: ergo.

118 *Secundò prob.* Ratio ſignificata per hoc nomen *ens* non eſt aliqua natura communis omnibus,ſed eſt modus ille ſe habendi ad proprium eſſe, in quo omnia proportionantur, vt patet ex dictis:ergo ratio ſignificata per nomen eſt proportionaliter eadem: ergo ens eſt analogum proportionalitatis. Patet conſeq. à diffinitione ad diffinitum.

119 *Etſi obijcias* 1.Non ſunt analoga proportionalitatis ea, quorum

rum vnum intrat in alterius diffinitionem, vt constat ex eorum conditionibus; sed Deus intrat in diffinitionem creaturæ: ergo. *Dist. min.* Deus intrat in diffinitionem *adæquatam*, *& comprehensiuam* creaturæ: conced. min. in *inadæquatam, & metaphisicam*: neg. min. Homo enim diffinitur metaphisicè per solùm *animal rationale*; quare inter Deum, & creaturam adest prædicta analogia; quia hæc solùm petit quod vnum possit sine altero inadæquatè diffiniri, ad differentiam analogorum attributionis, ex quibus analogata minus principalia vt talia, nec inadæquatè possunt independenter ab altero diffiniri; medicina quippè vt sana, nullo modo potest nisi per ordinem ad sanitatem diffiniri.

120 *Secunda pars* conclusionis est expressa D. Thom. 4. Metaph. lect. 4. & lib. 11. lect. 3. Vbi analogiam *entis* respectu substantiæ, & accidentis comparat analogiæ *sani* dicti de animali, vrina, & medicina.

121 *Et prob.* Nam creaturæ sub aliqua consideratione denominantur extrinsecè entia ab entitate Diuina; (idem suo modo dices de accidente respectiuè ad substantiam) ergo sub aliqua consideratione ens est analogum attributionis respectu Dei, & creaturarum, respectuque substantiæ, & accidentis. *Prob. antec.* Hoc nomen *ens* aliquando significat entitatem intrinsecè repertam in solo Deo: sed dum entitas consideratur existens in solo Deo, creaturæ ab illa possunt extrinsecè denominari entia: ergo creaturæ sub aliqua consideratione possunt denominari extrinsecè entia ab entitate Diuina. *Min. patet*: nam vrina, & medicina denominantur extrinsecè sana à sanitate existente in animali ratione habitudinis, quam per modum signi, & causæ dicunt ad illam; sed creaturæ dicunt habitudinem ad entitatem Diuinam per modum signi, & effectus: ergo possunt denominari extrinsecè entia ab entitate Diuina.

Maior vero prob. Tùm ex illo Isaiæ 40. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo*: ergo aliquando *esse* solùm significat esse Dei. *Tùm* quia *qui est* est nomen proprium Dei, iuxta illud Exodi, *qui est misit me ad vos. Tùm etiam*, quia aliquando, *bonum* significat solam bonitatem Dei, iuxta illud Lucæ 18. *Nemo bonus nisi solus Deus*: ergo, & ens potest in aliqua significatione vsurpari pro solo Deo.

122 *Confirm.* Licèt animal comestibile v.g. Piscis sit intrinsecè sanum; ratione habitudinis ad sanitatem hominis per modum cibi, dicitur ab ea sanus extrinsecè: ergo pariter, licèt creaturæ sint intrinsecè ens, poterunt ratione habitudinis per modum signi, aut effectus ad entitatem Dei, denominari ab ea extrinsecè entia. Vnde sicut sanitas intrinseca piscis præsuppositiuè se habet, & non for-

formaliter ad denominandũ piscem sanum per modum cibi; ita entitas intrinseca creaturæ præsuppositiuè se habet, & non formaliter ad denominationem entis fundatam in habitudine creaturæ per modum signi, & effectus ad entitatem Diuinam.

123 *Et si obijcias.* Si creatura denominaretur ens ab entitate Diuina, diceretur saltem extrinsecè ens per essentiam, sicut à sanitate animalis medicina dicitur sana; consequens est falsum: ergo & illud ex quo sequitur. *Resp. neg. sequelam*; quia sicut medicina denominatur à sanitate animalis sana, non tamen sana intrinsecè, quia hæc denominatio est propria principalis analogati; ita creatura ab entitate Diuina denominatur ens; sed non ens per essentiam, quia hæc denominatio indicat modum proprium, quo forma in principali analogato reperitur.

ART. VII.

Vtrùm detur vnus conceptus entis realis perfectè præcisus ab inferioribus?

124 **V**Ix *præsenti dubitationi* locum relinquit tradita doctrina de transcendentia, & analogia entis rectè perpensa: quia tamen aliqui, trãscendentia, & analogia entis concessa, contendunt, posse nihilominus præscindi perfectè ens à suis inferioribus, idcircò cum communi Thomistarum hunc instituimus articulum; pro cuius resolutione.

125 *Notabis* 1. Conceptum entis alium esse formalem, alium obiectiuum: *formalis* est imago intentionalis repræsentans in actu secundo rationem entis; *obiectiuus* est ratio entis vt cognita, idest, id quod per modum obiecti conceptui formali entis correspondet.

126 *Notabis* 2. Conceptum aliquem obiectiuum dupliciter posse præscindi à suis inferioribus, nempè perfectè, & imperfectè; præscinditur perfectè, quando ita præscinditur, vt inferiora à quibus abstrahitur, actu non includat; imperfectè præscinditur, quãdo inferiora, à quibus abstrahitur, actu includuntur in ratione communi. Et quidem supponimus dari vnum conceptum obiectiuum entis imperfectè præcisum à suis inferioribus. Quæ suppositio patet: nam ratio communis pluribus cognita, non cognitis expresse eorum differentijs, est conceptus obiectiuus imperfectè præcisus à suis inferioribus; talis est ratio entis: ergo ratio entis est conceptus obiectiuus imperfectè præcisus à suis inferioribus. Prob. min. Audito hoc nomine *ens* repræsentatur, & cognoscitur ratio entis; sed audito hoc nomine *ens* repræsentatur, & cognoscitur *esse*, quod est commune omnibus entis inferioribus, non re-

repræsentatis, & cognitis eorum differentijs: ergo. His ita statutis sit.

§. I.

Statuitur conclusio.

127 **N**On datur conceptus obiectiuus entis perfectè præcisus à suis inferioribus. Oppositum huius conclusionis, qua directè resoluitur dubium, tenent omnes, qui vniuocationem entis propugnant, quibus adde ex nostris Soto, & Ortiz: nostræ tamen sententiæ communiter subscribunt Thomistæ, necnon Vazquez, Rubio, Alphons. & alij ex alijs familijs.

128 *Probatur ergo* 1. ex sæpè dictis. Nihil præscinditur perfectè ab eo, quod est de essentia illius; qua ratione nec homo à rationali, nec animal à viuente sensibili possunt perfectè præscindi; sed inferiora, & eorum differentiæ sunt de essentia entis: ergo nequit ens perfectè præscindi à suis inferioribus. Prob. min. Ens non contrahitur ad inferiora per aliquid sibi superadditum; sed contrahitur ad inferiora per differentias: ergo differentiæ sunt de essentia entis. Patet hæc conseq. Nam quidquid non est de essentia entis, est extraneum ab ente, & superadditum enti: ergo si differentiæ non sunt extraneæ, nec enti superadditæ, sunt de essentia entis.

129 *Confirm.* 1. Quælibet differentia est formaliter ens: ergo est de conceptu entis saltem inadæquato. Patet conseq. quia implicat quod *A.* sit formaliter *B.* & quod *B.* sit adæquatè extra conceptum *A.* sicut implicat, quod rationale sit formaliter homo, & quod homo non sit formaliter, saltem inadæquatè rationalis; & implicat quod homo sit formaliter animal, & quod animal sit extra essentiam hominis adæquatè sumpti: cuius ratio est, nam si *A.* est formaliter *B.* identificatur formaliter cum *B.* ergo vel cum *B.* adæquatè sumpto, vel cum *B.* inadæquatè sumpto. *Si primum:* ergo tota essentia *B.* est *A. Si secundum:* ergo *A.* est pars essentiæ *B.* ergo si differētia quælibet est formaliter ens, quælibet differentia est saltem pars essentiæ entis; sed nihil potest præscindi à parte sibi essentiali, vt patet in homine, qui nequit à rationali præscindi: ergo nequit ens perfectè præscindi à differentijs.

130 *Confirmatur* 2. Sicut ratio communis non potest perfectè præscindi ab eo, quod est de essentia ipsius, ita nequit præscindi ab eo, de cuius essentia est ipsa ratio communis; sed ens est de essentia cuiuslibet differentiæ: ergo non potest perfectè præscindi ab illa. Prob. mai. Sicut non potest aliquid separari ab eo, à quo est inseparabile, ita nec potest separari ab eo, quod est inseparabile ab ipso: sed sicut res quælibet est inseparabilis ab eo, quod est de

de essentia ipsius; ita a qualibet re iu, quod est de essentia ipsius, est inseparabile: ergo sicut nulla ratio communis potest præscindi ab eo, quod est de essentia ipsius, ita nec potest præscindi ab eo, de cuius essentia est ipsa. Conseq. patet, nam præcisio est separatio quædam obiectiua.

131 *Secundò prob. conclusio.* Ens respectu suorum inferiorũ non est vniuocum: ergo non præscinditur perfectè à differentijs. Prob. conseq. Quia conceptus perfectè præcisus à differentijs est omnino vnus, ac per consequens vniuocus; cũ enim tota diuersitas proueniat à differentijs, conceptus perfectè præcisus à differentijs, nullam actu includit diuersitatẽ, sed tantùm in potentia, quod est conceptum esse perfectè vnum. *Confirm.* Ideo animal est perfectè vnum, & vniuocum, quia diuersitatem inferiorum non includit actu, sed in potentia: ergo si ens non includit actu, sed in potentia diuersitatem inferiorum, non est cùr non sit vniuocum.

132 *Dices:* Animal esse vniuocum. *Tùm* quia est perfectè præcisum à differentijs, & descendit æqualitèr ad inferiora. *Tùm* quia nec differentiæ sunt de conceptu animalis, nec animal est de conceptu illarum. Cæterum ens non est vniuocum. *Tùm* quia licèt sit perfectè præcisum ab inferioribus descendit inæqualitèr, & diuersimodè ad illa. *Tùm* quia licèt differentiæ non sint de conceptu entis, ipsum tamen ens est de conceptu differentiarum.

133 *Sed contra* 1. Quando ratio communis non includit actu diuersitatem, inæqualis participatio ipsius ab inferioribus non prouenit ab eo, quod ratio communis actu includit, sed ab eo, quod continet in potentia, nempè à differentijs; sed inæqualitas in participando prædicatum commune orta à differentijs non impedit illius vniuocationem: ergo ex quo ens inæqualitèr ad inferiora descendat, non sequitur quod non sit vniuocum, si actu diuersitatem inferiorum non includit.

134 *Nec valet dicere:* quod ens non includit actu diuersitatem, exigit tamen descendere cum præfata diuersitate. *Non quidem valet;* quia animal, & quæuis ratio generica petit descendere cum diuersitate ad inferiora; petit enim contrahi per differentias essentialitèr inæquales; & tamen quia diuersitatem actu non continent, veram vniuocationem non amittunt: ergo ens si diuersitatem actu non includit, erit vniuocum, essò cum prædicta diuersitate petat descendere ad inferiora.

135 *Contra* 2. Si ens est de conceptu differentiarum, differentiæ sunt de conceptu entis; siquidèm differentiæ non sunt aliquid extraneum, & superadditum essentiæ entis; ac subindè sunt de essentia entis: ergo si differentiæ non

Ee

non sunt de conceptu entis, nec ens de conceptu earum: ergo non est cur contrarij negent ens esse vniuocũ, si concedunt illud præscindi perfectè à differentijs.

136 *Denique probatur conclusio.* Tùm ex Philosopho 8. Metaph. text. 6. docente: ens immediatè significare substantiam, quantitatem qualitatem, &c. sed si ens significaret conceptum obiectiuum perfectè præcisum, illud, & non inferiora immediatè significaret; sicut hac ratione vox *homo* non significat immediatè Petrum, & Paulum, sed naturam humanam; ergo. *Tùm* ex D. Thoma 8. Metaph. lect. 7. vbi ait: *Quod ens secundùm se non expectat aliquid ad hoc, vt sit substantia, quantitas, &c.* ergo vt fiat substantia non expectat rationem constitutiuam substantiæ: ergo ens per seipsum est substantia; ac proindè includit essentialiter modos, quibus inferiora constituuntur: non ergo perfectè præscinditur ab eis.

§. II.

Soluuntur obiectiones.

137 Obijcies 1. Ens prescinditur perfectè ab eo, quod non est de essentia illius; sed differentiæ non sunt de essentia illius: ergo præscinditur perfectè à differentijs. Prob. min. de eo, de quo ens prædicatur, prædicatur quidquid est de essentia entis; sed de aliquo prædicatur ens, de quo non prædicantur differentiæ: ergo differentiæ non sunt de essentia illius: prob. min. nam ens prædicatur de substantia, & de substantia non prædicatur esse in alio, quod est differentia entis: ergo.

138 *Confirm.* 1. Substantia est ens: substantia non est aliquid, quod essentialiter est substantia, & accidens: ergo ens non est essentialiter substantia, & accidens: ergo non includit essentialiter inferiora, cum illorum diuersitate.

139 *Confirm.* 2. ex D. Thoma cap. 1. de ente, & essentia, dicente: *Id, in quod intellectus, resoluit omnes conceptiones est ens: vnde oportet, quod omnes aliæ conceptiones se habeant ex additione ad ens*: ergo differentiæ non sunt de conceptu entis.

140 *Resp.* neg. min. ad probationem disting. mai. de eo, de quo prædicatur ens, prædicatur quidquid est de essentia entis *pro explicito*, conced. mai. quidquid est de essentia entis *pro implicito*, neg. mai. Ens pro explicito tantum dicit *esse*, in quo omnia inferiora entis proportionaliter sunt vnum, & hoc prædicatur de substantia, cum dicitur, *substantia est ens*: ens vero pro implicito, dicit omnia, quæ formaliter sunt entia, & hæc non prædicantur de substantia.

141 *Ad 1. confirm.* dist. conseq. ergo ens non est aliquid, quod essen-

sentialiter *explicitè* sit substantia, & accidens conced. conseq. non est aliquid, quod essentialiter *implicitè*, est substantia, & accidens, neg. conseq. ens quippè, ex vi conceptus, qui correspondet huic nomini *ens*, non exprimit substantiam, & accidens, exprimit tamen esse, quod si exactè velis diffinire, non nisi per substantiam, & accidens poterit exponere. *Ad 2. confir. resp.* D. Thom. vt patet ex locis supra citatis, non intendere, quod differentiæ addant ad ens conceptum extraneum, sed quod addant ad ens maiorem expressionem.

142 *Dices*: cum prædicatur animal, prædicatur quidquid est de essentia animalis tàm implicitè, quàm explicitè: ergo cũ prædicatur ens, prædicatur quidquid est de essentia entis tàm implicitè, quàm explicitè.

143 *Neg. conseq.* quia animal, cum sit vniuocum, dicit rationem vnam simpliciter communem omnibus inferioribus, ac proindè dicit rationem, cui secundum se totam non repugnat enuntiari de quolibet inferiori: inferiora quippè pugnant inter se per differentias, quare cum ratio communis vniuoca nullam actu inuoluat differentiam, nihil actu includit impediens ipsam identificari cum quolibet inferiori; ens vero, cum sit analogum, dicit rationem partim diuersam, ac subindè constitutam ex ipsismet inferiorum differentijs, quo circa nequit secundum se totum de quolibet seorsim affirmari.

Sicut in hac propositione *Pater est Deus*, prædicatum non dicitur de subiecto secundum se totum, quia includit formaliter, non solum essentiam, quæ communis est tribus personis, sed relationes, per quas inter se differunt; vnde sicut non valet, *Pater est Deus*: *ergo Pater est Pater, & Filius*, etiam si Pater, & Filius sint de essentia Dei; ita non valet: *substantia est ens: ergo substantia est substantia, & accidens*, etiam si substantia, & accidens sint de conceptu entis. Discriminantur ergo vniuoca, & analoga in eo, quod vniuoca prædicantur adæquatè de suis inferioribus, ac subindè prædicant quidquid actu continent; analoga vero prædicantur inadæquatè, ac subindè prædicant solã partem de suis inferioribus.

144 *Instas*: ergo in hac prædicatione *substantia est ens*, non prædicatur de substantia ens superius ad substantiam, & accidens, sed pars entis, nempe substantia: ergo non est prædicatio superius de inferiori, sed æqualis de æquali.

145 *Disting. conseq.* non prædicatur ens superius *pro implicito* ad substantiam, & accidens, concedo conseq. non prædicatur ens *quoad explicitum* superius ad substantiam, & accidens, nego conseq. ens enim, quod ibi prædicatur de substantia, non in-

includit ens, quod conuenit accidenti, nam de essentia entis, quod conuenit accidenti, est esse in alio, quod repugnat substantiæ: exprimit tamen *esse*, in quo proportionantur substantia, & accidens, non expressis modis, per quos differunt; quod sufficit, vt quoad explicitum ens sit superius, & commune. Vnde sicut in hac prædicatione *homo est animal*, animal, quod prædicatur, pro materiali est animal, quod est homo; sed obiectiuè est animal commune homini, & Equo, quia prædicatur animal excludens à conceptu obiectiuo eorum differentias; ita in illa prædicatione *substantia est ens*, ens quod prædicatur, pro implicito etiam obiectiuè est ens, quod determinatè est substantia; sed quoad explicitum est ens commune substantiæ, & accidenti, quia prædicatur ens non dicens in conceptu explicito eorum differentias.

146 *Obijcies 2.* Posterius non est de conceptu prioris; sed ens est prius differentijs: ergo differentiæ non sunt de conceptu entis: potest ergo ens ab eis perfectè præscindi. Prob. min. Id est prius altero, à quo non valet subsistendi consequentia, valet tamen vice versa; sed non valet ab ente ad inferiora, non enim valet, *est ens, ergo est substantia*; valet tamen vice versa, nam bene valet, *est substantia: ergo est ens*: ergo.

147 *Confirm.* nulla res potest constitui per opposita; sed modi, per quos ens determinatur, nempe esse per se, & esse in alio sunt oppositi: ergo non cõstituunt ens, ac per consequens non sunt de essentia entis.

148 *Confirm. 2.* Cum intellectus est certus de vno conceptu obiectiuo, & de alio est incertus, illi distinguntur obiectiuè; sed potest quis esse certus de eo, quod aliquid sit ens, & incertus sit ne substantia, vel accidens: ergo cõceptus entis, & conceptus substantiæ, & accidentis sunt subiectiuè distincti: ergo vnus non est de essentia alterius.

149 *Disting. mai.* posterius non est de conceptu prioris, idest de conceptu illius, quod est prius *quoad implicitum, & quoad explicitum*, conced. mai. de conceptu prioris, idest de conceptu illius, quod est prius *tantum quoad explicitum*, neg. mai. ens autem est prius tantum quoad explicitum suis inferioribus, & hoc sufficit, vt ab ente ad inferiora non valeat subsistendi consequentia: sicut nõ valet ab indiuiduo vago ad determinatum, non enim valet: *est quidam homo: ergo est Petrus*, etiamsi indiuiduum vaguum non sit conceptus perfectè præcisus ab inferioribus, hoc est, ab indiuiduis determinatis.

150 *Ad confirmat.* disting. mai. nulla res *perfectè vna*, potest constitui per opposita, conced. maior, nulla res, *si sit vna secundum quid*, sub disting. non potest *quoad* ex-

explicitum constitui per oppofita conced. mai. *quoad implicitum*, nego mai. poteit ergo cōceptus entis cum sit vnus fecundum quid, implicite constitui per oppofitos modos effendi per fe, & effendi in alio.

151 *Ad 2. confirm.* dift. mai. cum intellectus est certus de vno conceptu, & incertus de alio illi cōceptus diftinguuntur obiectiuè *perfectè*, vel *imperfectè* conc. mai. *perfectè* fubdifting. fi vnus per alterum *nequeat diffiniri quidditatiue*, conc. mai. fi vnus per alterum *posfit quidditatiue diffiniri* neg. mai. Ens ergo, & illius inferiora diftinguuntur obiectiuè fed imperfectè; quia inferiora poffunt diffiniri per ens, & ens per illius inferiora; eo enim ipfo quod fubftantia, & accidens fint formaliter, & diffinitiue totum ens, totum ens eft formaliter, & diffinitiue fubftantia; & accidens.

152 *Obijcies* 3. Animal includitur quidditatiue in inferioribus; & tamen perfectè ab illis abftrahitur: ergo licèt ens includatur quidditatiue in inferioribus, poterit ab illis abftrahi perfectè. *Confirmatur*: malitia peccati formaliter eft ens, & tamen poteft perfectè præfcindi ab ea: ergo etfi differentiæ entis fint formaliter entia, poterit ens perfectè præfcindi ab eis. Prob. min. Voluntas diuina perfectè præfcindit ens à malitia, nam vult entitatem actus peccaminofi, quin adhuc implicitè velit eius malitiam: ergo multo magis poterit præfcindi per intellectum perfectè ens a malitia.

153 *Resp.* quod animal non includitur in inferioribus adæquate fumptis, cum in eorum differentijs minimè includatur, quare poteft abftrahi perfectè ab homine v.g. confiderato non adæquate, fed inadæquate; hoc eft, ab homine ea parte, qua dicit conceptum differentialem; cæterum ens includitur quidditatiue in inferioribus adæquate fumptis, cum nulla fit formalitas in inferioribus, quæ non fit formaliter ens, quare non poteft ab illis, etiam in adæquate fumptis abftrahi perfectè.

154 *Ad confirm.* neg. min. & ad probat. refpond. Quod licet voluntas diuina poffit velle entitatem, quin vllo modo vellit malitiam, intellectus (cuius eft præfcindere) non poteft intelligere entitatem, quin faltim implicite intelligat malitiam: *ratio* difparitatis ftat in eo, quod ex duobus inter fe diftinctis quoad implicitū, & explicitum, poteft vnum attingi ab aliqua potentia, quin vllo modo attingatur alterum, quando vnum eft extra fphæram obiecti illius potentiæ, & non alterum; fecus vero, fi vtrunique intra fphæram potentiæ fit contentum: cum ergo entitas, & malitia, quæ fola ratione penes implicitum, & explicitum diftinguuntur, fint duo conceptus, quorum alter, nempe malitia

subterfugit sphæram obiecti voluntatis Dei, alter vero, scilicet, entitas, intra terminos illius contineatur; vterque vero, sub obiecto diuini intellectus contineatur, fit consequens, posse expressionem entis esse voli am a Deo, quin malitia, vel implicite sit volita, non tamen posse intelligi entitatem, quin implicite malitia intelligatur.

155 *Obijcies* 4. Sicut diuersitas opponitur vnitati, ita identitas opponitur distinctioni; sed potest intellectus distinguere obiectiue duo prædicata; etiam si de conceptu eorum sit identitas vnius cum altero, vt patet in attributis diuinis v.g. Iustitia, & misericordia, quæ intellectus distinguit, etiam si vnum sit de conceptu alterius: ergo potest intellectus vnificare plura entia, etiam si diuersitas vnius ab altero sit de conceptu eorum, vt talium.

156 *Resp.* disting. antec. potest intellectus distinguere obiectiue *perfectè* vnum attributum ab altero neg. antec. *imperfectè*, hoc est, *penes implicitum, & explicitum*, côced. antec. & disting. conseq. potest ens vnificari *perfectè*, & excludendo à suo conceptu formali differentias; neg. conseq. *imperfectè*, & eas non exprimendo, conced. conseq.

157 *Denique* obijcies. Ens (idê de vero) est obiectum specificatiuum intellectus: ergo dicit conceptum omnino vnum, & vniuocum, ac proinde perfectè præscindens ab inferiorum diuersitate: iam ergo datur conceptus entis perfectè præcisus. Cætera patent, & prima conseq. prob qua specificatiuum potentiæ omnimoda vnitate specifica gaudentis debet esse omnino vnum, cum potentia hauriat suam vnitatem specificam ab obiecto.

158 *Huius argumenti*, quod iam tetigimus supra artic. 4. materia spectat exprofesso discutienda ad lib. 3. de Anim. vnde ibi q. 10 artic. 3. de illa difficultate agimus; & ex ibi dictis breuiter pronunc respondetur, quod ens vt specificatiuum intellectus, nec est analogum, neque est vniuocum, quia hæ denominationes conueniunt respectu inferiorum, & ens vt specificatiuum inferiora non habet, non enim participatur ab inferioribus ratio specificatiui, a quibus participatur ratio entis; vnde, & si homo sit ens, homo tamen non est specificatiuum intellectus; est ergo specificatiuum ens vt *est* forma vna numero collectionis omnium entium, sub qua ratione immobiliter supponit; nam substantia v.g non attingitur ab intellectu, quia tale ens, & si tale ens attingatur, ac proinde talitas quæ se habet de formali vt sit inferior ente (nam non est inferior, quia ens, sed quia tale ens) se habet purè de materiali ad specificandum, cum è conuerso non specificet, quia tale ens, sed quia ens, aliter hæc esset vera, *tale ens est specificatiuum*, sicut hæc est vera,

ra, *tale ens est inferius ente.* Ens ergo sic sumptum nec est perfectè præcisum, nec imperfectè à suis inferioribus, cum illa sic sumptum non habeat, nec vt totum potentiale specificet, sed vt forma, & actus collectionis omnium entium.

ARTIC. VIII.

Vtrùm ens adæquate diuidatur in decem prædicamenta.

159 TRadidit Philosophus hanc diuisionē cap. 4. huius libri, pro qua breuiter examinanda, exponendæ sunt prius.

§. I.

Diffinitio prædicamenti, & conditiones, vt aliquid ponatur in prædicamento.

160 PRædicamenta possunt considerari primo intentionaliter, & secundo intentionaliter, idest, vel pro naturis realibus, in quas diuiditur ens, vel pro secūdis intentionibus generū, & specierum per quas prædictæ naturæ coordinantur per modum superioris, & inferioris. De prædicamentis primo modo consideratis agit metaphisicus: de illis vero in posteriori acceptione agunt Logici in præsenti.

161 *Rursus* prædicamentum logice sumptum, aliquando sumitur pro genere generalissimo, cui subijciuntur omnia pertinentia ad aliquam ex decem classibus, aliquando sumitur pro serie prædicatorum essentialium ab aliquo supremo genere vsque ad indiuiduum, & in hac consideratione diffinitur prædicamentum: *Series aut coordinatio prædicatorum essentialium ab vno supremo genere, quo nihil est superius, vsque ad indiuiduum, quo nihil est inferius.*

162 *Ex hac diffinitione* rectè perpensa colliges, plures conditiones requiri, vt aliquid ponatur in prædicamento.

Requiritur 1. quod sit ens reale. Nam hæc diuisio est introducta, vt cognoscamus entia realia, & ea possimus diffinire.

Requiritur 2. quod sit aliquid creatum: nam hæc diuisio est entis in decem suprema genera, & Deus, vt dicemus quæst. sequenti, sub nullo genere continetur.

Tertio requiritur, quod sit vniuocum, quia in prædicamento solum ponuntur, genus supremū, & ea, quæ generi supremo essentialiter subijciuntur; & tam genus supremum, quam inferiora ipsi subiecta, sunt vniuoca.

Quarto exigitur, quod sit incōplexum, quia res ponibilis in prædicamento debet esse, & concipi, vt vna quidditas; & res complexa non est, vel non concipitur, vt vna quidditas.

Requiritur 5. quod sit ens completum: quia quidquid ponitur in prædicamento, debet esse indiuiduum,

duum, aut potens prædicari de indiuiduo, & entia incompleta, nec sunt indiuiduum proprie loquendo, nec de indiuiduo possunt prædicari.

Requiritur sexto, quod sit ens per se, nam entia per accidens constãt diuersis quidditatibus, ac subinde non collocantur in vno prædicamento, sed pertinent ad diuersa.

Tandem requiritur, quod id quod ponitur in prædicamento, sit genus, species, aut indiuiduum: ratio est, quia prædicamentum est ordinatio eorum, quæ sub vno genere essentialiter collocantur; at sub genere tantum collocantur essentialiter genera subalterna, species, & indiuiduum, nam differentia non subijcitur generi essentialiter: ergo.

163 Ex his inferes *primò*, ens rationis ad nullum prædicamentum pertinere 2. quod Deus non est in prædicamento, sed super omnia prædicamenta, vt causa illorum 3. *ens*, cum sit analogum, non poni sub determinato prædicamento, sed per omnia prædicamenta diuagari 4. *excludi* à prædicamento nedum entia complexa, vt homo albus, sed etiam incomplexa, vt complexe significantur v.g. animal rationale 5. *entia* incompleta, vt materia, & forma, punctum, modus vnionis, & inhærentiæ, pertinere ad prædicamentum rei, quam complent, reductiue tantum, & indirecte 6. *poni* in prædicamento accidentia in abstracto, & non accidentia in concreto, quia ista, & non illa sunt entia per accidens; cum ista, & non illa, constent diuersis quidditatibus. *Denique* inferes, differentias poni ad latus prædicamenti, & indirecte, quia cum genera de eis non prædicentur essentialiter, nequit ex ipsis confici series prædicatorum essentialium à genere supremo ad indiuiduum.

§. II.

Vnica conclusio.

164 **E**Ns reale creatum, per se, vniuocum, completum, incomplexum, &c. adæquate diuiditur in decem prædicamenta: nimirum, *in substantiam, quantitatem, qualitatem, relationem, actionem, & passionem vbi, situm, quando, & habitum.* Ita Philosophus, cui communiter Philosophi, imò, & SS. PP. consentiunt; præsertim D. Augustinus lib. Cathegoriarum, cap. 8. & D. Thomas 5. metaphis. lectione 9. cuius ratione.

165 *Probatur* conclusio. Prædicamenta sunt prædicata, quæ de prima substantia possunt dici, ordinabilia inter se per modum superioris, & inferioris: huiusmodi prædicata sunt tantum decem: ergo prædicamenta sunt tantum decem. Probatur min. quidquid de prima substantia prædicatur, vel prædicatur essen-

essentialiter, vel accidentaliter: si essentialiter, est *substantia*; si accidentaliter, vel vt quid intrinsecum substantiæ, vel vt quid desumptum ab intrinseco; si vt intrinsecum, vel illud est respectiuum, & est *relatio*, vel est absolutum, & est *quantitas*, si consequitur materiam, vel *qualitas*, si sequitur ad formam: si vero est desumptum ab extrinseco, illud extrinsecum, vel est ornamentum substantiæ, & est *habitus*, vel principium, & est *actio*, vel terminus, & est *passio*; vel mensura, & est *quando*, si sit mensura durationis, vel *vbi*, si sit mensura substantiæ quoad existentiam eius in loco absolutè, vel *situs*, si sit mensura illius, quoad ordinationem partium in loco: ergo decem sunt tantum prædicata ordinabilia per modũ superioris, & inferioris, quæ de prima substantia possunt dici.

166 *Pro intelligentia* rationis factæ nota 1. eam non esse rigorosam demonstrationem, sed probabilem discursum, quo aptissime vtuntur Philosophi, vt rebus in certa quædam genera distributis, prompte, & ordinate in eis diffiniendis, & demonstrandis, valeant procedere: quo circa immorari non vacat in dissoluendis obiectiunculis, quæ contra eam institui solent.

167 *Nota* 2. inter principia extrinseca, à quibus potest prouenire prædicatum accidentale primæ substantiæ non numerari causam finalem, sed tantum efficientem, quia causa finalis non causat aliquid seorsim ab efficiente, sed cum illa, & quatenus illam mouet, quare nullum à fine seorsim sumitur prædicatum præter id, quod sumitur ab efficiente.

168 *Nota tertio*, cum dicitur quantitatẽ sumi à materia, & qualitatem à forma, debere intelligi de radice, à qua primo dimanant; nam licèt vtraque dimanet proxime à forma, vel à composito, principium tamen radicale quantitatis est materia, qualitatis vero forma.

169 *Nota* 4. Quod licèt potentia, & relatio respiciant aliquid extrinsecum, non numerantur inter ea, quæ sumuntur ab extrinseco, quia potentia, & relatio non desumunt propriam denominationem à termino, vel obiecto, sicut actio, quando, & habitus: paternitas enim non haurit denominationem à filio, sicut eam accipit actio ab agente.

170 *Denique* nota gratiam, & virtutes supernaturales directè collocari in prædicamento, quia sunt qualitates complete cõpositæ ex genere, & differentia, quarum in nobilitate excessus materialis est, & impertinens, vt eas à prædicamento qualitatis relegemus.

QVÆS-

QVÆSTIO VIII.

De tribus primis prædicamentis.

1 PRimum locum inter cætera prædicamenta tenent *substantia, quantitas*, & *relatio*, de quibus Philosophus, quinto, sexto, & septimo capite huius libri vno ferè ordine disputauit, id est, primò diffinitionem, deinde diuisionem, tandem proprietates eorum demonstrando. Hunc, & nos ordinem Philosophi vestigijs insistentes libenter persequemur.

ARTIC. I.

Quid, & quotuplex sit substantia, & quæ sint illius proprietates?

2 SVbstantia, quæ, nominis attenta impositione, dicitur à substando accidentibus, solet accipi communiter, & propriè; communiter accepta idem est atque essentia, vel quidditas cuiusvis rei, siue res illa sit accidens, siue distincta sit ab accidenti; vndè dicere consueuimus, substantiam albedinis esse disgregare visum: propriè accepta substantia est, *ens per se existens*; siue ens, *cui debetur per se existere.*

§. I.
Diuisio substantiæ.

3 DIuiditur 1. substantia in infinitam, & infinitam. *Infinita* est, quæ nullis terminis clauditur, vt Deus optimus maximus, qui vniuersos essendi terminos supergreditur: *finita* est, quæ certis limitibus comprehenditur, vt creatura; inter has substantias potissimum discrimen stat in eo, quod prior per se ipsam, id est, per essentiam existit, posterior vero petit per se existere, actualem vero existentiam non à se, & per essentiam, sed per aliquid à se distinctum participat.

4 *Diuiditur* secundo substantia finita, & creata, in completam, & incompletam: *completa*, quæ sola prædicamentalis est, est substantia ad alterius compositionem, vel complementum ex se non ordinata, vt *homo, Petrus*: incompleta est substantia ad alteram componendam, aut complẽdam ordinata, vt partes phisicæ nimirum, materia, & modi substantiales, nempè vnio subsistentia, & existentia.

5 *Tertiò* substantia completa, seu prædicamentalis diuiditur in primam, & secundam. Prima diffinitur ab Arist. quæ *nec in subiecto aliquo est, neque de subiecto dicitur*: huiusmodi sunt substantiæ singulares, vt Petrus, Bucephalus. Substantias *secundas* diffinit Arist. in plurali dicens: sunt *genera, & species, in quibus insunt primæ*, id est, in quibus continentur, non actu, sed in potentia primæ: vel vt in eodem capite ait: *quæ non sunt in subiecto, de subiecto tamen dicuntur.*

Cir-

6 *Circa quam* diuisionem aliquæ dubitationes occurrunt. Primo enim dubitatur. Vtrum diuisuum sit substantia primo intentionaliter sumpta, an potius sit substantia secundo intentionaliter accepta?

7 *Et respondetur* posse rectè diuidi substantiā secundo intentionaliter sumptam in primam, & secundam; iuxta mentem vero Philosophi, & interpretum, substantia, quæ diuiditur in primam, & secundam, est substantia primo intentionaliter sumpta. *Prima* pars patet: substantia, vt ponibilis in prædicamento, est substantia secundo intentionaliter sumpta; sed substantia, vt ponibilis in prædicamento, rectè diuiditur in primam, & secundam: ergo substantia secundo intentionaliter sumpta potest rectè diuidi in primam, & secundam. Maior est certa: nam substantia, vt ponibilis in prædicamento, est substantia vt ordinabilis in certa linea entis per modum superioris, & inferioris, hunc autem ordinem esse secundam intentionem rationis, nullus dubitat. *Minor* vero probatur: diuisio in primam, & secundam substantiam est diuisio in substantiam per modum subiecti, & prædicati; sed substantia ponibilis in prædicamento rectè diuiditur in eam, quæ subijcitur, & in eam, quæ prædicatur: ergo.

8 *Secunda pars* assertionis suadetur. *Tum* quia diuisio substantiæ in primam, & secundam, est specialis in prædicamento substantiæ; sed si diuisum esset substantia secundo intentionaliter sumpta, specialis non esset: ergo. *Probatur minor*: quodlibet ex nouem generibus posset etiam diuidi sumptum secundo intentionaliter, in vniuersale, & particulare; ergo diuisio hæc non est specialis. *Tum* quia diuisum huius diuisionis est substantia per modum generis, aut prædicati communis in vtriusque membri diffinitione: sed ponitur in vtriusque membri diffinitione substātia sub alia ratione primo intentionali: ergo. *Probatur min.* in diffinitione primæ, & secundæ substantiæ ponitur substantia, prout illi conuenit non esse in subiecto; sed non esse in subiecto, non est secunda intentio, sed prima: ergo.

9 *Dubitatur 2. qualis sit hæc diuisio?* Et asserimus primo, diuisionem esse exactam, quia ad hoc sufficit, quod membra sint formaliter distincta; at prima, & secunda substantia distinguuntur formaliter; nam licet Petrus, qui est prima substantia, realiter sit homo, qui est secunda substantia; tamen Petrus est prima substantia, vt particularis, & homo est secunda substantia, vt vniuersalis, Petrus autem, vt particularis, & homo, vt vniuersalis formaliter, distinguuntur: ergo.

10 *Nec valet* si opponas 1. substantia, quæ diuiditur in primam, & secundam, non est substantia particularis: ergo est substantia com-

communis: ergo est secunda substantia: coincidit ergo diuisum cum vno ex membris diuidentibus, & illud non excedit. 2. *Alterum* membrum huius diuisionis est prima substantia abstrahens ab hac, & illa prima substantia: ergo est substantia vniuersalis: ergo est secunda substantia: ergo vnum ex membris non distinguitur ab altero.

11 *Resp.* Enim ad 1. disting. cōseq. ergo est substantia communis *denominatiuè*, conced. conseq. *essentialiter*, neg. conseq. Nam sicut animal, quod diuiditur in rationale, & irrationale, est commune accidentaliter, & essentialiter solùm est viuens sensibile, ita substantia, quæ diuiditur in primam, & secundam, est communis, & secunda denominatiue, sed essentialiter tantum est ens per se existens: vnde non diuisum essentialiter sumptum, sed diuisum denominatiue consideratum coincidit cum vno ex membris diuidentibus; membrum quippè diuidens non est substantia essentialiter considerata, sed substantia communis, vt communis.

12 *Ad 2. disting.* conseq. est substantia vniuersalis *denominatiue*, conced. conseq. *essentialiter*, neg. conseq. Nam sicut homo abstrahens ab hoc, & illo, est essentialiter homo, & accidentaliter vniuersalis; ita prima substantia abstrahens ab hac, & illa, essentialiter est prima substantia, vniuersalis vero, & secunda solum accidentaliter.

13 *Asserimus* secundo, quod diuisio substantiæ in primam, & secundam potest esse generis in species, & analogi in analogata; sed ad mentem Arist. & eius interpretum est diuisio subiecti in accidentia rationis.

14 *Prima pars* patet: nam, vt supra vidimus, potest diuidi in primam, & secundam substantia vt ordinabilis in prædicamento; sed substātia vt ordinabilis in prędicamento diuiditur in primam, & secundam, vt genus in species: ergo diuisio substantiæ in primam, & secundam potest esse generis in species. Prob. min. secunda intentio ordinabilis in prædicamento diuiditur vt in proprias species in secundam intentionem ordinabilis in eo per modum superioris, & in secundam ordinabilis in eo per modum inferioris; sed prima, & secunda substantia formaliter dicunt secundas intentiones ordinabiles in prædicamento per modum superioris, & inferioris: ergo.

15 *Secunda pars* assertionis probatur. Diuisio substantiæ in primam, & secundam potest esse diuisio substantiæ, vt substat accidentibus, in varia munera substandi, hoc est, in substantiam, vt primo substat accidentibus, & in substantiam, vt secundo substat illis; sed diuisio hoc modo tradita est analogi in analogata: ergo hæc diuisio potest esse analogi in analogata. *Prob. min.* Diuisio, in qua ratio communis vni ex membris con-

conuenit per se, alteri per aliud, & per attributionem ad illud, est analogi in analogata: sed diuisio substantiæ prædicto modo explicata est huiusmodi; nam substare, quæ est ratio communis, primo, & per se conuenit primæ substantiæ, & secundæ ratione illius; homo enim est albus, quia Petrus est albus, & non vice versa: ergo.

16 *Tertia pars* constat; nam præsens diuisio iuxta mentem Arist. est diuisio in primam, & secundam substantiam sub ea peculiari ratione, sub qua eas diffiniuit Arist. in præsenti: sed eas diffiniuit in præsenti per *prædicari de primis*, & *de nullo prædicari*, quæ sunt accidentia rationis, secundæ scilicèt intentiones vniuersalis, & particularis: ergo prædicta diuisio iuxta mentem Aristot. est diuisio subiecti in accidentia rationis. *Nec obest*, quod Aristot. in præsenti explicuit per prædicari, & non prædicari munus substandi primo, & secundo, quod munus est aliquid reale. *Non obest*, quia sicut hæc diffinitio *bipes risibile*, & si explicet essentiam hominis, est accidentalis, quia illam explicat per accidentia hominis; ita prædicari de primis, & de nullo prædicari est diffinitio secūdæ intentionis rationis, & si per eam explicetur munus reale substandi primæ, & secundæ substantiæ.

§. II.

Quid sit constitutiuum substantiæ.

17 EX *plurimis* opinionibus, quæ in hac parte circunferuntur, vna, vel altera refutata, propriam mentem aperiemus: asserit prima opinio, constitui substantiam per negationem essendi in alio.

18 *Sed reijcitur* communiter: quia nullius entis positiui constitutiuum est negatio: sed substantia est ens positiuum: ergo constitutiuum illius non est negatio.

19 *Asserit secunda* opinio, constitui substantiam per conceptum substandi accidentibus. *Sed reijcitur. Tùm*, quia Deus est substantia, & nulli accidenti substat. *Tum*, quia ideo substantia substat accidentibus, quia per se existit, seu in se sistit: ergo substare accidentibus non est quod primo intelligitur in illa: ergo non est constitutiuum illius, nam hoc est, quod primo in substantia intelligitur. *Nec obstat*, quod substantia dicitur *à substando*, nam lapis dicitur à lædendo pedem, quin lædere pedem sit eius constitutiuum; alia est enim sæpè origo significationis, alia essentia rei significatæ.

20 *Tertia opinio* putat substantiam sic metaphisicè diffiniri: *quidditas rei, qua durante, res durat, & qua deficiente, res deficit*. Sed reijcitur, quia conuenit enti artificiali v.g. Cathedræ, quæ non est substan-

stantia; imò conuenit essentiæ cuiuscumque rei, nam de quacumque essentia est verum, quod ea durante, res durat, & ea deficiente, res deficit. *Si dicas* solam substantiam esse rem. *Contra est*, quia tunc dicere, quod substantia est quidditas rei, esset idem, ac substantia est quidditas substãtiæ, quo nil ineptius. *Et vlterius* semper explicatur ratio substãtiæ per aliquid sibi commune cum reliquis essentijs omnium entium, vt ex impugnatione posita patet.

21 *Quarta censet*, substantiam rectè explicari per hoc, quod sit *primum ens, vel de integritate primi entis*. Dicitur autem primum ens, quod in vnoquoque ente est primum per modum subiecti, vel radicis, vel quia in eo reliqua dãtur propter illud. *Sed displicet*, nam *primum* duo dicit, scilicet, negationem prioris, & respectum ad posterius; sed substantia, nec constituitur per negationem, nec per respectum, vt patet ex impugnatione primæ, & secundæ opinionis: ergo non constituitur per rationem primi entis.

22 *Quinta* explicat substantiam per hoc, quod *sit ens per se primo intentum à natura, & nõ propter aliud adæquate ab ipso distinctum*. Sed minus rectè: quia prima substantia non est per se primo intenta à natura, species enim, & non singularia iuxta D. Thomam 1. part. quæst. 47. artic. 2. per se primo intenduntur à natura *Tum* quia, licèt per se primo intendi a natura conueniat omni, & soli substantiæ, eius tamen metaphysicum constitutiuum non consistit in eo, quod per se primo intendatur, id enim non est, quod primo intelligimus de substantia; imò ideo per se primo intenditur, quia taliter est constituta, tali, scilicèt perfectione, & dignitate: ergo.

23 *Pari denique* laborat vitio opinio, quæ substantiam explicandam credit per *ens non distinctum adæquate à supposito*. *Tum* quia conuenit composito accidentali v. g. sedenti, quod cum suppositum necessario includat, ab eo non distinguitur adæquate. *Tum* quia licet omni, & soli substantiæ conueniat, non explicat, in quo substantia consistat, cum in nulla negatione, ac subinde, nec in negatione distinctionis valeat consistere.

24 *Quare* cum cõmuni Thomistarum. *Resp.* Substantiam, vt opponitur accidenti, & vt abstrahit à completa, & incompleta, constitui per rationem quidditatis, cui debetur esse per se. Ita D. Thom. 1. part. quæst. 3. art. 5. ad 1. & 1. dist. 8. quæst. 4. art. 2. ad 2. & quæst. 7. de potent. art. 3. ad 4. & desumitur hæc resolutio ex D. Damasc. cap. 13. Logicæ, vbi eam tradit explicans, quid sit existere per se, ait enim; *substantia est res per se existens, non indigens aliquo ad consistentiam.*

25 *Prob.* prætereà: ens constituitur per ordinem ad existentiam:

tiam: ergo inferiora immediata entis, quorum vnum est substantia, debent constitui per ordinem ad taliter existendum, id est, ad existendum modo existendi sibi proprio. Sed modus existendi per se est proprius modus, quo substantia existit: ergo constituitur per ordinem ad existendum per se. *Confirm.* constitutiuum substantiæ debet explicari cum proportione ad constitutiuum accidentis: sed constitutiuum accidentis explicatur per esse in alio: ergo substantiæ constitutiuum debet explicari per esse per se.

26 *Oppones* 1. Substantiæ incompletæ, vt materia, & forma, vnio, existentia, & subsistentia, non existunt per se: ergo existere per se non est constitutiuum substantiæ, vt abstrahit à completa, & incompleta. Prob. anteced. quia prædictæ substantiæ indigent altero ad sui consistentiam. *Confirm.* potest à Deo produci accidens per se existens: ergo per se existere non est constitutiuum substantiæ.

27 *D[illegible] anteċ.* Substantiæ incompletæ non existunt per se, vt *quod* conc. antec. vt *quo* neg. antec. quia suppositum, quod per se existit, vt *quod*, nequit intelligi per se existens sine illis, nequit enim homo intelligi per se existens sine materia, forma, vnione, existentia, & subsistentia, quod est, eas existere per se, vt *quo*.

28 *Dices* 1. Forma, vnio, existentia, & subsistentia, existunt in alio, scilicet in materia, vel in composito: ergo inhærent: ergo nullo modo existunt per se. *Dices* 2. Si substantiæ incompletæ existunt per se, vt *quo*, existere per se in diffinitione substantiæ debet intelligi disiunctiuè, nempè substantia est, quæ existit per se, vel est pars, siue complementum eius, quod per se existit: at hæc potius est diuisio, quam diffinitio substantiæ: ergo diffinitio eo modo intellecta non est bona.

29 *Disting. anteced.* existunt in alio *adæquate distincto ab ipsis*, neg. antec. *inadæquate distincto ab ipsis*, conced. antec. & neg. conseq. illud enim inhæret, quod advenit enti substantialiter completo, ac proinde non inhæret, quod existit in alio à se constituto; cum ergo prædictæ substantiæ incompletæ non distinguantur adæquate ab ente substantialiter completo, sed illud constituant; fit consequens, quod licèt existant in illo, non inhæreant, ac subinde nihil obest, quominus saltim, vt *quo* per se existant. *Ad 2. respondet.* Quod cum substantia abstrahens à completa, & incompleta sit ratio analoga, hoc est, ratio partim eadem, & partim diuersa, non inconuenit, quod diffinitio sit aliquomodo diuisio, & includat diuersitatem, quam in existendo per se, dicunt substantia completa, & incompleta, licèt prædictam diuersitatem non exprimat, sed confundat diffinitio sub ly *existere per se*, in quo suo modo conueniunt exi-

existere per se vt *quod*, & existere per se per modum partis.

30 *Ad confirm.* disting. antec. potest à Deo produci accidens per se existens *præter naturaliter* conced. antec. accidens per se existens *naturaliter*, *& exactiuè*, nego antec. & hoc modo intelligitur *existens per se* in diffinitione substantiæ, nam ens per se existens idem est in ea, ac ens, cui debetur per se existere.

31 *Obijcies 2.* Suppositum est formaliter substantia; & tamen non debetur illi existere per se, sed potius est ens constitutum existentia per se: ergo. *Confirmat.* Deus est substantia; & non debetur illi existere per se; cum sit ipsa existentia per se: ergo.

32 *Resp.* 1. Quod suppositum est substantia cum complemento substantiæ, scilicèt, cum subsistentia, vel existentia per se: vnde licèt supposito adæquatè sumpto non debeatur existere per se, debetur tamen substantiæ, vt præuenit subsistentiam, qua ratione ipsa non est suppositum, sed pars illius. *Ex his ad confirm.* respond. quod Deus est realiter ipsa existentia per se, sed ratione distinctionis virtualis naturæ ab existētia, potest concipi, vt quidditas, cui per se existere debetur.

Secundo resp. quod Deo, & supposito debetur existentia per se, non debito physico fundato in distinctione, carentia, & potentialitate, sed debito logico fundato in necessitate per se existendi, in quo sensu non absurde dicitur, deberi vnicuique rei sua essentialia prædicata: vnde rectè dicimus substantiæ in communi deberi existentiam per se, connexione, & debito a physico, & logico abstrahente.

§. III.

Quæ sint substantiæ proprietates?

33 Sex *ab Aristotel.* recensentur substantiæ proprietates prima est *non esse in subiecto*, & intelligitur de subiecto inhæsionis, in quo dicitur esse, quod existit in substantia completa, cuius non est pars, aut complementum: sic intellecta proprietas conuenit omni substantiæ, tàm primæ, quàm secundæ, siue completæ, siue incompletæ: nulla enim existit in subiecto completo, cuius non sit pars, aut modus completiuus.

34 *Secunda proprietas est, quod prædicatur vniuocè de subiecto*, & intelligitur nomine subiecti prima substantia, & per prædicationem vniuocam prædicatio directa, formalis, & strictè vniuoca, hoc est, non analoga, nec denominatiua. Proprietas hæc sic intellecta conuenit omni, & soli secundæ substantiæ.

35 *Tertia* est: quod prima substantia: *Significat hoc aliquid; secunda vero significat quale quid.* Hæc proprietas conuenit nominibus, sed aptatur rebus, dicendo, primas

mas substantias significari, vt *hoc aliquid*; secundas vero significari *in quale*; quia, vt explicat D.Tho. 7. metaphis. lect. 13. primæ substantiæ in propositione tenent locum subiecti, & materiæ per se stantis, secundæ vero tenent locum prædicati, & formæ; forma autem dicitur qualitas materiæ, quia illi adiacet, & ab ea substentatur. Hæc etiam proprietas conuenit soli substantiæ; nam esse subiectum cum omni proprietate, idest, omnibus subijci, & vltimate substare, soli primæ substantiæ potest conuenire; significari vero, vt qualitatem essentialem huius subiecti tantùm conuenit secundæ substantiæ.

36 *Quarta proprietas* substantiæ est, quod *illi nihil est contrarium*: intelligenda est hæc proprietas de contrarijs strictè, de his scilicèt, *quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt:* cum enim substantia non sit in subiecto, nihil potest substantiam expellere à subiecto; ac proinde substantiæ nihil est contrarium strictè; contrarietate autem large, & prout idem est, ac oppositio, potest substantiæ aliquid esse contrarium, vt igni non ignis, & formæ ignis forma aquæ. Hæc proprietas non est propria substantiæ quarto modo, nam conuenit substantiæ, & quantitati.

37 *Quinta* proprietas substantiæ est, *non suscipere magis, & minus*: excluditur per hanc proprietatem à substantia augmentum intensiuum, nempè augmentum illud, à quo substantia denominatur magis substantia, non vero augmentum extensiuum, illud scilicèt, à quo substantia denominatur maior: quare vnus homo est maior altero, sed non est magis, homo quam alter: quod si ab Aristot. prima substantia dicitur magis substantia, quam secunda, ideo est, quia prima substantia pluribus substat, quod est substare magis extensiuè., non quia prima sit magis substantia intensiuè. Hæc etiam proprietas est communis substantiæ, & alijs, nempè quantitati, & relationi.

38 *Sexta*, & vltima substantiæ proprietas est, *eam esse susceptiuam contrariorum*; quæ proprietas sanè intellecta conuenit omni, & soli substantiæ. Debet autem *intelligi primo* de substantia creata, licèt enim Deo non conueniat suscipere contraria, conuenit tamen cœlo, quod recipit motus contrarios, scilicèt, motum ab Oriente in Occidens, & motū ab Occidente in Oriens, qui sunt contrarij; conuenit etiam Angelis, qui recipiunt contrarios motus intentionales, nempe à morem, & odium; conuenit tandem substantijs corruptibilibus, quas, contrarias suscipe-

re qualitates satis experimur: *intelligitur secundo*, proprietas de receptione cōtrariorum per intrinsecam sui mutationē; qua ratione oratio non suscipit contraria, scilicèt, veritatem, & falsitatem, nā hæc oratio, *Petrus sedet*, sine sui mutatione transit de vera in falsam per extrinsecā obiecti mutationem, siquidem eadem existēs, Petro sedente, est vera, & Petro non sedente, est falsa. *Intelligitur tertio*, de receptione contrariorum non simul, sed succesfsiue. *Denique intelligitur* de receptione per modum subiecti *quod*; nam vt *quo* etiam quantitas recipit accidentia, quatenus substantiam disponit, vt illa possit recipere, vt explicat Sanctus Doct. 1.2. quæst. 7. art. 1. & quæst. 2. de virtutibus, art. 3. ad 2.

ARTIC. II.

Vtrum Deus ponatur in prædicamento substantiæ?

39 Circa hoc dubium sententiam affirmativam tenent aliqui recentiores: sed negatiua est vera, & communis: eam tenet D.Thom. 1. part. quæst. 13. art. 5. & 1. contra g. cap. 25.

§. I.

Probatur conclusio.

40 PRimò. Deus non componitur ex genere, & differentia: ergo non continetur sub genere generalissimo substantiæ; ac subinde in prędicamento substantiæ minime collocatur. *prob. antec.* Compositio ex genere, & differentia est compositio ex conceptibus obiectiuis, quorum vnus cum fundamento in re concepta, concipitur, vt potentia, & alter, vt actus; sed ex parte Dei nullum est fundamentum, vt in eo concipiamus aliquid vt in potentia: ergo Deus non componitur ex genere, & differentia: *minor* videtur certa: quia non minus repugnat potentialitas actui puro, quam rei potētiali summa actualitas; sed in re potentiali nullum est fundamentum, vt aliquid in ea per modum actus puri concipiatur: ergo nec in actu puro est fundamentum, vt in eo aliquid potentiale possit concipi. *Mai.* verò probatur. Genus est res, concepta cum fundamento in re vt determinabilis per differentiam, & differentia est res concepta cum fundamento, vt determinatiua generis; sed quod concipitur, vt determinabile, concipitur vt in potentia, concipitur enim vt in differens ad hanc, & illam speciem; & quod concipitur, vt determinatiuum, concipitur vt in actu, nam concipitur vt dans speciem: ergo.

41 *Si dicas*, potentialitatem, & indeterminationem generis non se tenere ex parte obiecti, sed ex parte nostri conceptus, cum quo tota identificatur: ratio

tio quippe generica dicitur in determinata, non quia res ipsa ex parte obiecti sit in determinata, sed quia confuse, & in determinate nos rem illam concipimus, vnde Deo genus non repugnat, quia non repugnat, nos illum concipere conceptu, vi cuius eum a creaturis non discernamus.

42 *Contra*: Ratio generica est res ipsa concepta, vt indifferens ad plures species: ergo est res ipsa ex parte obiecti in determinata, ac per consequens est res ipsa concepta, vt potentialis: ergo si non potest aliquid in Deo concipi, vt potentiale, nihil in Deo potest concipi, vt habens rationem generis. *Confirmatur*: Conceptus, à quo res denominatur genus, non est potentialis in esse entitatiuo, sed in esse repræsentatiuo: ergo repræsentat rem vt potentialem: ergo eiusmodi potentialitas se tenet ex parte obiecti: ergo si repugnat, Deum concipi cum potentialitate ex parte obiecti, repugnat, concipi Deum conceptu potentiali, ac subinde repugnat concipi in Deo aliquid, quod habeat rationem generis.

43 *Confirm.* principalis ratio: Repugnat concipi in Deo aliquid per modum differentiæ substantiæ: ergo repugnat Deo compositio ex substantia, vt ex genere, & ex eius differentia: *prob. ant.* repugnat concipi prædicatum proprium Dei, quod formaliter non sit substantia: ergo repugnat concipi in Deo aliquid per modum differentiæ substantiæ. Patet conseq. nam differentiæ debent esse extra conceptum generis, & è conuerso genus extra conceptum earum. *Ant. ec.* autem prob. Prædicatum proprium Dei est formaliter infinitum: ergo formaliter est omnis perfectio: ergo differentia, quæ est prædicatum proprium Dei, formaliter est substantia.

44 *Si dicas*: Quodlibet prædicatum proprium Dei est formaliter infinitum, non tamen in omni linea, sed in propria. *Contra*: Quodlibet prædicatum proprium Dei est formaliter actus purus: ergo formaliter est in omni linea infinitus. Probat. conseq. Quia quod in suo conceptu omnem perfectionem non includit, ad aliquam est in potentia; sed quod est in potentia ad aliquam perfectionem, non est actus purus: ergo quod in omni linea non est infinitum, & omnem perfectionem formaliter non includit, non est formaliter actus purus.

45 *Prob. 2. conclusio.* Deo, & creaturis nihil commune vniuocum potest assignari: ergo Deus, & creaturæ non conueniunt vniuoce in genere substantiæ. ant. prob. Deus est ens in actu per essentiam; creaturæ vero sunt entia in potentia ad existendum:

dum: sed ab ente in potentia, & ab ente in actu nequit abstrahi ratio communis vniuoca: ergo. *Prob. min.* *Tùm* quia ens in potentia est ens per attributionem ad ens in actu: ergo conuenit analogicè cum ente in actu. *Tùm* quia à colorato in potentia, & colorato in actu non potest abstrahi ratio communis vniuoca colorati, vel albi, vel alterius speciei contentæ sub colorato: ergo nec ab ente creato, quod nominaliter sumptum (idest quoad essentiam) est ens in potentia, & à Deo, qui per essentiam est ens in actu, & existens, nequit abstrahi ratio communis vniuoca. *Dicta* à nobis confirmat Diu. Augustin. in lib. 1. de cognit. verè vitæ cap. 3. vbi ait: *Ratio manifestè probat, nullum prædicamentum Deo propriè conuenire*: ergo diuinam substantiam substantiæ prædicamentum non capit.

§. II.

Soluuntur obiectiones.

46 OBijcies 1. Sicut opponitur compositio simplicitati, ita distinctio opponitur vnitati: sed non obstante vnitate reali inter prædicata diuina, vnum ab altero distinguimus per rationem: ergo non obstante diuina simplicitate, stabit in Deo compositio per rationem: sed compositio ex genere, & differentia est talis per rationem: ergo talis compositio Deo non repugnat; nihil ergo prohibet, quod Deus in prædicamento substantiæ collocetur.

47 *Resp.* quod distinctio opponitur vnitati, sicut compositio simplicitati, si cætera sint paria; at cætera in præsenti non sunt paria, quia distinctio rationis inter diuina attributa non est distinctio per exclusionem vnius, à conceptu formali alterius; sed est distinctio penes implicitum, & explicitum, idest, per maiorem expressionem vnius, quam alterius; & ad hoc datur fundamentum in Deo, Dei scilicèt eminentia, qui cum simplex sit, sed æquiualeat pluribus inter se distinctis, non potest vnico conceptu à nobis compræhendi, subindeque præbet intellectui nostro occasionem, vt illum per plures cōceptus in plura diuidat obiecta; at compositio ex genere, & differentia requirit, præter non expressionem vnius in conceptu alterius, potentialitatem, & exclusionem vnius à conceptu alterius, genus quippè nequit actu includere differentias, nec differentias esse de conceptu generis admittunt Logici; cumque ex parte Dei, vtpotè infiniti, & actus puri, fundamentum non sit ad hoc, vt in eo concipiatur vnum, vt excludens alterum, & vt in potentia ad illud, fit consequens, repugnare Deo compositionem ex genere, & dif-

differentia, tametsi distinctio rationis inter diuina attributa illi non repugnet.

48 *Obijcies* 2. Christus ponitur in prædicamento substãtiæ; Christus est Deus: ergo Deus ponitur in prædicamento substantiæ. *Neg. conseq.* Nam variatur appellatio: poni quippè in prædicamento, cum sit terminus secundæ intentionis, appellat supra significatum formale subiecti, scilicèt, supra naturam, quæ est ratio formalis; ob quam concreta ponuntur in prædicamento; quare medium diuersimodè accipitur in præmissis nam in maiori de Christo ratione naturæ humanæ dicitur poni in prædicamento; in minori, cum ibi nulla sit appellatio, verificatur de Christo esse Deum ratione suppositi, ac per consequens male in consequenti infertur, Deum poni in prædicamento cum ratione appellationis sit idem dicere, Deum poni in prædicamento, ac dicere Deum ratione naturæ diuinæ in prædicamento constitui. *Vndè* claritatis gratia disting. mai. Christus, vt homo, ponitur in prædicamento concedo mai. vt Deus nego mai. & concessa minori, disting. conseq. ergo Deus, vt sistens in natura humana, ponitur in prædicamento, concedo conseq. vt subsistens in diuina, nego conseq.

49 *Obijcies* 3. Iuxta D. Augustin. libro 5. de Trinitat. cap. 9. & Boetium libro 2. de Trinitat. cap. 10. quædam prædicamenta, substantia, videlicèt, actio, & relatio, dicuntur propriè de Deo: ergo Deus ponitur in his prædicamentis. *Respond.* De Deo dici propriè substantiam, actionem, & relationem, ad differentiam quantitatis, qualitatis, & similium, quæ metaphoricè Deo competunt; ex hoc tamen non sequitur, quod vniuocè dicantur substantia, actio, & relatio de Deo, & creaturis, sed quod dicantur analogicè, analogia proportionalitatis propriæ; vnde nec sequitur, quod in præfatis prædicamentis Deus sit constituendus, cum in eis solum creaturæ, & quę cum eis vniuocè conueniũt, possint constitui.

§. III.

Colligitur ex dictis coordinatio prædicamenti substantiæ.

50 SVbstantia completa creata, quæ est genus supremum huius prædicamenti, diuiditur primo per differentias corporei, & incorporei, in spiritum, & corpus; *Spiritus* in plures species Angelorum. *Corpus*, per corruptibile, & incorruptibile, in cœleste, & sublunare. *Cœleste* in diuersos Orbes Cœlestes. *Sublunare* per se mouens, & non se mouens, in viuens, & non viuens. *Non vi-*

viuens, per simplex, & compositũ, in elementũ, & mixtum, & horũ quodlibet in varias species. *Viuens* per sensibile, & in sensibile, in animal, & non animal. *Non animal* in diuersas plantas. *Animal*, per rationale, & irrationale, in bruta, & hominem. *Bruta*, in varias species Brutorum. *Homo*, per differentias indiuiduales, in Petrum, & Paulum, & reliqua in diuidua: vnde in recta linea prædicamenti substantiæ, relictis ad latus differentijs, descendimus a supræmo genere vsque ad indiuiduum per prædicta genera, & species; & ascendimus per ea ab indiuiduo vsque ad genus supremum: v. g. descendimus à substantia ad Petrum, per *corpus, sub lunare, viuens, animal, & hominem*; & ascendimus à Petro vsque ad substantiam per *hominem, animal, viuens, sub lunare, & corpus*.

ARTIC. III.

In quo consistat ratio formalis quantitatis?

51 QVantitas aliquando sumitur pro perfectione cuiuscumque rei, quæ dicitur quantitas virtutis, & ab ea Deus, magnus dicitur, & excelsus: illa tamen prætermissa, quia solùm est quantitas metaphoricè. Quantitas strictè, & propriè, quæ dicitur quantitas molis, nihil est aliud, quam magnitudo, & extensio corporibus propria. Eam diffiniuit Arist. in cõcreto 5. metaphis. cap. 13. dicens: *Quantum dicitur, quod est diuisibile in ea, quæ in sunt, quorum vtrumque, aut singula, vnum quid, & hoc aliquid aptum est esse.* Ac si clarius diceret: *Quantum est diuisibile, in partes integrantes, quarum qualibet separata à toto, est totum per se, & aliquid vnum.* Dicitur *diuisibile* ad excludendas res simplices; *in ea, quæ in sunt*, ad excludendam diuisionem mixti in elementa, quæ non sunt formaliter, sed virtualiter in mixto, & ideo non est diuisio quantitatis: *quorum vtrumque, aut singula vnum quid aptum est esse*, ad excludendam diuisionem compositi in materiam, & formam, quæ diuisæ non possunt per se existere, sicut existunt diuisæ partes quantitatis.

52 *Pro resolutione* difficultatis adverte primo in quantitate inveniri varios effectus formales, ex quibus venari possumus conceptum constitutiuum eius: inuenitur quippe in ea, extensio partium quantitatis, & substantiæ in ordine ad se; extensio earundem partium in ordine ad locum, impenetrabilitas partium inter se, & cum altera quantitate; diuisibilitas proxima, & mensurabilitas tam actiua, quàm passiua.

53 *Adverte* secundo, certum esse in pluribus ex his effectibus prout dicunt actum, non posse consistere essentiam quantitatis, cum ab ea sint separabiles, & de facto sint separati, vt patet in Eucha-

charistia, in qua extensio in ordine ad locum quantitati Corporis Christi D. non competit, & in ingressu Christi D. ianuis clausis ad locum, vbi erant Apostoli, & in egressu à sepulcro, lapide non reuoluto, vti quantitas Christi D. cum alijs quantitatibus fuit penetrata; quare difficultas procedit de aptitudine, siue exigentia horum effectuum; an scilicèt in ea essentia quantitatis consistat.

54 *Tertiò* advertè: certum esse, exigentiam horum effectuum esse essentiam quantitatis. Nihilominus cum essentia metaphysica rei sit, quod primo intelligitur in ea, & ratione cuius cætera illi conuenire intelliguntur, inquirimus, quis sit ex præmissis effectibus, quem primo quantitas nostro modo concipiendi, radicat, & ratione cuius reliquos intelligitur exigere.

55 *Nostra* communisque in Schola D. Thomæ conclusio. *Ratio formalis quantitatis consistit in extensione partium in ordine ad se.* Pro conclusionis intelligentia notabis duo. *Primum* est, partes extendi in ordine ad se, per hoc, quod vna pars sit extra aliam; esse vero vnam partem extra aliã, non est vnam partem esse realiter distinctam ab alia, sed est vnã partem vniri alteri secundum extremitatem, & non secundum se totam. *Secundum* est; quod partes, quas quantitas extendit, aliæ sunt partes substantiæ; aliæ sunt partes ipsius quantitatis; extensio actualis partium substantiæ in ordine ad se nequit esse constitutiuum essentiale quantitatis, cum sit effectus, qui de facto separatur in Eucharistia à panis, & vini quantitate. Consistit ergo essentia quantitatis in extensione aptitudinali partium substantiæ in ordine ad se, vel in extensione actuali partium ipsius quantitatis in ordine ad se: quo supposito. *Prob.* 1. conclusio ex D. Thoma opusc. 70. q. 5. art. 3. ad 3. ibi: *Ordo partium in toto includitur in ratione essentiali quantitatis, tamquam differentia constitutiua ipsius*, quod alibi sæpè repetit.

56 *Prob.* 2. conclusio ratione. Ratio formalis quantitatis est, vel effectus ille, vel exigentia effectus illius, quem primo intelligimus præstari à quantitate, & ratione cuius reliquos communicat; huiusmodi est extensio partium in ordine ad se: ergo ratio formalis quantitatis est extensio partium in ordine ad se. Prob. min. quoad primam partem; inter effectus formales, prius intelligitur is, quem forma præstat in ordine ad se, quam illi, quos in ordine ad alia communicat: ergo inter effectus, quantitatis prius intelligitur extensio partium in ordine ad se, quam effectus, quos communicat in ordine ad alia. Sed reliqui effectus quantitatis præstantur ab ea in ordine ad alia: ergo extensio partium in ordine ad se intelligitur prius, quàm reliqui effectus quantitatis.

Quoad secundam vero partem probatur;nam ideo quantitas occupat locum, quia habet in se partes extensas; nam occupare locum nihil aliud est,quàm corpus adæquari loco,& locum corpori; duo autem corpora ideo adæquantur, quia habent partes eiusdem extensionis. *Deinde*,corpus ideo expellit aliud corpus à loco, quia occupat locum, & est in loco modo diuisibili. *Præterea* ideo potest quantitas ab aliquo agente diuidi in partes,quia habet partes extensas. *Denique*, vt possit mensurare, vel mensurari, debet in ea supponi extensio, mensura enim est id, quo cognoscitur quantitas rei, & non potest quantitas panni v.g.per vlnam innotescere, nisi extensio æqualis vlnæ in panno supponatur, nec vlna potest quantitatem panni notificare, quin supponatur in vlna extensio, æqualis extensioni panni: ergo extensio partium in ordine ad se est ratio, & fundamentum alterius cuiuscumque effectus quantitatis.

57 *Confirmat.* Ille debet censeri effectus primarius quantitatis, qui est inseparabilis à forma communicata, omnibus alijs separatis, cum solus effectus primarius sit,sine quo forma nequit communicari. Sed extensio partium in ordine ad se est huiusmodi: ergo est effectus primarius quantitatis. Probatur min. quantitas Christi D. in Eucharistia nullum alium effectum formalem præstat substantiæ præter extensionem partium in ordine ad se: ergo hic solus effectus non separatur à quantitate, omnibus alijs separatis. Antec. prob. quantum ad non communicationem aliorum effectum,nam substātia Corporis Christi prout in Eucharistia, nec est extensa in ordine ad locum,nec aliud Corpus arcet à loco, nec est proximè diuisibilis, nec mensurare potest,aut mensurari: sed hi sunt ex numeratis supra effectus omnes quantitatis, præter extensionem partium in ordine ad se:ergo omnes illi,non communicantur, communicata quantitate.

Quod verò communicetur extēsio partium in ordine ad se. Prob. quia in Eucharistia partes Corporis Christi non sunt confusæ, nec se totis vnitæ,sed sunt ordinatæ, & vna extra aliam, non in ordine ad locum,sed quoad se;ibi enim sunt verissimè caput, manus, pedes, & alia membra, de quorum ratione est ordo partium,cum de ratione illorum sit temperamentum,& figura,quæ sine ordine, & dispositione vnius partis extra aliam nequeunt intelligi, quod luculenter expressit Angelicus Doct.in 4.dist.10.q.1.art. 3. quæstiunc.3.ad 2.dicens: *Quamuis non sit accipere ordinem partium Corporis Christi secundum comparationem ad partes hostiæ,tamen est accipere ordinem ipsarum partium ad inuicem in Corpore Christi secundum propriam quantitatem*: ergo quantitas

tas in Eucharistia extendit partes substantiæ in ordine ad se.

58 *Interrogabis* in qua extensione quantitas essentialiter,& determinatè consistat, an in extensione actuali suarum partium, an in extẽsione aptitudinali partium substantiæ?

59 *Respondetur.* Consistere essentiam quantitatis in extensione aptitudinali partium substantiæ. Ratio est, quia cum accidens sit entis ens, & non sit propter se, sed propter substantiam, effectus primarius quantitatis, quæ est accidens, non est, quem ex se, & in se habet, sed quem ex se communicat substantiæ; sicut licèt per existentiam existant natura, & ipsamet existentia, effectus primarius existentiæ, non est reddere se ipsam existentem, sed existentem reddere naturam.

60 *Obijcies* 1. D.Thom.opuscul. 52. dicentem: propriam rationem quantitatis esse rationem mensuræ,& 1. p.quæst. 28. art. 2. vbi diffinit quantitatem per hoc quod sit mensura substantiæ. *Respond.* rationem mensuræ esse propriam rationem quantitatis, non per modum differentiæ essentialis, nam differentiam essentialem ait S. D. vbi supra, esse ordinem partium in toto, sed per modum proprietatis quarto modo. Diffiniuit autem quantitatem per rationem mensuræ descriptiuè, sicut, & eam descriptiuè diffiniuit Philosophus per diuisibilitatem; nam quidditatiuè diffinitur quantitas: *Accidens, quod partes substantiæ reddit extensas.*

61 *Obijcies* 2. Effectus primarius est, quem præstat forma per præcisam communicationem sui; sed extensionem partium substantiæ in toto non præstat quantitas sola communicatione sui: ergo hæc extensio non est effectus primarius quantitatis. Prob. min. extensio partium substantiæ in toto duo dicit, aliud, eas partes esse vnitas, aliud, eas non esse vnitas se totis; neutrum præstat quantitas substantiæ sola communicatione sui; nam illas esse vnitas tribuitur ab vnione substantiali, distincta, vel indistincta à partibus, illas vero non vniri se totis consistit in defectu vnionis, qua se totis vnirentur, qui effectus cum quantitate non identificatur: ergo.

62 *Neg. min.* ad probationem. *Resp.* Præter vnionem substantialem, dari inter partes substantiæ vnionem integralem, quę est vnio secundum extremitates, à qua prouenit eas non vniri secundum se totas, & hæc posterior vnio identificatur cum quantitate, & præstatur ab ea per solam communicationem sui. *Alia* possent obijci, sed omittuntur, quia de hoc iterum agimus ex professo lib. 2. de Anim. quæst. 1. artic. 3.

AR-

ARTIC. IV.

Vtrum substantia materialis antecedenter ad actualem quantitatem habeat partes inter se distinctas?

63 Supponimus 1. Cum sententia, quae contra nominales, & vnum, vel alterum recentiorem, cõmunis est inter Theologos, & Philosophos, quantitatem distingui realiter à re quanta; cuius potissima ratio desumitur ex Sacrosancto Mysterio Eucharistiae, in quo manet quantitas panis, destructa substantia panis, quod manifestè probat, quantitatem panis ab ipsius substantia realiter distingui, cum realis separatio sit signum realis distinctionis.

64 *Respondent* nominales, destructa substantia panis, destrui quantitatem identificatam cum substantia panis, & solum manere quantitatem aliorum accidentium identificatam cum illis.

65 *Contra* 1. quantitas, quae permanet in Eucharistia, naturaliter est impenetrabilis cũ substantia corporea v. g. cum alia hostia non consecrata; sed quantitas identificata cum accidentibus non est naturaliter impenetrabilis cum substantia corporea; quia iuxta solutionem datam, compatiũtur in eodem loco substantia, & accidẽs, quorum quodlibet propriam habet quantitatem secum identificatam: ergo quantitas, quae permanet, non est quantitas identificata cum accidentibus. *Confirmatur*: quantitas substantiae eiusdem rationis est cum quantitate accidentium: ergo si quantitas accidentium panis pellit à loco, quem occupat, quantitatem aliorum accidentium, pellit etiam à loco, quem occupat, quantitatem propriae substantiae: atqui substantia panis, & accidentia erant antè consecrationem in eodem loco: ergo non habebant singũla proprias quantitates, sed vna erat quantitas omnium.

66 *Hinc* deduci potest ratio naturalis, qua probatur hoc assertum, si enim quantitas identificaretur cum substantia, materia, & forma haberent proprias quantitates secum identificatas: ergo vel materia, & forma in eodem loco non essent, vel duae quãtitates essent naturaliter in eodem loco: consequens quoad vtramque partem est falsum: ergo, & illud, ex quo sequitur.

67 *Supponimus*, & prae notamus secundo, distinctionem dupliciter accipi, primo vt opponitur confusioni, qua ratione dicuntur esse distincta, quae sunt debitè ordinata: secundo sumitur distinctio, vt opponitur identitati, qua ratione distincta nuncupantur, quorum vnum non est alterum.

68 *Supponimus* 4. contra Oviedo, Comptom. Izquierdo, & alios R.R.

R.R. quod substantia non ita habet antecedenter ad quantitatem partes, vt nedùm sint distinctæ, sed etiam extensæ, aut in ordine ad se, aut in ordine ad locum. *Patet* hæc suppositio ex dictis in artic. anteced. nam substantia nequit habere effectum formalem quantitatis antecedenter ad quantitatem: sed extensio partium in ordine ad se, & in ordine ad locum est effectus formalis quantitatis, prima extensio effectus primarius, secunda effectus secundarius, vt ex supradictis constat: ergo neutram extensionem potest habere substantia antecedenter ad quantitatem.

69 *Confirm.* Impenetrabilitatem, seu resistentiam ad penetrationem nequit habere substantia antecedenter ad quantitatem iuxta adversarios existimantes impenetrabilitatem esse effectum primarium, & proprium quantitatis: sed si substantia haberet antecedenter ad quantitatem partes extensas, haberet antecedenter ad quantitatem impenetrabilitatem: ergo non habet partes extensas antecedenter ad quantitatem. Prob. min. Partes extensæ resistunt penetrationi: ergo habens partes extensas antecedenter ad quantitatem, est impenetrabile antecedenter ad quantitatē. Prob. antec. *Tùm* quia partes ideo resistunt penetrationi, quia non sunt vnitæ se totis, sed secundum extremitates, quod nihil aliud est, quam esse extensas. *Tùm* quia assigna quare partes quantitatis sint impenetrabiles, si ratio huius non est extensio earum?

70 *Deinde.* Si substantia separata à quantitate posset, vt concedit opposita sententia, habere extensionem quoad locum, illa haberet ex se trinam dimensionem, quod est aperte falsum; quia trina dimensio scilicèt, longitudo, latitudo, & profunditas non sunt species substantiæ, sed quantitatis. *Posset* etiam diuidi, mensurare, esse æqualis, vel inæqualis; quod est contra D. Thom. qui 4. contra g. cap. 65. docet substantiam remota quantitate, remanere indiuisibilem, & contra Philosophum, qui loco supra citato, diffiniuit quantitatem per diuisibilitatem, & in præsenti capite, rationem æqualis, aut inæqualis proprissimam esse quantitatis demonstrauit. *Posset* præterea figurari, quod tamen repugnat, cū figura ex terminatione resultet quantitatis. *Posset* denique colorari, comprimi, dilatari, minui, augeri, & id genus sexcenta, quæ viris alioquin Philosophis, & qui doctrinam Peripateticam à limine salutauerint, omnino dissonant. Sed de hoc iterum in lib. 1. de Anim. q. 2. art. 2.

71 *His suppositis.* Aliqui censent, substantiam materialem adhuc sub quantitate existentem nullas habere partes substantiales substantialiter distinctas, sed esse substantialiter simplicem ac subinde totam sub tota quantitate,

te, totamque suo qualibet parte quantitatis. Hi sunt PP. Complutenses in Logica disputatione 13. quæst. 3. & in libris de Generat. disputat. 5. à quæst. 3. ad 7. vbi plures pro se referunt Authores, quos etiam refert, & sequitur Mag. Parra, hic tract. 4. dub. 4. num. 17. *Alij* admittunt substantiam sub quantitate habere partes entitatiuè distinctas, eas tamen illi denegant antecedenter ad quantitatem, vel independenter ab ea: hi sunt Ioan. à S. Thoma, Sotus Flandria, & Araujo.

§. I.

Prima conclusio.

71 SVbstantia affecta quantitate non est tota sub tota quantitate, & tota sub qualibet parte, sed præter partes quãtitatis habet proprias substantialiter, & entitatiuè distinctas, ratione quarum ita est tota sub tota quantitate, vt partes illius sint sub partibus *quantitatis*. *Probatur* primo. Substantia pedis non est substantia capitis: ergo substantia hominis habet partes entitatiuè distinctas. Prob. antecedens. Substantia pedis est realiter separabilis à substantia capitis: ergo substantia pedis non est substantia capitis. Patet conseq. nam quæ realiter possunt separari, realiter distinguntur.

73 *Dices.* Quæ realiter possunt separari, possunt realiter distingui; at non semper distinguuntur actu, quare separabilitas substantiæ pedis à substantia capitis non arguit distinctionem actualem, sed potentialem substãtiæ pedis à substantia capitis.

74 *Contra solutionem* istam, sola PP. Complut. authoritate munitam, & ad solum effugiendam vim huius argumenti excogitatam, stat 1. ex separabilitate animæ rationalis à materia, quantitatis à re quanta, vnius partis quãtitatis ab altera, & subsistentiæ à natura, probant efficaciter, & euidenter Philosophi distinctionem realem actualem animæ rationalis à materia, quantitatis à re quãta, vnius partis quantitatis ab altera, & subsistentiæ à natura: ergo separabilitas est signum euidens distinctionis realis actualis inter ea, quæ possunt separari.

75 *Obstat* 2. Repugnat, idem à se ipso realiter separari: ergo quæ separari possunt realiter distingũtur. *Obstat* 3. Quod, caret partibus actu distinctis, est indiuisibile; sed quod potest habere partes realiter separatas, nõ est indiuisibile: ergo quod potest habere partes realiter separatas, non caret partibus actu distinctis. Prob. mai. nã ideo punctum est indiuisibile, quia nullas habet partes: ergo.

76 *Obstat* 4. Permanente re, nequit deficere quod est de essentia illius: sed quod identificatur cum re, est de essentia illius: ergo permanente re, nequit deficere, aut separari, quod cum illa identificatur.

Vr-

77 *Vrgetur* extrema realiter distincta non possunt realiter identificari: ergo nec identificata possunt realiter distingui. Prob. anteced. vel identificarentur saluis eorum differentijs, vel eis destructis; primum est impossibile, nam vnum extremum esset, & non esset alterum; esset, quia identificaretur cum altero; non esset, quia differret ab altero per differentiam; si dicatur secundum; extrema destruerentur, quia deficientibus eorum differentijs, deficerent ipsorum constitutiua: ergo realiter distincta nequeunt realiter identificari.

78 *Secundò* probatur conclusio, & tradita solutio refutatur destrui, & non destrui, siue existere, & non existere non possunt verificari de eodem; sed potest destrui, ac proindè non existere substantia pedis, non destructa, sed existente substantia capitis: ergo substantia pedis, & substantia capitis non sunt idem.

79 *Confirm.* Tunc aliquid destruitur, cum id, quod erat, non existit: ergo cum destruitur substantia pedis, id, quod erat substantia pedis, non existit: sed existit substantia capitis: ergo substantia pedis non erat substantia capitis.

80 *Tertiò* per nutritionem aduenit viuenti noua pars substantiæ, quæ succedit loco illius, quæ per actionem caloris naturalis fuerat deperdita, teste Arist. lib. 1. de Generat. cap. 5. & D. Thom. ibidem lect. 15. ergo substantia viuentis non est simplex, sed composita ex præexistente, & ex ea, quæ per nutritionem aduenit de nouo.

81 *Nec dicas*: ex vtraque fieri vnam, realiter in diuisam in genere substantiæ. *Quia* duo realiter inter se distincta non possunt transire in vnam simplicem entitatem, nisi per conuersionem vnius in alteram, vel per identitatem vnius cum altera, quorum neutrum in nutritione contingit; non primum, *Tùm* quia conuersio illa esset transubstantiatio, quæ per vires à gentis naturalis non est possibilis. *Tùm* quia in conuersione, terminus *à quo* desinit omnino quo ad formam, & quoad materiam, materiam autem naturaliter desinere non posse, certissima tenet Philosophia: *Nec secundum* dici potest. *Tùm*, quia, vt proximè arguebamus, distinctiuum vnius ab altero pertinet ad constitutiua illius, quare remota distinctione rei ab omni eo, quod res non est, res non est ipsa, sed altera.

82 *Confirm.* quia repugnat, quod res sit ipsa, & altera à se ipsa: at qui si extrema realiter distincta possent identificari, res aliqua esset ipsa, & altera à se ipsa: ergo non possunt duo transire in simplicem entitatem per identitatem vnius rei cum altera. *Tùm* etiam, quia implicat in terminis, quod Petrus identificetur cum Paulo, non alia ratione, nisi quia Pe-

Petrus est entitas per se ipsam distincta à Paulo; sed quæcumque realiter distinguuntur, sunt entitates inuicem per semetipsas distinctæ: ergo ex terminis repugnat, illas identificari. *Denique* rarum diffinitur à Philosophis, *quod sub multis dimensionibus parum habet materiæ*. Densum autem, *quod sub paruis dimensionibus habet multum materiæ*: ergo sub aliquibus dimensionibus est plus materiæ, quam sub alijs: ergo materia sub quantitate non est in proprio genere indiuisibilis.

83 *Obijcies* 1. D. Th. qui quodl. 9. quæst. 4. art. 2. ait: *Impossibile est, quod vna materia contrarias, & disparatas formas recipiat, nisi secundum diuersas partes; diuersitas autem partium non potest intelligi in materia, non intellecta diuisione, nec diuisio, non intellecta dimensione; quia substantia, quantitate sublata, remanet in diuisibilis, vt dicitur* 1. *physic.* ergo secundum D. Thom. diuersitas partium non potest intelligi, non intellecta quantitate: ergo tota diuersitas partium est à quantitate: ergo substantia materialis existens sub quantitate nullam in proprio genere substantiæ habet partium diuersitatem.

84 *Confirmat.* ex eodem S. D. 3. part. quæst. 76. art. 3. in corpore, vbi ait: *Manifestum est autem, quod natura substantiæ tota est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur, sicut sub qualibet parte aëris est tota natura aëris, & sub qualibet parte panis est tota natura panis.* Ex quo probat S. D. totum Corpus Christi Domini esse subqualibet parte quantitatis specierum in Eucharistia, quia nimirum ibi est ad modum substantiæ, siue ad modum, quo sub tantia panis erat ibi ante consecrationem: ergo sentit substantiam affectam quantitate nullas ex se habere partes, sed esse sub quantitate substantialiter in indiuisibilem; hoc est, totam subqualibet parte quantitatis.

85 *Respond.* explicando Diu. Thomam diuersitas partium non potest intelligi non intellecta dimensione, aut quantitate *per modum formæ dantis partium diuersitatem*, neg. anteced. *per modum connotati*, siue termini, quem substantia connotat, vt talem diuersitatem præstet, concedo anteced. prouenit ergo diuersitas partium materiæ à substantia, non vt cumque, sed à substantia, vt est radix quantitatis, quare non intellecta quantitate saltim de connotato, & vt radicaliter præhabita in substantia, nequit intelligi diuersitas partium in ea: & hanc esse mentem Diu. Thom. constat: nam in eius Schola ita requiritur quãtitas ad diuersitatem indiuiduorum materialium, sicut requiritur ad diuersitatem partium materiæ; cum ergo de mente S. D. non sit, quod in quantita-

tate, & in sola distinctione proueniente ab ea, consistat diuersitas indiuiduorum, sed in distinctione entitatiua, & substantiali proueniente formaliter à materia, vt per modum radicis connotat quantitatem; nec in præsenti putandum est intendere Diu. Thom. diuersitatem partium materiæ consistere in sola distinctione quantitatiua, sed in distinctione entitatiua, & substantiali proueniente à materia, vt per modum radicis connotat quantitatem. *Maximè* cum in prædicto testimonio dicat S. Thom. quod, vt materia recipiat diuersas formas, præ requiritur diuersitas partium, quæ non stat, non intellecta quantitate: etenim in materia ante formam nullum accidens intelligitur in sententia Diu. Thom. ergo Diu. Thom. nequit intelligi de quantitate actuali, sed de quantitate radicaliter præhabita in materia.

86 *Ad confirmat. Resp.* quod exemplorum non requiritur paritas in omnibus; quare cum S. D. asserit, contineri Corpus Christi subqualibet parte specierum sicut natura substantiæ tota est subqualibet parte dimensionum nomine *naturæ* intelligit essentiam specificam, & intendit paritatem quoad aliquid sufficiens ad aliqualem mysterij explicationem, quæ consistit in eo; quod, sicut tota essentia specifica substantiæ saluatur subqualibet parte quantitatis, ita totum Corpus Christi saluatur subqualibet specierum. *Colligitur* hæc expositio, *tùm* ex illo termino *natura*, qui apud Diu. Thom. idem sæpè significat quod essentia, *tùm* quia prædictus loquendi modus consonat cum eo, quo Angelic. Præceptor opusc. de natura materiæ cap. 5. vtitur cum ait: *Tota forma ignis secundum totalitatem suæ essentiæ est subqualibet parte suæ materiæ cum tota diffinitio ignis cuilibet eius parti conueniat.* Vbi aperte loquitur de essentia specifica, cum ea sit, quam explicat rei diffinitio. Cætera argumenta æquè militant contra sequentem conclusionem, quare post illam opportunius dissoluentur.

§. II.

Secunda conclusio.

87 SVbstantia materialis ex se; & antecedenter ad quantitatem habet partes realiter inter se distinctas. Probatur 1. ex Diu. Thom. 1. 2. quæst. 17. artic. 4. in corp. dicente: *Totum in genere substantiæ compositum ex suis partibus, vel integralibus, vel essentialibus, est vnum simpliciter*: ergo partes integrales totius substantiæ non sunt in genere quantitatis, sed in genere substantiæ. Patet conseq. quia ex substantia, & accidenti non fit vnum per se. *Confirm.* iuxta D. Th.

da-

datur compositio totalis integralis in genere substantiæ: ergo dantur in genere substantiæ partes integrales: ergo datur distinctio partium in genere substantiæ; partes enim constituuntur per distinctionem, & diuisionem vnius ab altera; sed vt statim expendemus, nequit distinctio in genere substantiæ procedere à quantitate: ergo substantia antecedenter ad quantitatem habet partes inter se distinctas.

88 *Prob. 2. conclusio* ratione, quæ ex dictis §. præcedenti illam efficaciter conuincit. Distinctio partium substantiæ non prouenit formaliter à quantitate: ergo substantia habet ex se partes distinctas. Prob. antec. distinctio substantialis non prouenit formaliter ab accidenti: distinctio partium substantiæ est substantialis: ergo non prouenit formaliter à quantitate. Tenet conseq. nam quantitas est accidens; & maior est euidens; nam effectus formalis substantialis nequit cum accidenti identificari. *Min.* vero probatur, nam partes substantiæ ita distinguuntur, vt vna non sit substantialiter altera: hoc est distinguuntur ita, vt vtraque sit substantia, & vna non sit illa numero substantia, quæ est altera: ergo distinctio partium substantiæ est substantialis.

89 *Confirm. 1.* Idem est constitutiuum rei, & illius distinctiuum; at vna pars substantiæ non constituitur per quantitatem, sed antecedenter ad illam per se ipsam: ergo nec distinguitur ab alia per quantitatem vt per rationem formalem, sed antecedenter ad illam per se ipsam. Prob. min. nihil potest constitui in genere substantiæ per formam accidentalem; at partes substantiæ sunt partes in proprio genere substantiæ, siquidem nulla est integra substantia totius: ergo nulla constituitur per quantitatem, sed per se ipsam.

90 *Confirm. 2.* Quod res vna in se, & in sua entitate non sit altera, à nullo extra ipsam potest formaliter prouenire: ergo quod hæc pars in se, & in sua entitate non sit illa, à nullo entitati partis superaddito, potest prouenire. Antec. prob. ab eo, quod est extra rem, solum potest prouenire effectus formalis extrinsecus illi: sed rem in sua entitate non esse alteram, non est effectus formalis extrinsecus: ergo. *Prob. min.* quod rei conuenit quoad intrinseca, & omni extrinseco secluso, non est effectus formalis illi extrinsecus: sed res, quæ in se, & in sua entitate non est altera quoad sibi intrinseca, & secluso quolibet extrinseco, non est altera: ergo rem in sua entitate non esse alteram, non est effectus formalis illi extrinsecus.

91 *Vrgetur.* Quæ tantum differunt accidentaliter substantialiter, & essentialiter sunt idem, sed partes substantiæ non sunt essentialiter, & substantialiter idem: er-

ergo non differunt tantum accidentaliter : ergo tota distinctio inter eas non est accidens : ergo tota distinctio inter eas non identificatur cum quantitate, quæ est accidens, sed cum substantia, ac subindè partes substantiæ differunt se ipsis, & non per quantitatem.

92 *Denique*. Substantia vnius partis v. g. pedis per vnam, & eandem formam distinguitur realiter ab omni eo, quod non est ipsa : sed non distinguitur per quantitatem, vt per formam, ab ipsamet quantitate, quæ non est substantia pedis : ergo nec distinguitur per quantitatem, vt per formam, à substantia alterius partis, v. gr. à substantia capitis, quæ pariter non est substantia pedis.

93 *Tertio* probatur conclusio: duæ substantiæ totales non distinguuntur per quantitates, sed per se ipsas, vt præhabent quantitatem : ergo nec duæ substantiæ partiales distinguuntur per quantitates partiales, sed per se ipsas, vt præhabent quantitatem.

94 *Confirm.* quantitates totales supponunt, & non faciunt distinctionem inter subiecta, nimirum inter substantias totales: ergo quantitates partiales supponunt, & non faciunt distinctionem partialem inter subiecta, nempè inter substantias partiales.

95 *Quarto*. Ex opposita sententia sequuntur in conuenientia deducta, §. præcedenti ex indiuisibilitate substantiæ affectæ quantitate : nam sicut Deus de facto in Eucharistia conseruat quantitatem panis sine substantia panis, ita posset destruere quantitatem panis, & illius substantiam conseruare: tunc ergo vel partes substantiæ panis, quæ dum erant sub quantitate, realiter distinguebantur, conseruarent mutuam distinctionem, vel illam amitterent? *Si primum* : ergo distinctio partium non prouenit à quantitate formaliter ; cum ibi aliqua tunc foret distinctio, & tamen nulla esset quantitas : *Si dicas* secundum : ergo quæ prius fuerunt realiter distincta, modo identificantur realiter, & si Deus, vt posset, redderet eas pristinæ quantitati ; quæ modo realiter identificantur, postea realiter distinguerentur; consequens sustineri nequit: ergo.

§. III.

Soluuntur argumenta.

96 OBijcies 1. Substantia pro priori ad quantitatem non habet partes vnitas, nec habet partes non vnitas : ergo non habet partes. Anteced. quoad primam partem probatur : substantia pro priori naturæ ad quantitatem non habet partes vnitas secundum se totas, nam in eodem instanti pro

posteriori naturæ habet illas extensas per quantitatem: nec habet partes vnitas secundum extremitates, hoc est, medijs indiuisibilibus, alias antecedenter ad quantitatem haberet partes, quarum vna esset extra aliam, ac subinde partes extensas: ergo substantia pro priori ad quantitatem non habet partes vnitas. Quo ad secundam vero partem prob. antec. Substantia pro priori ad quãtitatem est vnum per se; sed ex partibus non vnitis vnum per se non resultat: ergo substantia pro priori ad quantitatem non habet partes non vnitas.

97 *Disting. anteced.* pro prima parte: substantia, vt præuenit quantitatem, non habet partes vnitas *inter se immediatè*, conced. anteced. *mediatè, & in tertio*, neg. antec. partes quippè substantiæ pro priori ad quantitatem, nec sunt vnitæ se totis, nec sunt vnitæ secundum extremitates: omnes tamen sunt vnitæ vni, & eidem existentiæ, quod sufficit, vt ex eis resultet vnum per se, sicut ex partibus quantitatis resultat vnum per se, etiam si pes, & caput non vniantur immediatè; quia videlicet vniuntur mediatè, & in tertio, idest, media alia parte, cui pes, & caput vniuntur.

98 *Instas* 1. entitates nullam inter se habentes vnionem, non possunt existere per eandem existentiam: ergo si partes substantiæ pro priori ad quantitatem non sunt vnitæ inter se, non possunt vniri vni, & eidem existentiæ. Conseq. patet, & anteced. prob. nam ideo duæ formæ substantiales non possunt existere per eandem existentiam, quia inter se nullam habere vnionem supponuntur: ergo.

99 *Instas* 2. partes illæ substantiæ inter se non vnitæ, nec sunt finitæ, nec infinitæ: ergo non constat substantia ex partibus inter se non vnitis. Antec. quoad 1. partem patet, nam infinitum in actu secundum multitudinem repugnat; & quo ad primam partem prob. si partes illæ substantiæ essent finitæ, essent etiam finitæ partes quantitatis extendentes illam, cum partes quantitatis partes substantiæ non excedant: at partes quantitatis finitæ non sunt, sed diuisibiles in infinitum: ergo partes substantiæ non sunt finitæ.

100 *Instas* 3. Ex partibus, quæ non comparantur ad inuicem, vt potentia, & actus, non potest vnum per se componi: sed partes inter se non vnitæ non comparantur ad inuicem, vt actus, & potentia: ergo substantia, quæ pro priori ad quantitatem, est vnum per se, non componitur ex partibus non vnitis inter se.

101 *Resp. disting. antec.* entitates nullam inter se habentes vnionem *proximè, nec radicaliter*, non possunt existere per eandem existentiam, conced. anteced. nullam inter se habentes vnionem

pro-

proximè, neg. anteced. at partes substantiæ materialis, licet antecedenter ad quantitatem non sint inter se proximè vnitæ, sunt tamen vnitæ radicaliter, & exactiue; quia cum ex natura sua ordinentur ad componendam substantiam, cuius operationes indigent extensione, & quantitate, ex natura sua petunt quantitatem, per quam extendantur, & medijs indiuisibilibus inter se vniantur. Vnde non sequitur, quod pari ratione plures naturæ completæ, & plures formæ substantiales possint existere per vnicam existentiam; quia plures naturæ completæ, aut plures formæ substantiales, nec proxime, nec exactiue habent inter se vnionem pro priori ad existentiam; non enim ordinantur ex natura sua ad constituēdum vnicum principium operationum indigentium ad sui eliciendam quantitate eas vniente medijs indiuisibilibus.

102 *Dices*: duæ naturæ completæ non possunt existere per eandem existentiam; sed quælibet pars aquæ v. g. ablata quantitate, est natura completa: ergo partes aquæ, ablata quantitate, non possunt existere per eandem existentiam. Prob. min. quælibet pars aquæ constat ex materia, & forma, ex se sufficientibus ad constituendum indiuiduum aquæ cōpletum; si enim partes illæ ponerentur seorsim sub proprijs quantitatibus, quælibet esset indiuiduum aquæ completum: ergo.

103 *Disting. min.* Quælibet pars aquæ, vt radicaliter præhabet propriam quantitatem *diuisam ab alterius quantitate*, est natura completa, conced. min. quælibet pars aquæ, vt præhabet quantitatem *communi termino copulatam* quantitati alterius partis neg. min. & disting. consequens. Ergo partes aquæ, vt radicaliter præhabentes *proprias quantitates*, non possunt existere per eandem existentiam concedo conseq. vt præhabent quantitatem *continuam*, *& vtrique parti communem*, neg. conseq. etenim substantia materialis, illam indiuiduationem, quam habet sub quantitate, retinet à mota quantitate, per ordinem ad illam, vnde, sicut guttæ aquæ sub vnica quantitate constituunt vnicum indiuiduum, & sub pluribus quantitatibus sunt plura indiuidua; ita ablata quantitate, per ordinem ad plures quantitates, sunt plura indiuidua, vt vero dicunt per modum radicis ordinem ad vnam quantitatem, constituunt vnicum indiuiduum, possuntque subinde communicare in vna existentia, vel existere pluribus; ea nimirum potentia, qua dum sunt sub quantitate, possunt indifferenter communicare in vnica quantitate, vel existere sub pluribus.

104 *Ad secundam* disting. anteced. partes illæ non sunt infinitæ *in actu*, conced. anteced. *in poten-*

tentia neg.anteced.quælibet enim pars componitur ex alijs in infinitum, cæterum cum numerus, aut multitudo resultet ex diuisione, & partes illæ ratione vnius existentiæ, qua existunt omnes, sint vnum, & non plura in actu, fit consequens ex eis non resultare multitudinem, aut numerum actu infinitum, sed infinitum syncathegorematicè, vel in potentia, vt dicitur ex communi Philosophorum sententia de partibus quantitatis, libr. 8. Physicorum; præsens namque obiectio æque militat contra partes quantitatis, ac contra partes substantiæ pro priori ad quantitatē.

105 *Ad 3.distinguo.* mai. ex partibus, quæ non comparantur ad inuicem, vt potentia, & actus, *si comparentur ad tertium* per modum potentiæ, vel per modum actus non potest fieri vnum per se, neg.mai.si nec inter se comparētur, vt potentia, & actus, *nec ad tertium comparentur* per modum potentiæ; vel per modum actus, neg. mai. etenim partes quantitatis non comparantur ad inuicem vt potentia, & actus, & tamen, quia ipsæ comparantur ab substantiam per modum actus, ex eis fit vnum per se: fit ergo vnum per se ex partibus substantiæ, quia licet vna relate ad alteram non sit potentia, vel actus, omnes per modum vnius subiecti, vel potentiæ comparantur ad vnum actum, scilicet ad existentiam: vel ideo ex eis fit vnum per se, quia licet, vna pars materiæ, nec sit actus, nec potentia respectu alterius, omnes tamen comparantur, vt potentia ad formam, & ad omnes comparatur forma, vt actus.

106. *Obijcies 2.* omnis distinctio actualis prouenit ab aliquo actu: sed in materia prima, ablata quantitate, nullus est actus, qui posit illius partes integraliter distinguere: ergo materia, ablatā quantitate, non habet partes actu distinctas. Maior est Philosophi 7. metaph. textu 49. dicentis: *Actus est, qui distinguit*; & minor est certa, quia in materia prima ex se nullus est actus, cum primus illius actus sit forma.

107 *Respond.* quod omnis distinctio prouenit ab actu, vel ab ordine ad actum, vt patet in materia cœlesti, & sublunari, quæ ex se non habent actum, & tamen ex se distinguuntur specifice, quia ex se dicunt ordinem ad diuersos actus, nempe ad formas, quarū vna est corruptibilis, altera incorruptibilis: distinguuntur ergo integraliter partes materiæ, non per quantitatem, quæ est actus, sed per ordinem ad illam, hoc est, distinguuntur ex se, quia ex se petunt partes quantitatis, quibus possint ordinatè extendi, & existere inconfusè.

108 *Obijcies 3.* Si substantia ex se haberet partes, conueniret illi diffinitio quantitatis, esset enim diuisibilis in partes, quæ diuisæ possent per se existere: consequēs est falsum: ergo, & illud, ex quo sequitur. *Neg.*

109 *Neg. sequel.* Ad probat. distinc. anteced. substantia esset diuisibilis *proximè*, *& naturaliter*, neg. anteced. *remotè*, *& supernaturaliter*, conced. anteced. diffinitio autem quãtitatis intelligenda est de diuisibilitate naturali, & proxima, quæ consistit in solutione continuitatis, hoc est, in separatione partium à termino communi, medio quo erant copulatæ; & hæc diuisibilitas repugnat substantiæ; licet diuisio per absolutam separationem partium ab existentia, cui omnes communicabant, possit ei diuinitus conuenire.

ARTIC. V.

Quotuplex sit quantitas?

110 Diuiditur quantitas in continuam, & discretam: continua est: *Cuius partes copulantur aliquo termino communi.* Vt linea, cuius partes copulantur aliquo indiuisibili, nimirum puncto illas hinc inde afficiente. Discreta est, *cuius partes nullo termino communi copulantur.* Vt numerus, qui constat vnitatibus ordinate se habentibus; sed non copulatis medio termino communi.

111 *Prædicta diuisio* est essentialis; quia essentia quantitatis est extensio partium, & quantitates præfatæ habent distinctam essentialiter extensionem; est præterea generis in species subalternas, quia quælibet ex illis in plures alias species subdiuiditur.

§. I.

Quantitatis continuæ multiplex diuisio.

112 Diuiditur 1. quantitas continua in permanentem, & successiuam: permanens est, *cuius partes simul existunt*, vt magnitudo corporea: successiua: *cuius partes non simul existunt, sed aliæ existunt prius, aliæ posterius*, vt tempus.

113 *Sub diuiditur* quantitas continua permanens in lineam; superficiem, & corpus. *Linea* est longitudo sine latitudine, nec profunditate; *superficies*: latitudo sine profunditate; *corpus*: quantitas trinæ dimensionis, hoc est, longitudinis, latitudinis, & profunditatis. Vnde corpus cum trinam dimensionem includat, includit lineam, & superficiem; superficies vero, quæ duas dimẽsiones, hoc est, longitudinem, & latitudinem includit, includit lineam; linea vero, quæ vnicam dimensionem, nempe longitudinem, importat, simplex est extensio, vtpote longitudo sola, expers latitudinis, & profunditatis.

114 *Si inquiras*, vtrum hæc diuisio sit generis in species? *Respond.* affirm. Ratio est quia illa di-

diuisio est generis in species, in qua membra diuidentia simpliciter participant rationem communem, & differunt essentialiter per intranea illius: sed praesens diuisio est huiusmodi: ergo. *Prob.min.* Quo ad primam partem: communis ratio quantitatis continuae, est extensio partium, & earum vnio, medio termino communi; sed linea, superficies, & corpus vere habent partes extensas, cum non sint indiuisibilia, easque habent vnitas, medio termino communi, nam partes lineae punctis, partes superficiei lineis, partes corporis superficiebus sunt vnitae: ergo.

Quoad secundam vero partem probatur min. Linea, superficies, & corpus differunt penes longitudinem, & latitudinem, & profunditatem; sed longitudo, & latitudo, & profunditas sunt distinctae essentialiter extensiones: ergo differunt essentialiter. *Prob. min.* vbi *continuitas* est distincta, distincta est extensio: sed in linea superficie, & corpore continuitas est distincta, nam continuatiua in eis sunt diuersa: ergo. Vnde, assertionem nostram docent Philosophus 5. metaph. cap. 17. & D.Thom. ibidem.

115 *Si opponas.* Vna species non ordinatur ad componendam aliam, nec includitur in alia: sed linea, & superficies ordinantur ad componendum corpus, & in eo includuntur, corpus enim componitur ex lineis, & superficiebus: ergo praedicta non sunt species quantitatis. *Confirmat.* 1. Corpus ponitur directe sub genere substantiae: ergo non est species quantitatis. *Confirmat.* 2. Cum duo corpora plana se tangunt, superficies vnius penetratur cum superficie alterius, cum vtraque superficies sit in eodem loco ab eadem aëris superficie contenta: sed nulla species quantitatis est penetrabilis: ergo superficies non est species quantitatis.

116 *Resp.* concessa mai. disting. min. Linea, & superficies *vt indiuisibiles* ordinatur ad componendum corpus conced. min. *vt diuisibiles* neg. min. & conseq. Linea est diuisibilis secundum longitudinem, & sub tali ratione est species quantitatis, sub qua tamen non ordinatur ad componendum corpus, sed vt indiuisibilis secundum latitudinem, qua ratione non est species quantitatis, sed quid reductiue pertinens ad genus quātitatis; & idem proportionabiliter dicendum de superficie diuisibili secundum latitudinem, & indiuisibili secundum profunditatem. Corpus similiter solum pro materiali, & praesuppositiue includit longitudinem lineae, & latitudinem superficiei, qua ratione inconueniens non est, quod vna species includat aliam, sicut intra genus quantitatis discretę senarius pro materiali componitur ex ternarijs; formaliter tamen corpus longitudinem, & lati-

ti-

titudinem non dicit, seu solum profunditatem, secundum quam differt a linea, & superficie: & licet longitudo lineæ indigeat corpore, vt phisice existat, non tamen vt sit longitudo, & distincta extensio à latitudine superficiei, & profunditate corporis.

117 *Ad 1. confirm. Resp.* quod corpus aliquando sumitur pro substantia materiali, aliquando pro magnitudine trinæ dimensionis: primo modo ponitur sub genere substantiæ; posteriori modo (& sic de corpore nunc loquimur) est species quantitatis. *Ad 2. confirm. Resp.* quod in eo casu vna superficies tangit secundum se totam alteram superficiem, ea ratione, qua indiuisibilis est secundum profunditatem; qua ratione tamen diuisibilis est secundum latitudinem, aut lateraliter illam non tangit, vna quippè aliam arceret à suo loco.

118 *In quires vlterius*, vtrum locus sit species quantitatis distincta à superficie. *Resp.* negatiue: *tùm* quia Philosophus recensens species quantitatis 5. metaph. cap. 13. loci non meminit. *Tùm* quia locus nihil aliud est, quam vltima superficies corporis continentis locatum: ergo non est species quantitatis à superficie distincta. Prob. conseq. Vbi non est distincta extensio, non est distincta species quantitatis; sed vt superficies contineat locatum, non requiritur extensio distincta ab extensione superficiei: ergo si locus nihil est aliud, quam vltima superficies corporis continentis locatum, nō est species quantitatis distincta à superficie.

119 *Dices*: cur ergo Aristot. in præsenti cap. locum numerat inter species quantitatis. *Resp.* quia in præsenti non agit de quantitate, quoad essentialia, sicut in 5. metaphis. sed de quantitate, vt mensura, & locus formaliter, vt talis, addit supra superficiem, specialem rationem mensuræ, nam superficies secundum se, tantum est mensura intrinseca substantiæ; superficies vero vt locus, cum addat continentiam locati, addit quoque esse mensuram extrinsecam illius.

120 *Quantitas* continua successiua diuiditur in duas species, scilicèt, in motum, & tempus motus est; *actus entis in potentia*; idest via, & tendentia mobilis ab vno termino ad alterum: tempus vero est, *numerus motus secundum prius, & posterius*, idest mensura, qua certificamur de partibus prioribus, & posterioribus motus.

121 *In quires*, an motus, & tempus sint veræ species quantitatis? *Negatiua* sententia est expressa D. Thom. lib. 5. metaph. lect. 15. & ideo asserit non numerari ibi a Philosopho inter species quantitatis: vnde ipsius ratione prob. species quantitatis sunt quātæ, idest, extensæ, & diuisibiles per se, siue ratione sui, non ratio-

ne alterius. Sed motus non est extensus, & diuisibilis ratione sui, sed ratione alterius, scilicet, ratione spatij: ergo non est vera species quantitatis. *Prob.min.* motum esse diuisibilem, & extensum est habere partes priores, & posteriores: sed eas habet ratione spatij: ergo ratione spatij est extensus, & diuisibilis. Prob. min. ideo mobile post derelictum terminum *à quo* non statim adquirit terminum *ad quem*, sed successiue peruenit ad illum, quia post terminum *à quo* non sequitur immediatè terminus *ad quem*; sed interiacet spatium, cui secundum se totum nequit esse simul præsens, & idcirco prius fit illi præsens secundum partes priores; & deindè secundum posteriores: ergo motus habet partes priores, & posteriores ratione spatij.

122 *Confirm.* Motus discretus Angeli est derelictio vnius loci, & adquisitio alterius: & tamen quia ab Angelo exercetur independenter ab spatio intermedio, caret successione: ergo derelictio vnius termini, & adquisitio alterius, in quo consistit motus, non petit per se, sed ratione spatij, successionem.

123 Ex hoc non inferas, quod motus est quantus formaliter per ipsam quantitatem spatij, cum quantitas spatij sit permanens, & continuata punctis; quantitas vero motus sit transiens, & eius continuatiuum sit mutatum esse. *Non inferas* quidem, non enim hoc intendit ratio facta; sed quod extensio successiua, quæ reperitur in motu, accidit motui, qui successiuus ex se, & ratione sui non est, sed dependenter à quantitate permanente spatij, & sic dependet ab eo in ratione communi quantitatis, in ratione scilicèt extensionis; quod sufficit, vt tantum secundum quid, & analogice sit quantus, ac proindè quod non sit vera species quantitatis.

124 *Ex his facilè* conijcitur, quod, idem dicendum sit de tempore, quia tempus nihil est aliud, quam motus primi mobilis, vt mensurat durationes motuum inferiorum, ac proindè nullam habens extensionem distinctam à motu: ergo quemadmodum motus non est species per se quantitatis, nec tempus per se est species quantitatis.

§. II.

De quantitatis discretæ diuisione.

125 Diximus quantitatem discretam esse, cuius partes nullo termino communi copulantur. Duas quantitatis discretæ species Philosophus assignauit, nēpe numerum, & orationem: numerus est *multitudo numerata per vnum*, vt sex homines: numerus, alius dicitur *numerans*, alius, *numeratus*: nume-

merus numerans improprie dicitur numerus, est enim actus, quo intellectus designat partes rei numeratæ: numerus numeratus sunt res ipsæ numeratæ, vt tres homines, sex equi; qui tamen adhuc est duplex, *formalis*, *& materialis*, numerus numeratus formaliter, est ipsa ratio numeri abstracta à materia, vt cum dicimus senarius constat sex vnitatibus; non determinantes, an senarius ille sit hominum, vel equorum: numerus numeratus materialis est numerus contractus ad materiam, vt sex homines, sex equi.

126 *Diuiditur* præterea in trāscendentalē, & prædicamentalem: *transcendentalis* est quæuis multitudo resultans ex quibuscumque vnitatibus, vt sex Angeli decem prædicamenta *prædicamentalis est multitudo resultans ex diuisione continui*.

127 *Oratio*, quæ est altera species quantitatis discretæ: diffinitur: *numerus syllabarum*, *& mensura durationis earum*; idest, est multitudo syllabarum, in qua non solum attenditur, quot sunt, sed quantum vnaquæque duret: est ergo oratio plures syllabæ, quarum aliæ sunt longæ, aliæ breues, vel omnes sunt longæ, aut omnes breues: ita colligitur ex D. Thom. opusc 48. cap. 2. dicente: *Oratio est numerus pertinens ad mensuram durationis syllabarum*.

128 *Pro cuius* diffinitionis intelligentia nota 1. orationem in præsenti non accipi, vt accipitur à Grammatico, Rhetorico, vel Dialectico; sed accipi pro quacūque syllabarum collectione: vnde hæc vox *homines* est oratio, prout oratio accipitur in præsenti. 2. *Nota*, diffinitione superius tradita exponi orationem vocalem, sed quia oratio, quæ est species quantitatis discretæ, comprahendit sub se, non solum, vocalem, sed quoscumque motus aliquibus morulis interruptos, vt plures sonitus tubæ, & plures saltationes, potest vniuersalius diffiniri dicendo, oratio est *numerus motuū, & mensura durationis eorum*; idest, multitudo motuum proprias habentium durationes.

129 *Circa prædictas* species quantitatis inquires primo: *Vtrum numerus prædicamentalis sit vera species quantitatis?*

130 *Resp.* affirmatiuè cum Philosopho, tàm in præsenti, quàm in 5. Metaph. cap. 13. vbi enumerat species quantitatis in ratione extensionis, quibus numerum adiungit, necnon cum D. Thom. ibi lect. 15. & 1 part. quæst. 30. & prob. Numerus quantitatiuus est ens reale completum, & vnum per se: ergo est ponibilis directe in aliquo prædicamento; non alio, quam in prædicamento quantitatis: ergo cum non collocetur in eo, vt genus supræmum, debet in eo con..itui, vt vera species quantitatis: conseq. tenet, nam quodlibet ens reale, per se, & completum

tum continetur sub ente diuiso in decem praedicamenta : ergo debet in aliquo eorum directe collocari.

Antecedens quoad primam partem patet, *tùm*, quia numerus quantitativus est obiectum arithmeticae, quae est scientia realis, tum, quia tres quantitates sunt numerus quantitativus; sed a parte rei dantur tres quantitates : ergo datur à parte rei numerus quãtitativus. *Quoad* 2. vero probatur, quia numerus, v. g. ternarius non ordinatur ex se ad componendum alium. *Quoad* 3. denique partem suadetur, *tùm*, quia obiectum scientiae est ens per se, ens enim per accidens, cum diffiniri non posit, nec demonstrari potest, aut sciri : sed numerus quantitativus est obiectum scientiae, scilicèt arithmeticae : ergo. *Tùm*, quia, quod componitur ex partibus ordinatis, est vnum per se : vnde domus, quae componitur ex partibus ordinatis, est vnum per se, & aceruus lapidum, qui constat ex partibus, quae nullum ordinem habent, non est vnus per se : sed numerus constat partibus ordinatis : ergo numerus est ens per se: *Prob. min.* Numerus constat ex partibus comprehẽsis sub vna, vltra quam non possunt progredi: ergo ex partibus ordinatis.

131 *Confirm.* Quod constat ex partibus, quarum vna determinat reliquas, est vnum per se ; sed numerus est huiusmodi : ergo. *Prob. min.* Vltima vnitas determinat reliquas, nam in numero senario quinque vnitates, quae indifferentes erant, vt numerum senarium, vel denarium componerent, si adveniat altera vnitas, & illa sit vltima, constituunt numerum, non denarium, sed senarium: ergo.

132 *Si opponas* : Ex pluribus entibus in actu completis non fit vnum per se : sed numerus componitur ex pluribus entibus in actu completis, v. g. ternarius hominum ex tribus hominibus: ergo non est ens per se, ac proinde, nec species quantitatis. *Confirm.* 1. Numerus non solum componitur ex vnitatibus, sed ex numeris, v. g. senarius ex duobus ternarijs: sed ternarij sub nulla ratione sunt entia in completa : ergo componitur ex entibus completis, vt completis, & consequẽter non est vnum per se. *Confirm.* 2. Ideò numerus esset ens reale per se, quia dicit plures vnitates, vt determinatas per vltimam : sed à parte rei non datur vltima vnitas, seu non datur vnitas, quae à parte rei sit vltima, cum in ternario, v.g. hominum, non sit à parte rei maior ratio, vt Petrus sit potius vltima vnitas, quam Paulus, aut Franciscus, cum non sit maior ratio, vt numerando incipiamus ab vno, & desinamus in alio, quã è conuerso : ergo vel numerus non est ens reale, vel non est ens per se.

133 *Respond.* concessa mai. disting. min. Numerus componitur ex pluribus entibus completis *in ge-*

genere quantitatis continuæ concedo, min. completis *in proprio genere quantitatis discreta*, nego min. & conseq. Numerus prædicamentalis componitur ex quantitatibus vt diuisis, & discontinuatis, qua ratione quælibet est vnitas indiuisibilis, & quid in completum in genere quantitatis discretæ; quod autē ipsæ in se sint extensæ, & entia completa in linea quantitatis continuæ de materiali se habet ad compositionem numeri; sicut supra diximus, corpus formaliter vt tale componi ex lineis, & superficiebus, vt indiuisibilibus, & si ipsæ in se sint alias diuisibiles. *Hinc* numerus habet suam peculiarem extensionem omnino diuersam, & formaliter independentem à quantitate continua, cum enim numerus resultet ex diuisione continuitatis, addit supra continuitatem plures vnitates per se ordinabiles ad componendum tertium quid ex ipsis, & vltima vnitate vt forma resultans: *Nec obest* quod specialem impenetrabilitatem non addat; hæc enim non est proprietas quantitatis in communi, sed solum quantitatis continuæ. *Hinc* etiam infertur, quod cum Philosophus ait in lib. 10. Metaph. textu 20. quod numerus est plura quanta, accipiendus est de numero pro materiali; formaliter enim est plures vnitates ordinatæ sub vltima.

134 *Ad 1. confirm.* Resp. quod senarius non componitur formaliter ex ternarijs vt talibus, quia vt talia dicunt tres vnitates vt ordinatas sub vltima, velut sub forma, qua ratione nullus numerus ordinatur per se ad compositionem alterius, cum prout sic sit ens cōpletum ad alterius constitutionem minime ordinatum: componitur ergo senarius ex sex vnitatibus, quæ sunt materia duplicis ternarij vt præscindentibus a sui coordinatione sub vltima vnitate.

135 *Ad 2. confirm.* Resp. quod sicut à parte rei datur aliquid necessarium ad viuendum, non quia detur aliquid determinatè, quod sit necessarium ad videndum, sed quia datur aliquid necessarium disiunctim, vel conditionatim, hic scilicèt, vel ille occulus; vel ille determinate, casu quo deficiat alter; ita à parte rei datur vltima vnitas, non quia detur aliquid, quod determinate sit vltima vnitas, sed quia datur aliquid, quod disiunctim, siue conditionate sit vltima vnitas, quia ex illis tribus, vnitatibus aliquam vage sumptam nequit excedere ternarius, sed vna, vel altera debet reliquas concludere, & quælibet, ex suppositione, quod incipiamus numerando ab alijs, erit determinate vltima. *Hinc* vltima formaliter vnitas datur independenter ab intellectu, qui dicitur numerus numerans, vltima vero materialiter, idest, quod hæc vnitas, potius quam alia, sit vltima, dependet ab intellectu numerante.

136 *Inquires 3. Vtrum oratio sit ve-*

vera species quantitatis? Resp. quod oratio est species quantitatis, non tamen specialis, & à cæteris distincta: *prima pars* patet, nam oratio, vt ex eius diffinitione constat, est numerus, est enim plures motus morulis quibusdam interrupti: sed numerus, vt vidimus est vera species quantitatis: ergo.

Quoad secundam vero partem probatur, quia oratio non habet specialem extensionem; ergo non est species quantitatis distincta ab alijs; *Anteced. prob.* Extensio totius non est specialis, aut distincta ab extensione partium, si simul accipiantur: sed partes orationis, simul sumptæ non habent specialem extensionem: ergo nec oratio habet specialem extensionem, prob. min. Partes orationis simul sumptæ sunt motus discreti, siue interrupti; atqui motus discreti non habent specialem extensionem; nam motus secundum se habent extensionem continuam, motus vero, vt discreti, habent extensionem numeri: ergo partes simul sumptæ non habent extensionem specialem distinctã ab extensione numeri, & quantitatis continuæ: non ergo constituit oratio propriam speciem quantitatis à reliquis condistinctam.

137 *Vnde* Philosophus in metaphysica, vbi de quãtitate quoad ipsius essentialia egit, non meminit orationis, nec eam inter quantitatis species numerauit: numerauit tamen eam inter species quantitatis in præsenti; quia hic agebat de quantitate per modum mensuræ, & oratio in ratione mensuræ differt à numero, quia numerus solas mensurat vnitates, oratio vero mensurat durationes vnius cuiusque motus; quare voces istæ *sermonis*, & *temporis* in ratione numeri sunt eiusdem speciei, cum vtraque sit syllabarum ternarius; sunt tamen diuersæ speciei in ratione mensuræ, cum alter *antibachius*, alter pes sit *dactylus*.

§. III.

Proprietates quantitatis, & coordinatio huius prædicamenti.

138 TRes *in præsenti* recenset Arist. proprietates quantitatis: *Prima* est non habere contrarium, vna enim ab eodem subiecto alteram non expellit: *Secunda* non suscipere magis, aut minus, nec enim vnus numerus est magis numerus, quam alter, neque vna linea magis linea, quam altera, licèt sit maior quam altera: potest enim eadem quantitas maiorem suscipere extensionem, sed nequit in eadem parte subiecti esse magis, vel minus extensa: *Tertia* proprietas quantitatis est, quod ab ea res dicantur æquales, vel inæquales, & hoc, ait Arist. esse quantitati maximè proprium, siue proprium quarto modo.

139 *Si opponas* aduersus primã proprietatem: magnum, & parvũ sunt

sunt contraria, & tamen sunt species quantitatis: similiter sursum, & deorsum contrariantur; & tamen sunt quantitates, cum sint species loci.

140 *Resp.* Arist. 1. Quod magnum, & parvum non sunt quantitates, sed relationes, cum nihil dicatur parvum, aut magnum nisi comparatione aliorum. 2. *Resp.* magnum, & parvum non esse cōtraria, quia ab eodem subiecto non se expellunt: adolescens enim est magnus respectu Pygmæi, & parvus respectu Gigantis. Similiter sursum, & deorsum non pertinent ad locum, prout est quantitas, sed prout in voluit *ubi*, quod est distinctum prædicamentum.

141 *Si secundò* opponas, in alijs præter quantitatem inueniūtur æquale, & inæquale, vt in duobus ponderibus, & duobus caloribus eiusdem gradus: ergo tertia proprietas non est maximè propria quantitatis.

142 *Resp.* in alijs præter quantitatem veniri æquale, & inæquale metaphorice, & per imitationem quantitatis, nō propriè: nam æqualia sunt, quæ eadem mensura mensurantur, & mensura propriè in solo genere quantitatis reperitur.

143 *Plures* alias quantitatis proprietates assignat Arist. alijs in locis, vt quod sit diuisibilis, quod sit mensura, quod sit finita, vel infinita, longa, vel breuis, profunda, grauis, leuis, aspera, lenis, densa, rara; in quibus, quia difficultate vacant, non immoramur.

144 *Series* huius prædicamenti facilis ex dictis: in eo quippe genus supremum est quantitas molis, quæ veluti in species subalternas diuiditur in continuam, & discretam: sub *discreta* duæ sunt species numerus, & oratio; sub *numero*, plures species numerales, vt binarius, ternarius; sub *oratione* diuersæ mensuræ motuum, vt in carmine pedes dactylus, & spondæus; in musica toni diapente, & diapason; *sub quantitate continua* sunt tres species infimæ, scilicet, linea, superficies, & corpus, & earum indiuidua, nempe hæc linea, hæc superficies, &c.

ARTIC. VI.

Quid, & quotuplex sit relatio?

145 IDem est in præsenti relatio, ac respectus, ordo, aut tendentia vnius ad alterū; vnde relatiua ab Arist. vocantur *ad aliquid*, siue *ad aliud*, quia non significantur absolute, & ad se, sed comparatiue, & sub habitudine ad aliud, ex quo inferes in quacumque relatione requiri subiectum, fundamentum, & terminū; *subiectum* est, quod denominatur relatum, siue respiciens; *fundamentum*, quod determinat, & coaptat subiectum, vt ad aliud referatur; *terminus* vero est illud extremū, quod ex vi relationis respicit, & ad quod tendit subiectum.

Di-

145 *Diuiditur* 1. relatio in relationem secundum esse, & in relationem secundum dici: *Relatiua secundum esse* (more Arist. qui relatiua diffiniuit in concreto) sunt ea, *quorum totum esse est in ordine ad aliud*: Relatiua secundum dici sunt *res absolutæ, quas consequitur aliquis respectus*: Ita colligitur aperte ex D.Thom. 1. part. quæst. 13. art. 7. ad 1. & quæst. 12. de veritate, art. 6. & alibi sæpè. Quibus in locis docet relatiua secundum esse, dici ea, quæ sunt imposita ad significandas ipsas habitudines relatiuas, vel ad significandas tantum, aut principaliter ipsas relationes: relatiua vero secundum dici esse ea, quæ principaliter significant qualitates, vel aliquid huiusmodi, ad quæ tamen consequuntur relationes; vnde non tàm significant respectum, quàm absolutum cum respectu, siue absolutum respectiue; vt scientia, quæ principaliter significat qualitatem, & ex consequenti relationem, quia qualitatem, in qua scientia consistit, non potest nomen exprimere sine respectu: ergo iux. D.Thom. relatiua secundum dici sunt res absolutæ, ad quas relatio consequitur; relatiua vero secundum esse sunt, non res absolutæ, sed ipsæmet relationes: sed relationes vt contra positæ rebus absolutis, quas consequitur relatio, totum suum esse habent in ordine ad alterum: ergo relatiua secundum esse ex mente D.Thom. sunt ea, quorum totum suum esse est in ordine ad aliud; relatiua vero secundum dici sunt res absolutæ, quas consequitur aliquis respectus.

147 *Secundò* diuiditur relatio in realem, & rationis; illa est ordo vnius ad alterum ante operationem intellectus, vt ordo, vel respectus patris ad filium: illa vero est respectus vnius ad alterum per operationem intellectus vnum ad alterum comparantis, vt respectus generis ad inferiora, & respectus eiusdem ad se ipsum.

148 *Diuiditur* relatio realis in creatam, & increatam, sub increata continentur relationes diuinæ; sub creata cæteræ latio nes. *Relatio* realis creata, alia est prædicamentalis, alia transcendentalis: *prædicamentalis est*, quæ determinatum prædicamentum constituit, & diffinitur: *Respectus realis finitus, cuius totum esse est ad aliud*: Transcendentalis est, quæ diuagatur per plura prædicamenta, & diffiniri potest; *habitudo realis finita ad aliud, non sub ratione puri termini, sed sub ratione causæ, vel mensuræ, vel sub alia simili formalitate.*

149 *Antequam* ad diuidendam relationem prædicamentalem deueniamus, admonendus est primo, diuisionem relationis in relationem secundum esse, & in relationem secundum dici nō coincidere cum diuisione in relationem realem, & rationis; nam quędam relatiua secundum esse sunt relatiua rationis, vt dextrum, & sinistrum in columna, & quædam relatiua secundum dici sunt rela-

tiua

tiua realia, vt scientia, & sensus, quæ important relationes secundum dici, sed reales ad scibile, & sensibile. Vndè prædictæ diuisiones sunt diuisiones immediatæ relationis in communi desumptæ à distinctis principijs: ita D.Thom. quæst. 7. de potentia, artic. 10. ad 11.

150 *Monendus es* secundo: relationem secundum esse nõ coincidere cum relatione prædicamentali; cum relatione tamen transcendentali coincidere relationem secundum dici. *Prima pars* patet; nam relatio prædicamentalis est realis, & creata; at dantur relationes rationis secũdum esse, & relationes increatæ secundum esse, nam in entibus rationis, & in Deo dantur respectus, quorum totum esse est ad aliud, totum quippe esse vniuersalis est respicere inferiora, & totum esse Patris Eterni in quantum talis est ad filium: ergo relatio prædicamentalis, & relatio secundum esse nõ sunt idem. *Secunda vero pars* ex eo constat; quia relatio transcendentalis est, quæ nõ pertinet ad vnum determinatè genus, sed per diuersa genera diuagatur; talis est relatio secundum dici: ergo. *Prob. min.* relatio secundum dici est absolutum respectiuè significatum; sed absolutum respectiuè significatum diuagatur per diuersa genera; inuenitur quippe in omni prædicamento, cum dentur substantiæ quantitates, qualitates, &c. dicentes respectum, vel dependentiæ, vel specificationis, vel mensurationis ad aliquid extrinsecum: ergo.

151 *Tertio* admoneri debes relationem prædicamentalem, & transcendentalem in aliquibus conuenire, & in alijs discriminari: conueniunt *primo* in eo, quod vtraque petit subiectum, fundamentum, & terminum. *Secundo* in eo, quod vtraq; versatur inter extrema realiter distincta, nihil enim ad se ipsum potest realiter, siue transcendentaliter, siue prædicamentaliter, referri.

152 *Discriminantur* vero, *Primo* in eo, quod relatio prædicamentalis est purus respectus, & terminum respicit per modum puri termini, idest, per modum termini, qui præter hoc quod est respici à suo corelatiuo, nullum aliud munus exercet, causæ, effectus, subiecti, formæ, aut similiũ: relatio vero transcendentalis, nec est purus respectus, sed est actio, vnio, repræsentatio, vel aliquid huiusmodi respectiuè significatũ, nec respicit terminum vt purum terminum, sed vt exercet munus causæ, subiecti, mensuræ, vel quid simile: cuius differentiæ ratio satis colligitur ex vtriusque relationis diuisione, nam dum in diffinitione prædicamentalis dicitur, quod totũ illius esse est ad aliud, indicatur, quod relatio prædicamentalis, licèt sit in alio, vel ab alio, in proprio tamen, & peculiari conceptu non exprimit esse in alio, vel ab alio, aut circa aliud,

quod

quod est purè respicere, & ad terminum per modum puri termini, & non aliter, dicere habitudinem: in diffinitione autem relationis transcendentalis non petitur, quod totum illius esse sit ad aliud; vnde nec purè respicit, sed vel dependet, vel repræsentat, vel vnit, nec terminus purè respicitur, sed respicitur, vt causat, & recipit, vel vt specificat.

153 *Discriminantur* secundo, in eo, quod relatio prædicamentalis requirit terminum existentem: relatiua quippè prædicamētalia sunt simul natura, & cognitione; relatio vero transcendentalis terminum sibi coexistentem non requirit: vnde existit scientia de Rosa, quæ relatio transcendentalis est, Rosa non existente: non negamus aliquas relationes transcendentales desiderare terminos coexistentes: intuitio enim petit obiectum præsens, & vnio extrema existentia; id tamen non ex conceptu relationis transcendentalis, sed ex alijs capitibus exposcunt.

154 Pergimus iam ad diuidendas relationes prædicamentales, quas possumus diuidere ratione fundamēti, & ratione comparationis inter extrema: ratione fundamenti primo diuidit eas Philosophus in tria genera relationum: *relationes primi generis* sunt illæ, quæ fundantur super vnitatem, & numerum: per vnitatem intelligitur conformitas, aut conuenientia: per numerum diuersitas, aut disconuenientia: vnde sub hoc genere collocantur relationes similitudinis, & dissimilitudinis, æqualitatis, & inæqualitatis, identitatis, & diuersitatis.

155 *Relationes secundi generis* sunt, quæ fundantur super actionem, & passionem, aut supra potentiam, siue actiuam, siue passiuam determinatas actione, & passione; vt relationes inter Patrem, & Filium, Seruum, & Dominum, Discipulum, & Magistrum. *Relationes tertij generis* sunt quæ fundantur supra mensuram, & mensurabile; quod non intelligitur de mensura quantitatiua, super eam enim potius fundantur relationes primi generis, nempè æqualitas, aut inæqualitas, sed de mensura perfectionis essentialis, hoc est de specificatiuo, à quo perfectio essentialis rei desumitur: vnde comprehenduntur sub hoc genere relationes potentiæ, & habitus ad obiecta, vt sensus ad sensibile, scientiæ ad scibile, necnon relationes exēplati ad exemplar, vt creaturæ ad Deum.

156 *Vbi discernes* inter relationes istas, & earum fundamenta, fundamenta enim specificantur à terminis, hoc est scientia à scibili, sensus à sensibili, ipsæ tamen relationes non specificātur à terminis, sed à fundamento per ordinem ad terminos, vel connotatis terminis, & ratio est; quia specificatiuum est causa, & mensura rei specificatæ, ac per consequens prius illa, terminus autem re-

relationis prædicamentalis non est causa relationis, sed purus terminus, nec est prior, sed simul natura, & cognitione cum illa: non ergo terminus specificat relationem prædicamentalem, sed illam specificat fundamentum, sicut teste Arist. in præsenti, diuersitatem illius causat diuersitas fundamenti.

157 *Ratione* cōparationis inter terminos relationis diuiditur relatio predicamētalis in mutuam, & non mutuam: *mutua* est: cui ex parte termini correspondet alia relatio realis ei relatiue opposita; vt relatio Patris ad Filium, cui ex parte Filij correspondet relatio Filij ad Patrem: *non mutua* est, cui ex parte termini non correspondet alia relatio realis, vt relatio creaturæ ad Deum: nam quamuis creatura referatur realiter ad Deum, Deus non refertur realiter ad creaturam: idemque dices de relationibus tertij generis, vt de relatione scientiæ ad scibile, in qua scientia refertur realiter ad scibile, sed non è contra. Relationes mutuæ versantur inter extrema eiusdem ordinis, hoc est inter extrema, quorum quodlibet potest referri realiter ad alterum; relationes vero non mutuæ versantur inter extrema diuersi ordinis; hoc est inter extrema, quorum vnum propter superioritatem, aut independentiam non potest realiter ad alterum referri. Sub diuiditur relatio mutua in relationem æquiparantiæ, & disquiparantiæ. *Relatio æquiparantiæ* est cui ex parte termini correspondet altera relatio eiusdem denominationis, vt relatio similitudinis, quæ intercedit inter extrema, quorum vtrumque denominatur simile. *Relatio disquiparantiæ* est, cui ex parte termini altera relatio diuersæ denominationis correspondet, vt relatio Paternitatis, quæ versatur inter duos, quorum alter denominatur Pater, alter vero non Pater, sed Filius denominatur. Si vero in vtroque extremo sint relationes, quæ nec sint eiusdem denominationis, nec se mutuo respiciant, erunt relationes disparatæ vt relatio Paternitatis in vno extremo, & relatio similitudinis in altero.

ARTIC. VI.

Vtrum dentur relationes reales prædicamentales, & in quo consistat?

158 Consultò addimus in titulo, prædicamentales, nam relationes secundum dici, siue transcendentales, nec antiqui Philosophi negauerunt. Nec disputamus in præsenti, vtrū dentur relationes reales realiter distinctæ ab entitatibus absolutis pertinentibus ad reliqua prædicamenta; de hoc enim infra erit sermo: sed vtrum dētur relationes reales, hoc est formalitates

 ali-

aliquae relatiuae, & non absolutae distinctae, vel indistinctae ab entitatibus absolutis.

159 *Existimauerunt*. Nominales relationes praedicamentales nihil aliud esse, quam denominationes extrinsecas, vel aliquid rationis, quibus consentire videntur, *tùm* illi, qui praedictas relationes putant consistere quoad esse formale ipsarum in cognitione comparatiua, qua intellectus vnum extremum cognoscit comparatiue ad aliud; *tùm* illi, qui tenent relationem realem nihil aliud esse, quam motiuum sufficiens ex parte rerum, vt intellectus possit vnum alteri comparari, & motiuum istud dicunt, esse aggregatum ex subiecto, fundamento proximo, & termino; consentiunt praeterea Nominalibus ex parte, qui relationes praedicamentales censet esse respectus rationis secundum conceptum differentialem *ad*.

§. I.

Sit prima conclusio.

160. D*Antur* relationes reales praedicamentales: est communis Philosophorum, Theologorum, & SS. Patrum, maximè D. August. tom. 2. epist. 66. & tom. 3. lib. 5. de Trinitate, cap. 5. necnon D. Thom. qui exprofesso impugnat eos, qui dicebant relationem non esse rem naturae, sed aliquid rationis, 1. p. quaest. 13. & alibi saepè. *Et prob.* 1. Relatio Patris ad Filium est praedicamentalis: sed relatio Patris ad Filium increatis est realis: ergo datur relatio realis praedicamentalis. Minor, in qua est difficultas probatur: in diuinis relatio Patris ad Filiũ est realis: ergo increatis relatio Patris ad Filium est realis. Prob. conseq. ideo Patres, & concilia docent, quod Pater Aeternus refertur realiter ad Filium, quia generat Filium, & est principium illius; sed increatis Pater generat Filium, & est principium illius: ergo sicut in diuinis relatio Patris ad Filium est realis, etiam increatis relatio Patris ad Filium est realis.

161 *Si dicas*; relationem Patris ad Filium in diuinis esse trascendentalem, cum sit substantialis, & identificata cum essentia Patris: ac subindè ex illa non probari, quod detur increatis relatio realis praedicamentalis Patris ad Filium.

162. *Contra.* Quia datur in diuinis Pater, qui genuit Filium, & est principium illius; datur relatio Patris, quae est formalitas relatiua virtualiter distincta ab omni formalitate absoluta, cuius proinde totum esse est ad aliud: ergo quia datur increatis Pater, qui generat Filium, & est principium illius, datur increatis relatio Patris, quae est formalitas relatiua distincta ab omni formalitate absoluta, cuius totum esse est ad aliud: sed formali-

stitas respectiua distincta formaliter ab omni formalitate absoluta, cuius totum esse est ad aliud, est relatio prædicamentalis, cum nō diuagetur per omnia, sed speciale prædicamentum constituat: ergo ex quo relatio Patris ad Filium in diuinis sit realis, bene infertur dari in creatis relationem prædicamentalem realē Patris ad Filium.

163 *Prob. 2. conclusio*: nullo intellectu considerante, duæ quantitates eiusdem extensionis sunt æquales: sed æqualitas est relatio prædicamentalis: ergo nullo intellectu considerante datur relatio predicamentalis. Maior est per se nota. Et *min. prob.* res vna constituitur æqualis alteri per habitudinem ad alteram in ratione puri termini: ergo æqualitas est relatio prædicamentalis. Prob. antec. res quælibet potest intelligi, sine eo, per quod non constituitur; & æquale non potest intelligi, sine habitudine ad alterum per modum puri termini: ergo. Prob. min. æquale nequit intelligi absolutè, sed debet intelligi vt alteri æquale: ergo nequit intelligi sine habitudine ad alterum: alias hæc habitudo, cum sit pura respicientia, est ad aliud per modum puri termini: ergo æquale nequit intelligi sine habitudine ad aliud per modum puri termini.

164 *Prob.* 3. Inter partes vniuersi datur ordo realis: sed hic ordo est relatio prædicamentalis: ergo. Mai. est certa, nam, vt ait D. Thom. q. citata de potentia, bonum vniuersi consistit in ordine vnius rei ad aliam, sicut bonum exercitus consistit in ordine partium eius; & min. prob. Ordo partium vniuersi non est formaliter ordo dependentiæ, sed est ordo per modum puri respectus: ergo non est ordo transcendentalis, sed prædicamentalis. Prob. ant. ordo inter partes vniuersi resultat ex eo quod aliæ ab alijs dependent, ex hoc, scilicet, quod aliæ sunt causæ, aliæ vero effectus: ergo perfectus ordo non est formaliter dependentia, sed est præcisè respectus ex dependentia resultans.

165 *Confirm.* Sicut se habet proportio ad quantitates, & harmonia ad voces, ita se habet ordo ad partes vniuersi: at qui proportio non est formaliter quantitates longæ, & breues, sed ordo ex illis resultās, nec harmonia est ipsæmet voces, graues, & accutæ, sed ordo ex illis resultans: ergo nec ordo vniuersi est ipsæmet causæ, & effectus, siue res, prout aliæ pendent ab alijs, sed est respectus ex earum mutua, multiplicique resultans dependentia.

166 *Confirm.* 2. Partium vniuersi dependentia desumitur à distincto principio, ac earum ordo: ergo ordo non est formaliter partium dependentia, sed resultat ex illa. Probatur anteced. dependentia vnius partis ab altera desumitur à propria vtriusque natura nude sumpta; ordo vero vnius ad alteram non desumitur

tur à propria natura præcisè: sed à fine totius vniuersi, ac proinde à naturis partium, vt per aliquid superadditum ordinantur ad finem vniuersi: ergo.

§. II.

Secunda conclusio.

167 RElatio prædicamentalis est realis, etiam secundum conceptum *ad*. Prob. 1. conceptus *ad* est conceptus quasi differentialis relationis prædicamentalis: sed relatio prædicamentalis etiam secundum conceptum differentialem est realis: ergo est realis secundum conceptum *ad*. Prob. min. Conceptus cõmunis, & conceptus differentialis in quacumque re identificantur: sed relatio prædicamentalis secundum conceptum communem accidentis est realis: ergo etiam est realis secundum conceptum specificum relationis.

168 *Secundo* ideo relatio prædicamentalis secundum conceptum communem, nempe secundum conceptum *in*, & vt respicit subiectum, est realis, quia realiter inhæret, & existit in subiecto: sed præfata relatio realiter refertur, & respicit terminum: relatio enim prædicamentalis non per fictionem intellectus, sed ex natura rei ordinatur ad terminum: ergo præfata relatio etiam secundum conceptum differentialem, nempe secundum conceptum *ad*, & vt respicit terminum, est realis.

169 *Prob. 3.* Realis oppositio prouenit à reali formalitate: sed à conceptu *ad* relationis prouenit realis oppositio: ergo conceptus *ad* est formalitas realis. Denique conclusionem nostram tradit expressè D. Thom. quæst. 8. de potentia, artic. 2. in corpor. & ad 12. dicens: *Licet ad aliquid non significetur, vt inhærens, tamen oportet, quod sit inhærens, quando relatio est res aliqua.*

170 *Si opponas* D. Thom. 1. part. quæst. 28. artic. 1. dicentem: *Solum in his, quæ dicuntur ad aliquid, & non in alijs generibus, inueniuntur aliqua secundum rationem tantum, quia alia genera (vt quantitas, & qualitas) secundum propriam rationem significant aliquid alicui inhærens, ea vero, quæ dicuntur ad aliquid, significant secundum propriam rationem solum respectum ad aliud: ergo relatio prædicamentalis* secundum propriam rationem non dicit realitatem.

171 *Respond.* distingu. consequens: ergo relatio prædicamentalis secundum propriam rationem non dicit expressè, & ex modo concipiendi realitatem concedo consequ. non dicit realitatem implicite, & ex parte rei conceptæ, nego consequ. hoc enim est proprium relationis inter cætera prædicamenta, quod in proprio, & differentiali conceptu non explicat ordinem ad subiectum; sed ad terminum, quia in

in proprio conceptu non exprimit inhærentiam, sed respectum, quare cum realitas accidentium desumatur ab existentia eorum in subiecto, relatio in proprio conceptu non explicat realitatem, sed explicat conceptum, qui indifferenter potest inveniri in ente reali, & rationis: cæterum cum relatio prædicamentalis non solum sit respectus ad terminum; sed sit respectus, quo subiectum ex natura rei respicit terminum, & non possit subiectum reddere respiciens ex natura rei terminum, nisi inhæreat illi, fit consequens, relationem in proprio cõceptu implicare inhærentiam, ac subinde expressionem conceptus *Ad* relationis prædicamentalis identificari ex parte rei conceptæ cum eiusdem realitate.

§. III.

Tertia conclusio.

172 **R**Elatio realis prædicamentalis non est extrinseca denominatio desumpta ex rebus absolutis simul sumptis, vel cõexistentibus. Est D.Tho. locis supra relatis, in quibus docet, relationem esse accidens inhærens; & probatur ex dictis. *Primo*: quia res aliquæ per relationem prædicamentalem ex natura sua ordinantur ad alias; sed coexistentia vtriusque entis absolute, non est ordo vnius ex natura sua ad alteram: ergo relatio prædicamentalis non est coexistentia, vel denominatio extrinseca desumpta à rebus absolutis sibi inuicem extrinsece coexistentibus.

173 *Prob.* 2. Si relatio verbi gratia similitudinis inter duo alba, nihil est aliud, quam hoc album, & aliud album huic extrinsecum, vel extrinsecè huic coexistens: ergo relatio non est realis hibitudo, realis ordo, vel realis comparatio vnius ad alterum, nec similitudo realis involuit duo alba, quorum vnum realiter se habeat ad aliud, ordinatur, vel comparatur ad aliud, sed duo alba absoluta, vel per intellectum inuicem cõparata: vnde sententia hæc negat relationes reales cum Auerroe, Auicena, Aureolo, quos cõmuniter referunt Authores pro sententia illas negante, quatenus dixerunt relationes esse denominationes desumptas à rebus absolutis, siue à coexistentia illarum; etenim dari in rebus duo entia, quorum vtrumque sit album, non negarunt relati Philosophi, negauerunt tamen, illa in re esse intrinsece relata: ergo negantes relationem, non negabant coexistētiam vtriusque albi, sed intrinsecum vnius ad alterum ordinem, & respectum: negat ergo relationes reales, qui denominationes relatiuas à sola extremorũ coexistentia putat prouenire,

174 *Prob.* 3. Si effectum realiter referri ad suam causam nihil

est aliud, quam coexistentia effectus, causæ, & actionis productiuę, siue præteritionis illius: ergo pariter causam realiter referri ad effectum, non erit aliquis ordo extrinsecus causæ ad effectum, sed existentia causæ, & effectus, simul cum existentia, vel præteritione actionis productiuæ: ergo nulla est ratio, ob quam Deus nō possit realiter referri ad creaturas, sicut creaturæ realiter referuntur ad Deum, extrinsecam quippè denominationem Deo ex tempore aduenire, nec dedecet, nec repugnat: at iuxta D. Thomam 1.p.quæst.43.art.7.& quæst.28.art.1.&.4.Deus non refertur realiter ex tēpore ad creaturas: ergo relatio non est denominatio extrinseca, sed intrinsecus respectus vnius extremi ad alterum.

175. *Denique* hæc sententia non salvat diffinitionē relationis traditam à Philosopho, nimirum, quod relatiua sunt, quorum totum suum esse est ad aliud siquidem in hac sententia nihil datur in rebus, quod ad aliud se habeat, cum nihil in duobus similibus concedat præter extrema omnino absoluta: ergo ad aliud se habere non est in rebus, sed in intellectu ordinante, & comparante vnum alteri: ergo, nō dantur relationes reales ab Aristot. & Philosophis diffinitæ.

§. IV.

Quarta conclusio.

176. R*Elatio prædicamentalis non consistit in motiuo sufficienti ex parte rerum, vt intellectus vere comparet vnum alteri.* Prob. 1. Datur motiuum sufficiens ex parte Dei, vt illum cognoscamus creatorem, ac subindè, vt illum vere comparemus ad creaturas; & tamen Dei ad creaturas non datur relatio realis: ergo relatio realis non est præcisè motiuum sufficiens ex parte rerum, vt vnum alteri comparemus. 2. Sufficit pro motiuo ad veram comparationem vnius ad alterū, coexistentia duplicis albi, sed vt probatum est, sola coexistentia non est relatio realis: ergo,

177. *Confirm.* vel sola præfata coexistentia est motiuum sufficiens, vt intellectus comparet vnum alteri, vel non est sufficiens motiuum. Si primum, relatio erit saltim inadæquate, & ex parte alterius extremi extrinseca denominatio supra reiecta: si secundum, id quod requiritur præter coexistentiam, ad veram comparationem, solum potest esse respectus: ergo, vel consistit relatio in intrinseco respectu vnius ad alterum, vel non consistit in eo, quod sit motiuum sufficiens ad veram comparationem.

AR-

ARTIC. VII.

Vtrum relatio prædicamentalis distinguatur realiter à suo fundamento?

178 De *relatione* transcendentali res est certa, eam à fundamento proximo non distingui realiter: vnio enim se ipsa respicit extrema, vt vnibilia, & scientia per se ipsam pendet ab obiecto, & ordinatur ad illud.

179 *De prædicamentali* dubitamus modo, vtrum distinguatur realiter à fundamento; vbi nomine distinctionis realis intelligimus distinctionem actualem ante operationem intellectus, siue illa sit entitatiua, siue modalis, de quo infra, nomine vero fundamenti intelligimus, tam subiectū, quod denominatur relatum, quod ab alijs dicitur fundamentum remotum, quam rationem fundandi, quæ à pluribus fundamentum proximum nuncupatur: vnde inquirimus vtrum similitudo v. g. qua Petrus similis est Paulo in albedine, sit ante operationem intellectus distincta à Petro, & ab illius albedine, imo à quouis alio ente absoluto requisito vt Petrus in albedine sit similis Paulo.

§. I.

Relatio prædicamentalis non identificatur cum fundamento, & termino.

180 Ita communiter Thomistæ, quibus adhærent Scotus, Molina, Rubio contra Suarez, Vazquez, Arriaga, Quiros, Izquierdo, & alios, quam plures ex R.R. Conclusio autem prob. ex dictis in præcedenti art. 3. conclus. 3. Nam coniunctum ex fundamento, & termino non est relatio realis: ergo, vel non datur relatio realis prædicamentalis, vel relatio prædicamentalis non identificatur cum fundamento, & termino. *Antec. prob.* relatio realis est, cuius totum esse est ad aliud; hoc est ad terminum: sed terminus non est aliud à coniuncto ex fundamento, & termino: ergo coniunctum illud non est relatio.

181 *Si dicas* non tota relatio, sed relatio inadæquate, sumpta pro fundamēto, est ad aliud, nempe ad terminum, qui est altera pars relationis. Contra 1. totum esse relationis est ad aliud, vt cōstat ex diffinitione: ergo tota relatio est ad aliud: sed terminus non est ad se ipsum: ergo terminus est extra totam relationem. 2. Relatio sumpta inadæquate pro fundamento habet esse realiter ad aliud; hoc est ad terminum: ergo fundamentum vt distinctum à termino respicit realiter termi-

num, & refertur realiter ad illum: sed tota relatio fundamenti ad terminum, v. g. tota similitudo huius albi ad illud, consistit in eo, per quod hoc album respicit illud, seu assimilatur illi: ergo tota relatio, qua hoc album assimilatur alteri, non identificatur cum fundamento, & termino, sed cum neutro, vel cum solo fundamento.

182. *Si secundo* dicas: totum esse coniuncti, vt potentis cognosci comparatiue, esse ad aliud, quia sub illo conceptu nihil aliud exprimitur, quam quomodo se habeat vna pars ad aliam.

183. *Contra*. Esse coniuncti ex duobus albis, vt potentis cognosci, præcedit cognitionem: sed esse illius coniuncti ante operationem intellectus, non est ad aliud: ergo esse illius coniuncti, vt potentis cõparatiue cognosci non est ad aliud. *Prob. min.* esse illius coniuncti complexiue sumpti non est ad aliud adæquate distinctum à coniuncto, vt de se patet, nec esse illius coniuncti complexiue sumpti est ad aliud inadæquate distinctum à coniuncto, nempe ad vnã partem ipsius, siquidem vtrumque album collectiue non refertur ad vnum ex duobus; nec tandem esse coniuncti ratione vtriusque partis diuisiue sumptæ, hoc est quodlibet ex illis albis, est ad aliud ante operationem intellectus, alias per se ipsum esset vnum album simile alteri, & respiciens illud, ac subinde relatio non identificaretur cum vtroque: ergo esse coniuncti ex duobus albis ante operationẽ intellectus nullo modo est ad aliud.

184. *Deinde*, ex duobus albis ante operationem intellectus non est vnum per se; sed relatio prædicamentalis est vnum ens per se: ergo coniunctum illud non est vnum per se. *Prob. antec.* licet intellectus possit adunare duo alba comparando vnum ad alterum, tamen à parte rei, & ex se ipsis illa nullam habent vnionem: ergo coniunctum ex illis ante operationem intellectus non est vnum per se. Patet conseq. quia ex duobus entibus completis nullo modo vnitis, nequit vnum per se resultare. Reliquas probationes vide art. præced. conclus. 3.

§. II.

Relatio prædicamentalis non identificatur adæquate cum fundamento.

185. PRobatur primo conclusio ex Angelico Præceptore pluribus in locis, in quibus illam manifeste videtur tradere, nam 1. part. quæst. 28. artic. 2. ait: *Sicut in creaturis in eo, quod dicitur relatiue, non solum inuenitur respectus ad alterum; sed aliquid absolutum, ita in Deo, sed aliter; nam id, quod inuenitur in creatura, præter id, quod continetur sub significa-*

ratione nominis relatiui, est alia res, in Deo autem non est alia res; id, id, quod inuenitur in creatura præter id, quod continetur sub significatione nominis relatiui est fundamentum proximum, & remotum: ergo fundamentum tam proximum, quam remotum est alia res à significato nominis relatiui, nempe ab ipsa relatione.

186 Deinde quæst. 8. de potent. art. 2. inquit: *Substantia creata non potest identificare sibi relationem, quia est diffinita ad tale genus, in quo differt à substantia Dei, quæ cum infinita sit, & super omnia genera potest alia sibi identificare: sed plurium* relationum prædicamentalium fundamentum est substantia, vt fundamentum identitatis specificæ inter Petrum, & Paulum, & diuersitatis specificæ inter Petrum, & Equum: ergo plures relationes prædicamentales non identificantur cum fundamento. Id ipsum repetit alibi sæpè, 1. sent. dist. 4. q. 1. art. 1. ad 3. & ibi d. 20. q. 1. art. 1. & dist. 21. quæst. 1. artic. 2. & 4. contra g. cap. 14.

187 *Dices*, D. Thom. in his, & in pluribus locis, quæ pro se Thomistæ allegant, docere quidem relationem esse accidens inhærens, & distingui realiter a substantia; ibi tamen loqui de relationibus, quæ mediatè fundantur, in substantia, & illi conueniunt ratione alicuius accidentis absoluti in illa existentis, vt de relatione æqualitatis, quæ fundatur proximè, non in substantia, sed in quātitate, & de relatione paternitatis, quæ conuenit substantiæ ratione alicuius accidentis absoluti, nempe ratione actionis generatiuæ. De his enim verum est, quod ait D. Th. in 2. dist. 33. q. 1. art. 1. & alibi, nimirum, inesse substantiæ, & facere cum ea compositionem accidentis ad subiectum, quia cum quantitas, & actio generatiua sint accidentia, relatio, quæ cum eis identificatur, vere inhæret, & distinguitur à substantia.

188 *Sed hæc* solutio longe distat à mente D. Thom. *primo*, quia clare docet, omnem relationem distingui realiter à substantia: ait enim in 1. distinct. 4. q. 1. art. 1. ad 3. nulla relatio est substantia in creaturis. *Secundo*, quia in eo, quod est distingui à substantia, constituit discrimen inter relationes creatas, & diuinas: ergo comprehendit nomine relationis creatæ eas etiam, quæ immediatè fundantur in substantia. *Tertio*, quia loco citato ex 4. contra g. ait: *Quod in nobis relationes habent esse dependens (quia eorum esse est ad aliud) ab esse substantiæ. Vnde habent proprium modum essendi secundum propriam rationem, sicut in alijs accidentibus contingit.* Vbi relationem ab alijs accidentibus distinguit, & eam, prout ab alijs accidentibus distinctam, docet differre à substantia. *Quarto*, nam S. Doctor loquēs de creatione passiua, quæ est re-

relatio,q.3.de potētia,art.3.ad 3. ait: *Quod illa relatio accidens est, & secundum suum esse considerata, prout inhæret subiecto, posterius est recreata.* Sed creatio passiua, quæ est relatio, immediatè fundatur in substantia: ergo dum docet S.Thom. relationem creatam distingui realiter à substantia, loquitur etiam de relationibus, quæ immediatè fundantur in substantia.

189 *Quinto*, nam 4. contra g. cap.14. inquit: *Relatio realiter substantiæ adueniens postremum, & imperfectissimum esse habet. Postremum quidem, quia non solum præexigit esse substantiæ, sed etiam esse aliorum accidentium, ex quibus causatur relatio*: ergo relationes fundatæ mediatè in substantia, & immediatè in accidentibus distinguuntur, realiter, non solum à substantia, sed etiam ab accidentibus, in quibus fundantur proximè. Denique, nam iuxta D. S. immo iuxta omnes Philosophos dantur relationes prædicamentales non mutuæ: at qui nulla daretur non mutua, si relatio non esset superaddita extremis; sed esset extrema simul sumpta, vel vnum cum connotatione alterius: cum coexistere, vel connotare alterum, commune sit omnibus omnino relatiuis: ergo relatio est respectus realiter superadditus extremis, nempe fundamento, & termino.

190 *Prob.2.conclusio* ratione. Deficiente relatione perseuerat fundamentum: ergo relatio distinguitur realiter à fundamento. Patet conseq. nam ea, quorum vnum perseuerat, altero deficiente, realiter separantur: sed quæ realiter separantur, realiter distinguuntur: ergo si deficiente relatione, perseuerat fundamentum, relatio distinguitur realiter à fundamento. Antecedens vero prob. deficiente relatione similitudinis in albedine inter Petrum, & Paulum, per hoc, quod Paulus reddatur niger potest in Petro perseuerare albedo, quæ erat fundamentum similitudinis: ergo deficiente relatione, perseuerat fundamentum.

191 *Dices.* Deficiente relatione quo ad entitatem, non perseuerat fundamentum, quia entitas vnius, & alterius est eadem; perseuerat tamen fundamentum, deficiente relatione, solum quoad denominationem, quia cum ad denominandum relatum pendeat à termino, quem connotat, ex deficientia solius termini deficit denominatio relati, quin deficiat fundamentum.

192 *Sed contra.* Etsi possit, perseuerare forma quo ad entitatem, deficiente eius effectu secundario, secus tamen deficiente effectu primario: sed exercitium denominandi relatum est effectus primarius relationis: ergo deficiente exercitio eiusmodi denominationis, deficit relatio quo ad entitatem: sed deficiente tali exercitio, non deficit, sed perseuerat iuxta solutionem fundamentum: ergo entitas fundamenti, & relatio-

ionis non est eadem. Mai est euidens, *tùm* quia effectus primarius formæ est ipsi essentialis. *Tùm* quia entitas formæ nequit perseuerare sine aliquo effectu formali, alias existeret, & non existeret, cum effectus formalis sit ipsa forma communicata: sed non communicato effectu primario, nullum potest communicare effectum: ergo nequit entitas formæ existere, deficiente eius effectu primario.

Min. vero prob. relatio quo ad entitatem est formalitas relatiua obiectiue distincta à fundamento: sed formalitati relatiuæ obiectiue distinctæ à fundamento, essentialiter, & primario conuenit exercitium constituendi actu relatum: ergo relationi quo ad entitatē essentialiter conuenit exercitium constituēdi actu relatum. Mai. videtur certa, quia si datur relatio prædicamentalis, quæ sit realis, non consistens in entitatibus absolutis simul sumptis; sed in vero, & reali ordine vnius ad alterum, relatio formaliter non est realitas absoluta, & ad se, sed est realitas respectiua, & ad aliud; sed realitas absoluta, & ad se, & realitas respectiua, & ad aliud sunt formalitates saltim obiectiue distinctæ: ergo relatio quo ad entitatem est formalitas distincta à fundamento, quod est entitas absoluta. Min. vero prob. formalitati relatiuæ ex propria ratione distinctæ ab absoluta, aliquis effectus formalis primarius sibi proprius, & essentialis debet correspondere: sed effectus proprius formalitatis relatiuæ, vt distinguitur ab absoluta, est exercitium constituendi actu relatum, nequit enim aliud assignari: ergo formalitati relatiuæ est essentiale prædictum exercitium.

193. *Explicatur hoc*: eo ipso, quod in homine inueniantur hæ duæ formalitates, *animal*, & *rationale* debet vtrique seorsim assignari aliqua denominatio, siue effectus formalis primarius, proprius, & essentialis. Vnde non solum debet correspondere animali effectus formalis constituendi actu hominem sensitiuum; sed rationali, vt distinguitur ab animali, debet essentialiter correspondere effectus formalis actu constituendi hominem discursiuum: ergo eo ipso, quod in Petro dentur hæ duæ formalitates *albedo*, & *relatio*, debet vtrique correspondere essentialiter propria denominatio, propriusque effectus formalis primarius: ergo non solum debet albedini correspondere effectus formalis constituendi Petrum actu album, sed relationi debet essentialiter correspondere effectus formalis constituendi Petrum actu relatum: ergo deficiente hac denominatione, siue effectu formali, deficit relatio quo ad entitatem: ergo si deficiente prædicta denominatione, perseuerat fundamentum, relatio quo ad entitatem non est formalitas identificata, sed realiter distincta ab illo.

Prob.

194 *Prob.3.conclusio.* Si relatio similitudinis identificaretur cum fundamento, esset relatio transcendẽtalis, & non prædicamentalis, consequens est falsum: ergo, & illud, ex quo sequitur: prob. sequela, quod per omnia prædicamenta diuagatur, & cum omnibus illis identificatur, non constituit speciale prædicamentum, sed transcendit omnia; sed si relatio similitudinis non distinguitur à suo fundamento, diuagatur per omnia prædicamenta, & identificatur cum omnibus, cum similitudo, hoc est, identitas in specie possit fundari in qualibet substantia, & in quolibet accidenti: ergo relatio similitudinis nõ esset prædicamentalis, sed transcendentalis.

195 *Dices.* Illas esse relationes transcendentales, quæ sub proprio conceptu relatiuo considerantur in alijs prædicamentis, vt actio, & duratio; similitudo vero sub proprio conceptu hic solum consideratur, & ideo non est relatio transcendentalis, sed prædicamentalis.

196 *Contra:* vnitas, & veritas sub proprio conceptu non considerantur in alijs prædicamentis, & tamen, quia in omnibus rebus reperiuntur, non considerantur in speciali prædicamento, sed transcendunt omnia: ergo licet similitudo non consideretur in alijs prædicamentis, si tamen in omnibus reperitur, non debet in speciali prædicamento considerari, sed debet reputari formalitas transcendentalis.

§. III.

Diluuntur obiectiones.

197 Obijcies 1. D. Thom. 3. part. quæst. 16. artic. 3. ad 2. dicentem: *Ea, quæ relatiuè dicuntur, possunt alicui subiecto advenire de nouo, absque eius mutatione, sicut homo fit dexter per mutationem illius, qui fit ei sinister.* Idem habet S. D. 5. phisic. lect. 7. necnon D. August. lib. 5. de Trinitat. cap. vltimo, & S. Anselmus in monologio, cap. 25. *Confirm.* ex eodem Ang. Præceptore opusc. 48. tract. 5. cap. 2. vbi *similitudo* (inquit) *fortis non est aliqua res alia ab ipsa albedine, sed solum est ipsa albedo, vt se habet ad albedinem Platonis:* ergo.

198 *Resp.* ex his, quæ docet D. Thom. quæst. 8. de potentia, artic. 2. scilicet relationem in re esse accidens inhærens, ex propria tamen ratione, siue ex modo significandi non inhærere: quia *nihil,* inquit, *probibet aliquid esse inhærens, quod tamen non significatur, vt inhærens, sicut etiam actio non significatur in agente, sed vt ab agente, & tamen constat actionem esse in agente, & similiter licèt ad aliquid non significetur, vt inhærens, tamen oportet, vt sit inhærens;* quod amplius explicuit ibidem, quæst. 7. artic. 9. ad 7. dicens: *Relatio aliud habet in quantum est accidens, aliud in quantum est* re-

elatio; in quantum enim est accidens, habet, quod sit in subiecto, & ita est aliquid inhærens, licèt non ex hoc solo, quod est relatio, sicut actio ex hoc, quod est actio, consideratur, vt ab agente, in quantum vero est accidens, consideratur vt in subiecto agente, & ideo nihil prohibet, quod esse desinat huiusmodi accidens sine mutatione eius, in quo est, quia sua ratio non perficitur prout est in subiecto, sed prout transit in aliud.*

Ex quibus verbis, facilis est solutio argumenti. Relatio enim potest considerari, vt accidens, & vt relatio: vt accidens inhæret subiecto, est alia res ab illo, & per sui aduentum de nouo, mutat subiectum: vt relatio vero, nec inhæret, nec est alia res; imo nec est res, cum conceptus *ad* pro explicito, nec sit realis, nec rationis, nec subiectum, ea adueniente, siue pereunte, mutatur; sicut enim agens, vt agens iuxta Philosophos non mutatur, estò actio inhæreat agenti, non quia actio non sit accidens inhærens agenti (in probabili sententia) sed quia, vt actio, siue secundum conceptum *ab*, & ex modo significandi non inhæret, ita Petrus per hoc præcise, & formaliter, quod de nouo incipiat esse similis alteri, non mutatur, non quia similitudo non sit accidens inhærens Petro, sed quia vt relatio similitudinis, & secundum conceptum *ad*, siue ex modo significandi, non inhæret: non ergo negat Diu. Thom. quod relatio de nouo adueniens realiter immutet subiectum; sed asserit, quod per expressionem *ad*, & sub explicito conceptu relationis illud non immutat, eo quod sub prædicto conceptu subiectũ non respicit; sed tota est ad terminum per quæ patet ad confirmationem.

199 *Obijcies 2.* Ex quo deficiat vnio inter materiam, & formam, per manentibus materia, & forma, non sequitur, quod detur vnio distincta realiter ab extremis; nec ex quo deficiat relatio Patris ad secundum Filium, perseuerante relatione ad primum, sequitur, quod relatio ad secundum sit realiter distincta à relatione ad primum; nec tandem ex quo deficiat hoc, quod est actu fundare relationem, permanente albedine, sequitur, quod actu fundare relationem, sit quid realiter ab albedine distinctum: ergo nec ex eo, quod perseuerante fundamento, relatio deficiat, sequitur, relationem à fundamento realiter esse distinctam; ac proinde ratio conclusionis est nulla.

200 Neg. cõseq. quia omnes illæ denominationes, seu effectus, qui referuntur in antecedẽti sunt secundarij respectu entitatum, quarum sunt effectus; nam exercitium vnionis est effectus secũdarius materiæ, & formæ, quæ per sualmet entitates materiæ, &

& actus, connotata actione agẽtis, redduntur vnitæ: *Similiter* denominatio, seu effectus primarius Paternitatis non est respicere primum, aut secundum determinatè filium, sed filium vage, vndè deficiente secundo filio, solum deficit effectus secundarius relationis præexistentis, qui defectus solum arguit deficientiam relationis quoad illam denominationem, non tamen deficientiam relationis quoad entitatem. *Denique*, actu fundare relationem non est exercitium primarium albedinis, sed secundarium; primarium quippe eius exercitium est reddere album: vnde sicut bene valet. *Deficit in hoc subiecto denominatio albi: ergo deficit in illo entitas albedinis, seu albedo quoad entitatem*; ita valet: *Deficit esse relatum, seu denominari relatum: ergo deficit relatio quoad entitatem, quia talis denominatio est exercitium primarium relationis.*

201 *Si dicas*: Cur sicut ponimus effectum secundarium entitatum materiæ, & formæ exercitium vniendi, quod, vt detur, solum indiget connotato actionis vnitiuæ; & sicut dicitur effectus secundarius albedinis actu fundare relationem similitudinis, quod exercitium fundandi, vt detur, solum indiget connotato alterius albedinis; non dicemus pariter effectum secundarium fundamenti albedinis, v. g. exercitium denominandi formaliter relatum, siue simile, quod, vt detur, solo indigeat connotato termini, alterius nimirum albedinis, sicque defectus exercitij referendi sit defectus exercitij secundarij, qui defectus nullius entitatis deficientiam arguat, sed solius denominationis?

202 *Resp. ex dictis* in prob. conclusionis licere primum, & non licere secundum; quia formalitas relationis debet esse in suo conceptu metaphysico formalitas saltim obiectiue distincta ab omni absoluto, aliàs negatur veræ relationis conceptus; entitas autem absoluta cum connotatione termini non est quid obiectiuè distinctum ab absoluto, cum absolutum non ammittat conceptum talis per connotationem termini, aliquid quippe à re distinctum connotare per omnia entium genera diuagatur, cum tamen relatio sit peculiare genus entis: ergo exercitium referendi nequit esse exercitium secundarium alicuius formalitatis absolutæ, sed debet esse exercitium primarium formalitatis, cuius totum esse sit in ordine ad aliud: *Nunc ergo* assigna, quomodo talis formalitas saluatur entitatiue, deficiente illo exercitio referẽdi sibi essentiali; hoc enim æque difficile est, ac ponere rationalitatem entitatiue existentem sine conceptu constituendi rationale, vel ergo conceptus veræ relationis negatur in re, vel de-

leficit aliqua entitas, aut modus, leficiente denominatione relati. *llia* vero denominationes in argumento relatæ non exigunt orrespondere formalitati obiectiue distinctæ à primaria rei ormalitate, sed eidem obiectiue possunt correspondere, addita olum connotatione alicuius renisiti, eo quod sunt exercitia iusdem generis, consequenter habentia ad effectum primaium.

203 *Obijcies* 3. Similitudo uorum alborum est relatio prçicamentalis; sed hæc non consistit in respectu super addito ips, vt coexistentibus, & albedini: rgo relatio prædicamentalis nō st respectus realiter super additis fundamento, & termino. rob. min. 1. Similitudo duorum lborum consistit in ea forma, er quam vnum album est sicut liud; sed hæc forma non est espectus super additus, sed est uplex albedo se ipsa simul vtrūue subiectum album constiuens: ergo similitudo non consistit in respectu super addito. *rob. min.* 2. Similitudo duorum lborum est formaliter albedo triusque: sed albedo vtriusque on est respectus super additus uobus albis simul sumptis: ergo rædicta similitudo non est resectus super additus duobus alis simul sumptis. Mai. prob. iuxa Arist. 8. metaph. cap. 5. *Similia int quorum qualitas est vna*: sed nitas qualitatis duplicis albi est albedo vtriusque, nam eo ipsi, quod vtraque sit albedo, qualitas vtriusque est vna specie: ergo.

204 *Confirm.* 1. Relatio prædicamentalis diuersitatis inter hominem, & equum est formaliter eorum distinctio; at eorum distinctio nihil inuoluit præter ipsorum entitates, quæ se ipsis distinguuntur: ergo. *Confirm.* 2. Quantitates eiusdem extensionis, extensionem eandem haberent, si Deus impediret resultantiam modi relatiui, quam haberent, si modus resultaret: ergo sine resultantia modi relatiui essent æquales, ac subinde relatæ prædicamentaliter. Patet consequentia, quia quantitates esse æquales, est formaliter illas habere eandem extensionem.

205 *Respond.* Quod duo alba, si nullus eis respectus super addatur, sunt similia fundamentaliter, non formaliter, quia datur in eis fundamentū similitudinis, scilicet duplex albedo; non tamen datur in eis forma, vi cuius vnū sit simile alteri; nam duplex albedo denominat vtrumque subiectum absolute album, vnumquodque autem ex illis *habens se in eo, quod est esse album, sicuti se habet alterum*, non denominat albedo, sed realis habitudo ad alterum, vtrique albedini superaddita: *vndè neg. min.* ad probationem neg. etiam min. nam vnū esse album, sicut est aliud, est denominatio, siue effectus formalis realis respectiuus, si *ly sicut* (vt

(vt supponimus) dicat comparationem nõ intentionalem; sed realem, ac subinde à sola forma realiter respectiua potens præstari.

206 *Ad 2. probationem* neg. mai. ad probationem respond. Philosophum esse intelligendum non in sensu formali, ita vt similitudinem explicuerit per fundamentum; siue causam, ex qua resultat, & non per formam, in qua consistit, sicut etiam diffinitur Pater dicendo Pater est, *qui genuit Filium*: vbi relatio Paternitatis exponitur per generationem, quæ est illius fundamentum, & non respectum prædicamentalem, in quo formaliter consistit Paternitas.

207 *Ad 1. confirmat.* principalis argumenti, neg. mai. quod scilicèt relatio diuersitatis inter hominem, & equum, sit eorum distinctio; nam homo, & equus distinguntur formaliter per formas diuersæ rationis, referuntur vero relatione diuersitatis per habitudinem accidentalem super additam: vndè distinctio non est formaliter relatio diuersitatis, sed fundamentum, & causa relationis diuersitatis; cui solutioni non parum fauet, quod Deus distinguitur realiter à creaturis, nõ tamen refertur relatione reali diuersitatis; non ergo distinctio realis est formaliter relatio realis diuersitatis.

208 *Ad 2. confirm.* neg. consoq. ad probationem respond. Quod duæ quantitates æquales habent à parte rei æqualem extensionem per relationem super additam: habent prætereaper se ipsas eandem extensionem fundamentaliter, non actualiter (non enim datur à parte rei vnitas actualis distincta à numerali) quod si ab eis Deus relationem superadditam auferret, haberent (modo prædicto) eandem extensionem, non tamen haberent æqualitatem, quia æqualitas non consistit formaliter in eo, quod vna sit, v. g. vnius palmi, & altera sit vnius palmi, sed *inhabitudine*, qua, quia ambæ sunt vnius palmi, se mutuo respiciunt.

209 *Instas 1.* Pro priori ad resultantiam relationis superadditæ, quælibet albedo est similis alteri in virtute producendi accidens relatiuum, cum quælibet sit formaliter, & proxime potens producere accidens relatiuum; sed ea similitudo non constituitur per accidens relatiuum, quia nec virtus, nec relatio causæ constituitur per effectus: ergo ea similitudo (eadem de reliquis est ratio) non est albedini superaddita. *Secundo* si Deus ab vtraque albedine tolleret omnem relationem superadditam, vtraque esset similis in eo, quod neutra modum relatiuum haberet; at ea similitudo non esset fundamentalis, sed formalis: ergo similitudo formalis stat sine modo superaddito. *Min. prob.* similitudo

lo fundamentalis est, quæ potest reddi formalis per aduentum relationis superadditæ: at prædicta similitudo non esset huiusmodi; quia per aduentum relationis superadditæ tolleretur similitudo stans in eo, quod neutra sit relatio superaddita; ergo.

210. *Respond.* Quod cum virtus producendi relationem similitudinis in albedine, sit essentia albedinis, similitudo formalis in virtute producendi relationem similitudinis, est ipsa formalis similitudo in albedine, quare sicut ante relationem similitudinis in albedine, duæ albedines in eo, quod albedines, non sunt formaliter similes, ita nec ante eandem relationem similitudinis sunt duæ albedines formaliter similes in virtute fundandi relationes similitudinis. *Nec obstat*, quod formaliter sit quælibet albedo potens fundare, seu producere relationem, nam ex hoc solum sequitur, quod ante relationem est forma constitutiua fundamenti: non tamen sequitur, quod ante relationem sit forma constitutiua similitudinis in virtute producẽdi relationem.

211 *Ad 2. instantiam*, neg. minor, quia relatio realis, qualis est formalis similitudo, nequit esse causa, & fundamentum aliqua negatio: quare albedines diuinitus destitutæ relatione, essent à parte rei similes fundamentaliter, ly *fundamentaliter* sumpto relate ad similitudinem formalem per intellectum, qui inter negationes illas apprehensas admodum entis, posset, comparando vnam alteri, fingere similitudinem; non vero sumpto ly *fundamentaliter* relate ad similitudinem formalem à parte rei existentem: essent ergo albedines illæ à parte rei similes negatiue, id est, non dissimiles; non tamen essent positiue similes; hoc est vere ad inuicem relatæ.

212 *Obijcies* 4. data distinctione relationis à fundamento sequeretur primo, quod producta gratia habituali, produceretur relatio coexistentiæ in omnibus rebus illi coexistentibus: consequens est falsum: ergo. Probo min. quia relatio illa esset intrinsecè supernaturalis, cum enim exigat existentiam termini, connecteretur cum existentia gratiæ intrinsecè supernaturali, quo nihil absurdius. *Secũdo*, sequeretur, quod per hoc, quod quis incipiat in India esse albus, resultet in omni albo existente in Hispania aliqua entitas, quod videtur incredibile.

213 *Respond. neg. mai.* nam per aduentum noui termini purè materialis, & secundarij non resultat noua relatio, sed præexistens relatio extenditur ad illum, eo modo, quo adueniente secundo filio, relatio præexistens ad primum se extendit ad secundum, nulla in entitate relationis mutatione facta, quia ter-

terminus de nouo positus est materialis, & secundarius, cuius defectus, vel existentia minimè immutat relationem: gratia ergo de nouo producta, res naturales coexistent ipsi per eandem relationem, per quam coexistebant inuicem, quia noua existentia gratiæ esset existentia noui termini solum materialis, & secundarij; nec talis relatio de nouo extenderetur ad gratiam, vt formam supernaturalem, sed vt existentem in eadem duratione, purè per accidens se habente respectu relationis coexistentiæ, quod illa forma esset supernaturalis, cum non connecteretur formaliter cum gratia, vt supernaturali, sed vt in eadem duratione existēte, & ideo relatio illa non esset supernaturalis. Et *argumentum* tenentur soluere aduersarij; nam & si relatio coexistentiæ. Sit hæc entitas absoluta, connotato termino in eadem duratione existente, connectitur cum illo: dicant ergo quo modo entitates naturales, vt coexistentes gratiæ connectuntur cum gratia, si hæc est forma supernaturalis?

214 *Ad 2. Resp.* eodem modo, quod alba, quæ sunt in Hispania, per relationem, per quam supponuntur esse inter se similia, sunt etiam similia albo, quod producitur in India, quia illud album est terminus materialis, ad quem sine nouitate entitatiua prior relatio potest extendi, vnde nec sequitur absurdum, quod alij inferunt, nempe producto vno ente, vniuersum esse immutandum, quia non requiritur, quod nouæ in omnibus rebus resultent relationes; sed quod priores nouam denominationē, eamque secundariam communicent subiectis.

§. IV.

Vltimum argumentum diluitur.

215 Denique *obijcies*. Duæ relationes v.g. duæ relationes paternitatis sunt similes inter se absque alia relatione superaddita: ergo duæ albedines erunt inter se similes absque relatione entitati albedinum superaddita: conseq. tenet à paritate rationis, & anteced. prob. quia si duæ relationes paternitatis essent inter se similes per aliam relationem superadditam, rursus relatio superaddita esset dissimilis relationibus paternitatis (cum reuera sit dissimilis) per aliam relationem dissimilitudinis superadditam; & iterum relatio dissimilitudinis superaddita esset similis alteri relationi dissimilitudinis per relationē superadditam, & sic in infinitum: consequens est absurdum: ergo & illud ex quo sequitur.

216 *Hoc argumentum est*, in cuius solutione diuisi sunt AA. nostræ

ſtræ ſententiæ, pluribus negantibus vllam relationem poſſe fundare aliam, alijs concedentibus relationes ſupra alias fundatas. Sed hi vltimi videntur recedere à ſententia Diu. Thom. qui q. .de potentia, artic. 3. ad 2. vniuerſaliter loquens de omni relatione ait: *Nulla relatio refertur alia relatione.* Et 4. contra g. cap. 4. necnon in lib. 3. Phyſic. lect. . litt. C. aſſerit, quod quia relatio habet debiliſsimum eſſe, oportet, quod ſuper aliquod aliud undetur: non ergo ipſa poteſt fundare aliam. Deinde, proceſſus in infinitum relationum non apparet, quomodo poſsit vitari; illum autem concedere, ſatis eſt à veritate extraneum. Et eodem modo negamus exiſtentiam relationis referri ad aliam exiſtentiam eiuſdem ſpeciei per relationem ſuperadditam, quia talis exiſtentia eiuſdem debilitatis eſt, ipſa relatio, cuius eſt exiſtentia, & ſi minus potentialis ſit, quam illa.

217 *Neceſſum* ergo eſt, vt, vel negemus relationes v. g. paternitatis eſſe formaliter ſimiles a parte rei, ſed tantum fundamentaliter, ly *fundamentaliter* relata ad ſimilitudinem formalem, quæ ſit relatio rationis eo modo, quo ſupra num. 130. diximus duas qualitates carentes relatione eſſe fundamentaliter à parte rei ſimiles in carere relatione, relatè ly *fundamentaliter* ad ſimilitudinem formalem, quæ ſit relatio rationis, ſicut enim carentia, quia purum nihil, nequit relationem realem fundare, ita vna relatio, & ſi realis, quia tamen debiliſsimæ entitatis nequit aliam relationem fundare. Nec obeſt, quod Diu. Thomas quæſt. 7. de potentia, artic. 9. ad 1. non ſolum aſſerat, quod relatio non refertur media alia relatione, ſed, & quod refertur per ſe ipſam. *Non ob eſt*, quia hoc ita eſt accipiendum, vt relatio v. g. paternitatis, quæ ſubiectum refert ad filium, ſe ipſa quoque referatur ad eundem terminum, ſicut exiſtentia, vi cuius exiſtit compoſitum, ſe ipſa exiſtit ſine alia exiſtentia ſuperaddita; non tamen accipiendum eſt reſpectu termini diuerſi, ad quem non refert directe ſubiectum, reſpectu ſcilicèt alterius relationis ſibi ſimilis, vel diuerſæ in ordine ad quam directe non conſtituit ſubiectum diuerſum, vel ſimile. Quæ ſolutio eſt valde probabilis, & à nobis vltimo loco breuiter expoſita in priori editione.

218 *Vel poteſt* etiam reſpond. quod relationes v.g. paternitatis, ſe ipſis ſunt à parte rei formaliter ſimiles ſine relatione ſuperaddita, & ſe ipſis ſunt diuerſæ formaliter à qualibet alia relatione diuerſæ rationis, & ſic nec fundant aliam relationem realem, nec expectant relationem rationis, vt dicantur formaliter ſimiles, vel diuerſæ. *Non enim* ſatis percep-

tibile est, quod relatio hæc sit à parte rei, & illa alia sit etiam à parte rei, & vtraque sit forma eiusdem speciei, & quod à parte rei vna non sit formaliter sicut altera, quod est idem, ac esse similem formaliter alteri, sed expectanda sit fictio intellectus, vt sit similis formaliter alteri. *Nec* est idem de carentijs, quæ cum à parte rei non sint nisi negationes, nil mirum, quod ad denominationem positiuam, qualis est denominatio similitudinis, expectent fictionem intellectus. Quam solutionem ibi exprofesso defendimus, & modo magis consonam indicamus Angel. Doctori, qui in loco immediatè citat. ex quæst. 7. de potentia vniuersaliter dixit relationem referri per se ipsam, ex quo statim intulit, *vnde non sequitur processus in infinitum*, si enim relatio paternitatis v.g. solum refertur ad aliam eiusdem speciei per respectum rationis in esse similis: ergo processus in infinitum non vitatur ex hoc, quod relatio refertur per se ipsam, sed ex hoc quod non refertur nisi per relationem rationis.

219 *Sed oppones* 1. Vna albedo non est formaliter similis alteri per se ipsam: ergo nec vna paternitas alteri paternitati. Prob. conseq.. *Tum* à paritate rationis. *Tum*, quia ideo primum est verum, quia deficit denominatio similis, perseuerante fundamento realiter, scilicet albedine, sed perseuerante realiter paternitate, potest deficere similitudo ipsius, deficiente nimirum alia paternitate, cui illa erat similis: ergo vel albedines sunt se ipsis formaliter similes sine relatione superaddita, vel duæ relationes non sunt se ipsis formaliter similes sine relatione superaddita.

220 *Respond. neg. conseq.* Quia forma absoluta, qualis est albedo, nequit habere pro effectu secũdario denominationem propriam formæ relatiuæ, quia nec conceptus veræ relationis saluaretur, vt in superioribus est ostensum; nec ens finitum ad certum genus determinatum, potest secum identificari effectum proprium formæ diuersi adeo generis etiam supremi, qualis est relatio: at intra idem iam genus relationis potest vna relatio alterius effectum proprium secum identificare, & pro secundario habere, dum hic consequenter se habeat ad primum, sicut consequenter se habet; nam sicut entitas albedinis, quæ primario facit album, ex consequenti habet per semetipsam fundare relationem similitudinis ad aliam albedinem, & diuersitatis ad nigredinem, quia hi effectus sunt intra lineam absolutam, & consequuntur ipsam vnitatem specificam albedinis; ita intra lineam relatiuam cõsequenter se habet ad hanc specifice relationem similitudo cũ alia eiusdem rationis, & diuersitas

ab

ab alia alterius speciei. Per quæ constat ad vtramque conseq. probationem.

221 *Instabis* 1. Vt relatio Paternitatis haberet pro effectu secundario similitudinem cum alia Paternitate, debebat respicere vt terminos subordinatos relationem filiationis, ad quam primario refertur, referendo subiectum, & aliam relationem paternitatis: at non sic eos respicit, cum disparate omnino se habeat v. g. respectu paternitatis Petri filius ipsius Petri, & Paternitas Pauli: ergo relatio Paternitatis non habet pro effectu secundario denominationem similis cum alia Paternitate.

222 *Instabis* 2. Nam, & si relatio similitudinis non differat genere supremo relationis à relatione Paternitatis, differt tamen genere intermedio, & ita vt relatio similitudinis fundetur in vnitate, relatio Paternitatis in actione, & sic vna relatio, & si de linea relatiua, non est tamen de linea relatiua alterius, sed est diuersi generis ab altera; sed quia albedo est alterius generis à relatione, nequit relationem identificare: ergo nec relatio Paternitatis relationem similitudinis.

223 *Confirmat* ex eo, quod si paternitas est per se ipsam similis alteri paternitati; & dissimilis alteri relationi diuersæ rationis, v. g. filiationi, erunt admittendæ in Diuinis relationes, reales dissimilitudinis, & diuersitatis distinctæ saltim virtualiter a quatuor illis, nempe, à paternitate, filiatione, spiratione actiua, & spiratione passiua, quas verissimè profitemur: consequens est contra communem sententiam Theologorum 1. part. quæst. 42. art. 1. ergo falsum est id, ex quo sequitur.

224 *Respond. ad* 1. instantiam concessa mai. neg. min. nam, & si illi termini secundum se inspecti disparatè se habeant, secus tamen in ordine ad paternitatem, cuius terminus primarius est filius, & secundarius alia paternitas, quæ etsi sit Pauli, est tamen paternitas, sicut paternitas Petri. *Instoque argumentum*: nam quam subordinationem habent absolutè inter se actio generatiua elicita à Paulo, & Franciscus genitus à Petro? Et nihilominus entitas absoluta actionis generatiuæ elicita à Petro, quæ se ipsa est primariò fundamentum relationis Paternitatis ad Franciscum genitum à Petro, est secundario fundamentum relationis similitudinis ad actionem generatiuam elicitam à Paulo.

225 *Ad* 2. *instantiam. Respond.* Quod sicut eadem entitas habitus Philosophici fundans primario relationem tertij generis ad suum scibile, fundat ex consequenti, & secundariò relationes primi generis, similitudinis scilicèt ad alium habitum Philosophicũ, & diuersitatis ad aliam

 scien-

ſcientiam ſpecie diuerſam, etiam ſi ratio fundandi formaliter vt fundans diuerſas illas relationes ſit diuerſa, vtpotè aqua pendet diuerſitas etiam in genere intermedio, relationum primi, & tertij generis; ita, & ſi relationes paternitatis, & ſimilitudinis, ſint differentes ſpecie, & in genere intermedio, poteſt relatio, quæ primario eſt paternitas, eſſe ſecundario, & ex conſequenti ſimilitudo cum paternitate; quod nequit euenire in forma abſoluta, quæ differt à relatiua genere ſupremo, & cuius identitas cum relatione, vt cum effectu ſecundario, deſtrueret conceptum veræ relationis. *Vnde* in forma diſting. min. quia eſt alterius generis, etiam *ſupremi*, & cuius identitas deſtrueret conceptum veræ relationis, conced. min. quia eſt alterius generis, vt cumque neg. min. & conſeq.

226 *Ad confirm.* neg. ſequela mai. licet enim relationes diuinæ perſemetipſas ſint realiter ſimiles, vel diſsimiles, non tamen propterea cogimur concedere in Deo plures relationes quam quatuor, quia prædictæ denominationes ſimilis, & diſsimilis non ſunt diſtinctæ etiam virtualiter à paternitate, filiatione, & vtraque ſpiratione; ſed ſunt hæ relationes, vt ex conſequenti præſtant alias denominationes: nam diſsimilitudo, qua paternitas eſt filiationi diſsimilis, eſt ipſamet paternitas, quæ primariò, & conſtitutiue reſpicit filium, vt genitum, & ſecundariò, ſiue ex conſequenti reſpicit filiationem, vt relationem alterius rationis ab ipſa paternitate.

227 *Hinc inferes*, quod etiam ipſa exiſtentia relationis refertur media relatione, cuius eſt exiſtētia, nam ſicut exiſtentia relationis eſt exiſtentia ſui, & ipſius relationis, ita relatio exiſtens per illam, eſt relatio ſui, & ipſius exiſtentiæ; quare ſicut relatio vt referatur ad quoſcumque terminos, non indiget relatione ſuperaddita, ita exiſtentia relationis, vt ad quoſcumque terminos referatur, relatione ſuperaddita relationi per eam exiſtenti non eget: Relatio quippè eſt relatio ſui complete ſumptæ, & ſubinde ſui, & ſui complementi, nempe exiſtentiæ.

228 *Inquires*, vtrum diſtinctio realis relationis à ſuo fundamento ſit entitatiua, vel modalis? Reſpond. Eam non eſſe entitatiuam, ſed modalem: *ratio* eſt, quia ea diſtinguuntur entitatiue, quæ mutuo ſeparari poſſunt, ea vero diſtinguuntur modaliter, quæ ſeparari poſſunt non mutuo; ſed ſeparatio relationis à fundamento nequit eſſe mutua, & poteſt eſſe non mutua, quia fundamentum poteſt permanere deficiente relatione, relatio vero deficiente fundamēto nequit perſeuerare: ergo diſtinctio relationis à fundamento non eſt entitatiua, ſed modalis.

ARTIC. VIII.

An omnis relatio prædicamentalis terminetur formaliter ad relatiuum?

229 DIstinguendum est in præsenti, id quod terminat relationem, & id, vi, seu ratione cuius illam terminat: non dubitamus, id quod terminat relationem esse aliquid absolutum, vnde litigium reducitur ad rationem formalem terminandi; sicut, licet id, quod denominatur simile, sit aliquid absolutum, album scilicet, nihilominus tamen supra diximus esse aliquid relatiuum id, ratione cuius est formaliter simile. Et quia supra diuisimus relationes in mutuas, & non mutuas, de vtrisque procedit dubium, quod separatim decidemus.

§. I.

Prima conclusio.

230 R*Elationes mutuæ terminantur formaliter ad relatiuum.* Ita Thomistæ, vno vel altero dempto, contra Scotum, Suarez, Vazquez, Oviedo, Izquierdo, Hurtado, Tellez, Capreolum, & Soto.

231 Et probatur primo ex Angel. Præcept. 1. p. q. 40. art. 2. ad 4. ibi: *Cum dicitur, quod relatiui esse est ad aliud se habere, per ly aliud intelligitur correlatiuum, quod non est prius natura, sed simul natura, & cognitione*, at correlatiuum non est absolutum, sed relatiuum: correlatiuum enim constituitur per relationem: ergo relationis esse est ad relatiuum.

232 *Probatur ratione.* Relationes mutuæ habent inter se oppositionem relatiuam mutuam: ergo terminus formalis vnius relationis est altera relatio. Antecedens videtur certum, nam paternitas opponitur relatiuè filiationi, & filiatio paternitati; non enim sunt Paternitas, & filiatio relationes disparatæ, vt paternitas, & similitudo cum altera paternitate: cōpatiuntur quippè in eodē subiecto paternitas, & similitudo cum alia paternitate; paternitas vero, & filiatio ex proprijs conceptibus, & ratione suæ oppositionis in eodē subiecto non coherent: consequentia vero probatur, nam oppositio relationis est cum suo termino formali, opponi quippè in relatione est respicere: ergo si vna ex relationibus mutuis alteri opponitur relatiue, vna relatio est terminus formalis alterius relationis.

Confirmatur. Sicut se habet respicere in patre, ita se habet respici in filio, sed pater respicit filium, quia generat, ly quia non dicente rationem formalem, sed fundamentum: ergo filius respicitur à patre, quia genitus, ly quia non dicente rationem formalem, sed fundamentum: ergo ratio formalis terminandi in filio non est fundamentum, sed relatio.

233 *Dices primo*. Ex hoc tantum sequi, quod ex parte fundamenti relatio sit ratio formalis opponendi relatiuè fundamentum cum termino, & similiter relatio ex parte termini sit ratio formalis opponendi terminum relatiuè cum fundamento, vna tamen relatio non respicit aliam, aliàs relationes essent *vt quod* oppositæ, & non solum rationes formales, quibus extrema opponerentur.

234 *Sed solutio videtur* sistere in litigio vocis concedens re ipsa quidquid sententia nostra intendit; à principio enim dubij monuimus, quod illud procedit de ratione formali se mutuo relatiuè opponendi, & terminandi extrema, quæ *vt quod* mutuo relatiuè opponuntur: sed solutio videtur fateri, quod relationes sint rationes formales terminandi, & se mutuo relatiuè opponendi extrema, quæ *vt quod* mutuo relatiuè opponuntur: ergo re ipsa concedit quidquid intendimus, & solum restat vocis litigium, an scilicèt relatio dicenda sit quæ *vt quod* opponitur, & respicit.

235 *Confirm*. & explicatur. Oppositio relatiua non consistit præcisè in conceptu referendi, sed in conceptu referendi, & simul etiam terminandi, vt ex se est manifestum: ergo oppositio relatiua mutua consistit in conceptu mutuo referendi, & terminandi: sed iuxta solutionem relatio est ratio formalis se mutuo relatiuè opponendi extrema: ergo relatio est in extremis ratio formalis mutuo referendi, & terminandi: ergo extrema terminant vt constituta per relationem, vt per rationem formalem terminandi. *Tunc sic*: Sed vt constituta per relationem, vt per rationem formalem terminandi, sunt termini formaliter relatiui: ergo in huiusmodi relationibus mutuis terminus formaliter, vt terminus, est relatiuus.

236 *Vrgetur*. Pater, & filius vt pater formaliter, & filius, mutuo relatiuè opponuntur: ergo formaliter vt pater, & filius, se mutuo respiciunt: sed formaliter vt pater, & filius sunt relatiua: ergo formaliter vt relatiua se mutuo respiciunt: ergo quidquid sit, an vna relatio respiciat aliam, in quo sistit solutio, vnum tamen relatiuum, vt relatiuum, respicit aliud relatiuum, vt relatiuum.

237 *Hinc pro litigio* vocis dicimus ex dictis in artic. anteced. quod relatio creata, & si primariò non detur vt sit, & referatur, sed vt subiectum referatur per ipsam, ipsa etiam secundario respicit, & refertur; imò ipsa est forma *qua* primario opposita cum alia, licet non dicatur opponi *vt quod*, ne his vocibus denotetur ipsam esse subiectum oppositionis, est tamen forma *qua* opposita, sicut visus est forma *vt qua* opposita cum cæcitate, & si sit ratione cuius videns opponitur *vt quod* cum cæco.

Di-

238 *Dices 2.* Quod relatio nō solum opponitur cum suo termino formali, sed multo magis cum correlatione se tenente ex parte termini formalis ad fundamentum ipsius: duæ enim relationes, v.g. relatio Petri ad Paulum, & relatio Pauli ad Petrum opponuntur sicut via à Matrito in Cōplutum, & via à Compluto in Matritum, quæ sunt ex diametro oppositæ quin vna respiciat aliā, quia respiciunt terminos ex diametro oppositos, vna scilicèt Matritum, & alia Complutum.

239 *Sed contra est.* Relatiua mutua sunt opposita mutuo relatiuè, oppositione scilicèt de linea relatiua: ergo vtrumque oppositum formaliter vt tale est in linea relatiua. Patet conseq. nam aliàs oppositio inter illa extrema, vel non esset relatiua, vel saltim in linea relatiua non esset oppositio mutua: sed fundamentum sistens in sola linea fundamenti non est de linea relatiua: ergo cum correlatione termini formalis non opponitur fundamentum mutuo relatiuè.

240 *Confirm.* & explicatur, ex impugnatione alterius solutionis. Pater, & Filius, si præcise considerentur, vt generans, & genitum, nō opponūtur formaliter oppositione de linea relatiua; si autem considerares Patrem, vt Patrem, & Filium, solum vt genitum, inuenires fortè oppositionem relatiuam, sed non mutuam, quia tantum ex parte vnius extremi est relatio, si autem vtrumque consideres, vt Patrem formaliter, & vt Filium, tunc inter ipsos inuenies oppositionem relatiuam mutuā: ergo oppositio relatiua mutua solum saluatur, dum extremum vtrumque attenditur formaliter, vt relatiuum: ergo vel relatiua mutua non sunt mutuo opposita relatiue, vel oppositio vnius relationis non est cum fundamento alterius, sed solum cum alia relatione. *Vlterius* relatiua mutua formaliter vt talia opponuntur mutuo relatiue; sed oppositio relatiua consistit in respectu: ergo relatiua mutua formaliter vt talia se mutuo respiciunt, ac proinde vnum relatiuum formaliter vt tale terminat respectum alterius relatiui.

241 *Nec exemplum* pro solutionem adductum suadet oppositum; oppositio enim vnius viæ cum alia non consistit in respectu vnius ad aliam, cum oppositio, & contrarietas motuum sit præcise ratione terminorum, vt ab ipsis motibus distinctorum, vnde calor, & frigus non opponuntur, quia frigefactio, & calefactio opponuntur, sed è conuersò, hæ opponuntur contrariè, quia calor, & frigus opponuntur contrariè; & similiter viæ, seu motus in duo ex diametro opposita loca opponūtur, quia loci tali inter se situatione distantes ex diametro opponuntur; at oppositio relationum est oppositio respectiua, seu quæ in respectu consistit, vnde si est op-

oppositio mutua, consistet in mutuo respectu, à quo si ex parte extremorum præscindas, inuenietur forte in illis incompatibilitas, sed non incompatibilitas relatiua, quę sit mutua.

§. II.

Soluuntur argumenta.

241 OBijcies 1. Relationes mutuæ non terminantur ad relatiuum, quia prædicamentales, nam vt statim dicemus, relationes tertij generis, quæ sunt prædicamentales, terminantur ad absolutum; nec quia mutuæ, siquidem iuxta D. Thomam 3. part. quæst. 35. art. 5. in Christo Domino non datur respectu B. Virginis relatio realis filiationis, qua possit terminare relationem maternitatis: ergo ex nullo capite relationes mutuæ terminantur ad relatiuum.

243 *Resp.* neg. antec. pro secunda parte. Ad prob. resp. quod relatio Maternitatis B. Virginis ex se est mutua, idest, exigit esse mutuam; per acccidens tamen, & ob incapacitatem termini, qui propter sui immutabilitatem incapax est relationis temporalis, non est mutua, ac proinde nec terminata ad relatiuum, sed ad fundamentum relationis, ex quo non sequitur, quod relatio mutua, vt mutua, & secundum essentiam mutuæ, non terminetur semper ad relatiuum, nam essentia mutuæ, vt mutuæ, est essentia proprietatis separabilis diuinitus à Maternitate, sicut essentia risibilitatis est essentia proprietatis separabilis diuinitus ab homine; vnde sicut in casu separationis risibilitatis, male inferres, quod risibilitas non consisteret essentialiter in potestate proxima ad ridendum, quia & si tunc casus detur essentia rationalitatis, quæ est exactiuè risibilitas, non tamen datur essentia risibilitatis; ita in casu argumenti male inferes, quod relatio mutua secundum essentiam mutuæ nō terminetur ad relatiuum, quia & si in eo casu maneat relatio Maternitatis, quæ est exactiuè mutua, essentia tamen mutuæ non manet.

244 *Instas* 1. Maternitas, seu relatio Maternitatis B. Virginis est eiusdem speciei cum alijs relationibus Maternitatis: ergo si terminus formalis illius non est relatio, nec terminus aliarum est relatio. *Instas* 2. Relatio Maternitatis intelligitur in sua specie cōstituta, & si in genito non resultet realis relatio filiationis: ergo intelligitur iam specificè terminata, & si relatio filiationis non resultet: sed non intelligitur terminata ad relatiuum: ergo ad absolutum, ac proinde cum resultat filiatio, vel etiam si resultet (in quo casu est mutua) terminatur ad absolutum.

245 *Resp.* concesso antec. neg. conseq. quia præterquam quod species relationis non sumitur à

termino, sed a fundamento iuxta statim dicenda, esse terminum absolutum, vel relatiuum est quid materiale respectu Maternitatis specificè consideratæ. *Ad 2. instantiam.* Concessis omnibus neg. vltimam conseq. quæ subinfertur. Relatio enim Maternitatis specificè considerata non habet pro termino formali, nec absolutum, nec relatiuum, sed ab vtroque præscindit, nam relatio mutuæ, aut non mutuæ; accidit tali relationi specificè consideratæ, & sic etiam accidit ipsi terminus relatiuus, aut non relatiuus, siue absolutus, vnde nec sequitur, quod vt mutua non terminetur ad relatiuum, nec quod specificè varietur, dum non terminatur ad relatiuum.

246 *Obijcies 2.* iuxta commune proloquiũ Philosophorum *posito fundamento, & termino, statim resultat relatio*: ergo terminus cum fundamento est causa, & prior relatione; sed terminus, vt relatiuus non est prior, sed simul cum relatione: ergo nulla relatio terminatur ad terminum, vt relatiuum.

247 *Respond.* Relationem mutuam resultare posito termino fundamentaliter, non posito termino formaliter, nam terminus fundamentaliter acceptus est entitas absoluta, & prior; at formaliter sumptus est relatiuus, & simul, quare ex præuia positione illius, non illius, resultat relatio mutua.

248 *Instas primo.* Ad resultantiam relationis prærequiritur positio termini, sicut requiritur positio fundamenti; at prærequiritur positio fundamenti formaliter sumpti: ergo & termini sumpti formaliter. *Instas secundo.* Relatio resultat ad positionem eius, à quo specificatur; sed specificatur à termino sumpto formaliter: ergo resultat ex positione illius sumpti formaliter.

249 *Respond.* negando maiorem, si *ly sicut* dicat paritatem in omnibus, nam ad resultantiam relationis mutuæ prærequiruntur, quæ possunt præuenire relationẽ mutuam, & terminus formaliter vt talis, cum debeat esse oppositus relatiuè, non potest præuenire relationem mutuam; sicut potest eam præuenire fundamentum, vt tale, quod non debet esse per se oppositum relatiuè; vnde non oportet, quod sicut prærequiritur ad relationem mutuam fundamentum, formaliter vt tale, terminus formaliter, vt talis, sit etiam prærequisitus.

250 *Ad secundam* instantiam nego minorem, relatio enim non specificatur à termino formaliter sumpto, sed à fundamento, non enim habet esse à termino, sed ad terminum, si enim relatio specificaretur à termino, cum specificatiuum, etiam extrinsecum, sit verè, & propriè causa, hinc fieret, quod iam relatio prędicamentalis, non respiceret terminum, vt purum terminum, quod est contra

tra commune proloquium inter *AA.* agentes de relatione prædicamentali.

251 *Obijcies 3.* Relatio diffinitur per terminum; sed non potest diffiniri per suum correlatiuum: ergo terminus relationis non est ipsius correlatiuum: *prob. min.* 1. Ea, per quæ aliquid diffinitur, sunt illo priora; at correlatiuum non est prius, sed simul cum relatione: ergo terminus relationis non est ipsius correlatiuum. *Prob.* 2. *eadem minor*: Non potest diffiniri relatio per æque ignotum; sed correlatiua, sunt æque ignota, cum sint simul cognitione: ergo non potest vnum per alterum diffiniri. *Prob. 3. min.* Si diffiniretur per correlatiuum, posset relatio ingredi propriam diffinitionem, quia cum iuxta *Arist.* 2. topic. cap. 2. vice partis diffinitionis posit eius diffinitio subrogari, si pater diffiniretur per filium, loco filij posset poni diffinitio filij, nempe *qui est ad patrem*, vbi pater sui diffinitionem intraret; consequens aduersatur regulis diffinitionis: ergo.

252 *Denique* prob. eadem min. Si relatio diffiniretur per suum correlatiuum, vt Pater per Filium, & Filius per Patrem, daretur in diffinitionibus circulus, quem tamen reprobat D. Thom. 1. p. q. 25. art. 2. dicens, Omnipotentiam non esse diffiniendam per posibile relatiuè acceptum, ne detur circulus in manifestatione Omnipotentiæ, & ne eam diffinire dicendo, *Est, quæ potest omnia posibilia*, sit idem, ac dicere: *Deus est Omnipotens, quia potest omnia quæ potest*: ergo.

253 *Respond.* negando min. Relatio enim diffinitur per esse ad aliquid, & esse ad aliquid, non est prius relatione; non ergo diffinientia debent esse priora diffinito. Ad 2. prob. resp. Non posse aliquid diffiniri per diffinitionē, quæ secundum se totam sit æque ignota, ac diffinitum, posse tamen diffiniri per diffinitionem, cuius aliqua pars sit æque ignota, dummodo diffinitio secundum se totam sit notior. *Ad 3. prob. resp.* quod loco partis intrinsecæ diffinitionis potest ingredi diffinitio illius, at correlatiuum est pars extrinseca, quare vice ipsius eius diffinitio nequit ingredi.

254 *Ad vltimam prob. resp.* In diffinitione relatiuorum, maximè si sint relatiua mutua, non esse vitiosum circulum in diffiniendo; quia ex vna parte, cum essentia vnius sit ad aliud, & è conuerso, nequit vnum diffiniri, nisi per aliud, & è conuerso; & ex alia circulus ille non est vniformis (qui semper est vitiosus) sed diformis, quia vnum diffinitur cum aliqua diuersitate per aliud, quatenus vnum in recto diffinitur per alterum in obliquò.

255 *Obijcies* 4. Disimilitudo inter album, & nigrum est relatio mutua, sed hæc non terminatur ad relatiuum: ergo prob. mai. album, vt disimile nigro refertur ad

ad nigrum, vt ipsi albo dissimile, sed nigrum per relationem dissimilitudinis non est dissimile albo, sed per nigredinem; quia cum vtrumque sit dissimile, in relatione dissimilitudinis potius sunt similia: ergo dissimilitudo albi non terminatur ad relatiuum.

256 *Nego min.* ad prob. dist. mai. album, vt dissimile refertur ad nigrum, *vt sibi dissimile in nigredine*, conc. mai. *vt sibi dissimile in dissimilitudine*, neg. mai. & concessa min. neg. conseq. Relatio enim dissimilitudinis ex parte albi terminatur formaliter ad relationem dissimilitudinis ex parte nigri, verum dissimilitudo ex parte nigri, & est dissimilitudo nigri; qua videlicet nigrum est dissimile albo, quod est, eam esse, *vt quo* dissimilem, & est similis in se dissimilitudini albi, quod est, eam esse similem *vt quod*. Refertur ergo album per relationem dissimilitudinis ad relationem dissimilitudinis nigri, *vt quo* consideratam, id est, quatenus constituit nigrum dissimile albo, non ad prædictam relationem, *vt quod* consideratam, id est, ad eam, vt est similis in se dissimilitudini albi, terminus enim *qui* illius relationis est nigrum, constitutum dissimile per propriam relationem dissimilitudinis.

257 *Obijcies* 4. Si omnis relatio mutua terminaretur ad relatiuum, relatio mutua, vt abstrahit ab omni relatione mutua terminaretur ad relatiuum; consequens est impossibile: ergo. Prob. min. quia relationi mutuæ in communi non potest correspondere in suo termino relatio mutua superior, aut inferior, cum relatio, & terminus debeant dici ad conuertentiam, nec relatio mutua æqualis, alias darentur duo genera relationis mutuæ, nec ab omnibus relationibus mutuis abstrahi posset vna ratio communis relationis mutuæ: ergo.

258 *Confirm.* relatio mutua ex suo conceptu communi est ad aliam relationem: ergo in conceptu communi relationis mutuæ includitur distinctio vnius ab alia: ergo vel nequit ab omnibus abstrahi ratio vna communis, aut ex conceptu communi relationis mutuæ, vna non est ad aliam.

259 *Respond.* in primis hoc argumentum debere etiam solui ab oppositæ sententiæ AA. qui licèt negent relationem mutuam ad aliam ex parte termini relationem formaliter terminari, negare tamen non possunt, quod exigat dari in termino aliam relationem; relatio enim mutua, vt mutua, nequit saluari nisi saltim exigat aliam ex parte termini relationem, alias mutua non est; ipsis ergo etiam incumbit explicare, quomodo relatio mutua in communi, & si sub ea comprehendantur omnes relationes mutuę, exigat in termino aliam relationem distinctam à relatione omnes comprehendente. Adest præterea exemplum in conceptu di-

distinctorum realiter communi, & simpliciter participato ab omnibus distinctis realiter vt talibus; quomodo scilicèt, conceptus ille communis distincti realiter omne realiter distinctum comprehendens sit vnus simpliciter conceptus, cum diuersitatem inferiorum videatur includere; & quomodo ex parte termini distinctionis (respectu cuius differt realiter) importetur terminus realiter distinctus, cum omne realiter distinctum sub conceptu communi cõprehendatur.

260 *Quare resp.* disting. mai. Relatio mutua terminaretur, vt abstrahit ab omni relatione mutua, ad relatiuum, terminaretur *signatè*, conced. mai. *exercitè*, sub disting. exercitè *connexiuè* conced. mai. *formalitèr*, neg. mai. Relatio mutua in communi dicit signate id, quod est de essentia relationis mutuæ, respectum scilicèt ad relationem mutuò coopposítam, respectum quidem non exercendum per relationem illam in communi, sed quem ratio illa cõmunis petit mutuò exerceri in relatione qualibet mutua in singulari. *Hinc* dicimus, quod relatio signate concepta correspondens ex parte termini conceptui illi communi relationis mutuæ est ipsi æqualis, imò est eadem relatio mutua in communi ex parte termini apprehensa, quæ vt quod signate concepta in communi nõ gaudet prout ibi reali distinctione à relatione concepta ipsi opposita; vt quo tamen petit, quod quælibet relatio in particulari distinguatur realiter à relatione coopposita. Quod patet ex emplo adducto conceptus communis distincti realiter ab alio, connotat enim aliud ex parte termini ap- prehensum, & si sit in re ipsum, quod sub conceptu communi apprehenditur.

261 *Ad confirm.* resp. concesso anteced. disting. conseq. in conceptu communi includitur distinctio vnius ab alia *in concipi, vel ex parte subiecti, vel ex partè termini,* conced. conseq. *in ratione relationis mutuæ*, neg. conseq. Conceptus ille communis relationis mutuæ solum differt à conceptu relationis prout in cõmuni etiã conceptæ, vt terminantis, penes concipi, vel ex parte subiecti, vel ex parte termini; in ratione tamen essentiali relationis mutuæ non differt, sed conuenit, in exigendo scilicèt, quod quæuis relatio mutua differat in particulari à sibi coopposita relatione; conceptus tamen communis relationis mutuæ est idem essentialiter cum conceptu communi relationis coopposítæ.

§. III.

Resoluitur dubium circa relationes non mutuas.

262 Relationes non mutuæ non terminantur formaliter ad relatiuum, sed ad absolutum. Prob. ex D. Thom. quæst.

quæſt.9.de potent.art. 8. dicente: *Relatiua illa, in quibus non eſt eadem ratio referendi ex vtraque parte, non ſunt ſimul natura, ſed alterum eſt prius naturaliter*: ſed relatio ex parte termini non eſt prior naturaliter relatione ex parte fundamenti: ergo relatiua, in quibus non eſt eadem ratio referendi ex vtraque parte, ſcilicèt, non mutua, non terminantur ad relatiuum.

263 *Prob.* inſuper ratione. Relationes non mutuæ, non terminantur formaliter ad aliam relationem, quæ ſit relatio realis; non terminantur formaliter ad aliam relationem, quæ ſit relatio rationis: ergo non terminantur formaliter ad aliam relationē. Mai. videtur certiſsima, nam ex parte termini non eſt relatio realis: ergo non terminantur ad relationem, quæ ſit relatio realis. Min. vero prob. A parte rei, & nullo intellectu conſiderante, dantur huiuſmodi relationes reales non mutuæ; relatio v.g. B Virginis in ratione Matris ad Chriſtum D. & relatio creaturæ ad Deum, vt ad Dominum, & Creatorem: ergo à parte rei, & nullo intellectu conſiderante, datur terminus formalis talium relationum. Prob. conſeq. implicat, quod detur relatio ſine ſuo termino formali: ergo ſi relationes illæ dantur à parte rei, à parte rei datur terminus formalis illarum. Prob. antec. Implicat dari relationem, quin actu detur reſpectus ad aliud: ergo quin detur illud aliud terminans actu talem reſpectum: ergo quin detur in eo actu id, ratione cuius terminat reſpectum: ſed id, ratione cuius terminat reſpectum, eſt terminus formalis relationis: ergo implicat relatio ſine ſuo termino formali, ac per conſequens, ſi relationes huiuſmodi ſunt à parte rei, & relatio rationis in termino non eſt a parte rei, non terminantur formaliter ad relationem rationis.

264 *Dices*, quod huiuſmodi relationes non mutuæ terminantur ad relationem, ſeu ad relatiuum reale, non intrinſecum, ſed extrinſecum, ad terminum ſcilicèt, vt extrinſecè denominatum à relatione terminata ad ipſum, prout ſic enim eſt, & ſi extrinſecè, in linea relatiua, vnde relatio Maternitatis B. Virginis terminatur ad Chriſtum, vt extrinſecè relatinè denominatum ab ipſa.

265 *Sed contra eſt.* Relatio realis ex ſuo conceptu eſt ad aliud realiter: ergo implicat, quod eius terminus formalis non differat realiter ab ipſa: ſed denominatio extrinſeca ab ipſa proueniens non differt realiter ab ipſa, vt per ſe eſt manifeſtum: ergo denominatio extrinſeca ab ipſa proueniens non eſt terminus formalis illius. *Nec dicas*, quod etſi terminus formalis ipſius non differat ab ipſa, differt tamē ab ipſa terminus, qui ipſam terminat, terminus ſcilicèt conſtitutus per extrinſecam denominationem prouenientē ab ipſa. Nam

266 *Nam contra stat* impugnatio præcedēs. Terminus formalis relationis per se primo terminat relationem, cum terminus per ipsam constitutus terminet ratione ipsius: ergo vel relatio ex suo conceptu quidditatiuo non est *ad aliud*, vel terminus formalis relationis realis debet esse distinctus realiter ab ipsa. Prob. conseq. per ly *ad aliud* intelligitur correlatiuum formaliter, vt correlatiuum, vt ipsi AA. oppositi intendunt: sed si terminus formalis non est realiter distinctus, correlatiuum vt correlatiuum non est realiter distinctum, & si illud, quod est correlatiuum, sit realiter distinctum: ergo si terminus formalis per se primò terminat, vel relatio non est ex suo concepceptu quidditatiuo ad aliud, vel terminus formalis relationis realis debet esse realiter distinctus ab ipsa.

267 *Confirm.* Et explicatur cōtra Thomistas oppositum sentientes. Ratio formalis referendi subiectum ad terminum, v. g. ratio formalis referendi scientiam nostram (quæ refertur relatione non mutua tertij generis) ad suum scibile, est realiter distincta à scientia, quæ refertur per ipsam: ergo ratio formalis terminandi in scibili est realiter distincta à relatione scientiæ terminata ad ipsum. Antec. est certum, cum Thomistæ in hac parte oppositum sentientes distinguant realiter relationem prædicamentalem à subiecto, & fundamento, & conseq. prob. Oppositio realis relationis, vi cuius est *ad aliud*, magis est cum termino, qui ipsam terminat, quam cum subiecto, aut fundamento, quod refertur per ipsam, imò cum hoc non explicat oppositionem, sed cum solo termino, indeque relatio in Diuinis, retenta identitate cum eo, quod refertur, differt realiter nihilominus à termino sibi cooppposito: ergo si hoc non obstante, ratio formalis referendi scientiam est realiter distincta à scientia, cum qua non opponitur, ratio formalis terminandi in scibili debet esse realiter distincta à relatione terminata ad scibile, cum qua opponitur formaliter.

268 *Cōtra 2.* Res quælibet terminat relationē ratione illius formę, vi cuius recipit denominationē extrinsecam respecti: sed hanc denominationē extrinsecam respecti, recipit res per se ipsā, & non per formam extrinsecam: ergo per se ipsam, & non per extrinsecam relationem res quælibet terminat relationem. Mai. est clara, nam res quælibet refertur ad terminum per formam, vi cuius actiuè communicat termino denominationem: ergo à simili res quælibet terminat relationem per formam, vi cuius recipit passiuè denominationem. Min. vero prob. Ratio formalis recipiēdi effectum formæ, siue intrinsecum, siue extrinsecum, non est ipsa forma, sed capacitas subiecti: ergo

go prædictam denominationem, quæ est effectus formalis extrinsecus relationis, recipit terminus per se ipsum, & non per relationem.

269 *Confirmatur.* Vel relatio Maternitatis B. Virginis terminatur ad genitum, vt denominatam ab ipsa, ly *vt* dicente prædicatum extrinsecum ibi exercitum, vel dicente rationem formalem, vi cuius terminus terminat formaliter; si primum, non est ad rem dubij, secundum vero est omnino falsum: ergo solutio ex omni capite est nulla. Min. quoad 1. partem est euidens. Nam sic intellecta doctrina solutionis, nec in vtrum est vertibilis; quælibet enim actio, vel habitudo terminatur ad aliud, quod in ipsa terminatione denominatur extrinsecè tale ab actione, vel habitudine, hoc enim nil aliud est, quã quod relatio terminetur ad absolutum, quod habet concomitanter eam denominationem, quo quid verius; cum impossibile sit, quod terminetur actio, aut habitudo, & ibi non sit concomitanter extrinsecã denominatio. Quoad 2. vero partem prob. ratio formalis terminandi signatè attingitur ab habitudine, cum terminus habitudinis non aliter sit terminus formalis illius, quàm vt constitutus per illam: sed relatio nullo modo signatè tali est via, habitudo, aut relatio, ad se ipsam: ergo nullo modo fertur signatè in denominationem ab ipsa relatione indistinctam. Quod exẽplo cuiusvis actionis ad aliud terminatæ fit manifestius, nec enim denominatio intellecti, est id, vi cuius obiectum terminat intellectionem, nec vi denominationis extrinsecæ voliti terminat aliqua res volitionem.

270 *Vrgetur.* Relatio non denominat formaliter terminum extrinsecè relatum mutuò ad ipsam, conceptus enim referendi in relatione, seu conceptus *ad* nulli extrinseco est communicabilis, qua ratione dixit D. Thomas 2. contra gent. cap. 13. dicentem: *A relatione verò non inuenitur aliquid denominari, quasi exterius existente, sed inhærente:* sed vlterius non denominat ipsum terminantem, hæc enim denominatio nequit prouenire à forma, quæ terminatur, & non terminat: ergo nulla prouenit denominatio in termino à relatione, vi cuius terminet relationem.

271 *Obijcies* 1. D. Thomam 1. p. q. 40. art. 2. ad 4. dicentem, cum dicitur, quod esse relatiui est ad aliud se habere, per ly ad aliud intelligitur correlatiuum, quod non est prius, sed simul natura; sed omne relatiuum est ad aliud: ergo omne relatiuum est ad correlatiuum, ac proinde nullum est ad absolutum.

272 *Respond.* ex ipso D. Thoma adducto supra in prob. conclusionis, quod per ly *aliud* intelligitur correlatiuum in relatiuis mutuis, in quibus solis est eadem

ratio referendi ex parte vtriusque extremi: in quo non hunc sensum intendimus, quod sit relatiuum mutuum æquiparantiæ, & non disquiparantiæ, in quibus relatiuis ratio referendi est eadem; sed generaliter de omnibus relatiuis mutuis intelligendum esse D. Thomam asserimus; in omnibus enim illis est eadem ratio, ex parte vtriusque, vt vnum ad alterum inuicem referatur.

273 *Obijcies* 2. Deus per id à parte rei terminat formaliter relationem creaturæ, per quod realiter est Dominus; sed est Dominus realiter per denominationem extrinsecã à relatione, quę est in creatura: ergo per eam terminat relationem creaturæ. Prob. min. *Tùm*, quia esse Dominum realiter est quid reale relatiuum in Deo; non intrinsecum: ergo extrinsecum. *Tùm*, quia D. Thomas 1. p. q. 13. artic. 7. asserit expressè, quod Deus dicitur relatiuè ad creaturam quia creatura refertur ad ipsum.

274 *Confirm.* Ratio terminandi ex parte Dei relationem seruitutis creaturæ non est Deitas præcisè, sed dominium; at dominium, vt distinctum à Deitate non est quid intrinsecum Deo: ergo.

275 *Disting. mai.* Per id terminat relationem creaturæ Deus, per quod est Dominus, *formaliter*, neg. mai. per quod est Dominus, *fundamentaliter*. conced. mai. sicut paries non terminat visionẽ per id, per quod est visus formaliter, sed per id per quod est visus fundamentaliter, hoc est, non per ipsam visionem, sed per colorem: nec fauet contrarijs authoritas D. Thom. dicentis Deum referri ad creaturas, quia creaturæ referuntur ad Deum: ibi enim loquitur de relatione rationis ex parte Dei, cuius occasio, aut fundamentum est realatio creaturæ ad Deum, nam Deum referri realiter ad creaturas intrinsecè, aut extrinsecè, contrarij non concedunt.

276 *Ad confirm. respond.* Quod ratio terminandi ex parte Dei prædictam relationem, nec est Deitas præcisè, nec dominium formaliter, sed illius fundamentum nẽpe potestas coerciua Dei, vt docet, D. Thom. quæst. 7. de potent. cit.

277 *Obijcies* 3. Terminus relationis prædicamentalis est purus terminus; at Deus secundum suã entitatem absolutam non est purus terminus, sed causa creaturæ, nec scibile secundum suum esse absolutum, est purus terminus, sed mensura, & specificatiuum scientiæ: ergo relationes creaturæ ad Deum, & scientiæ ad scibile, quæ sunt non mutuæ, non terminantur ad absolutum, sed ad relatiuum.

278 *Resp.* Quod Deus (& idem dic de scibili respectu sciẽtiæ) nedum dicit relationem prædicamentalem, sed etiam aliam transcendẽtalem ad creaturam, prædicamentalem quidem secundum quod

quod inspicitur ab ipsa vt purus terminus, transcendentalem autem, prout respicitur ab ea per modum causæ, à qua dependet.

279 *Obijcies* 4. Inter relationem, & illius terminum formalem datur oppositio relatiua: ergo in vtroque extremo debet reperiri ratio oppositionis relatiuæ; sed ratio oppositionis relatiuæ est relatio: ergo debet ex parte vtriusque extremi dari relatio, ac subinde nullum est absolutum.

280 *Confirm.* Non datur oppositio contraria nisi inter contraria, nec contradictoria nisi inter contradictoria: ergo nec relatiua nisi inter inter relatiua.

281 *Resp.* concessa prima cōseq. disting. min. sub sumptam; sed ratio oppositionis relatiuæ, *ex parte alterius extremi* est relatio, conced. min. *ex parte vtriusque*, neg. min. quia oppositio relatiua adæquatè sumpta non consistit in eo, quod duo se mutuo respiciant, sed in eo, quod vnum respiciat, & alterum respiciatur, quare oppositio relatiua in adæquatè, & ex parte vnius extremi est relatio, & inadæquatè, & ex parte alterius non est relatio, sed terminus relationis: potest ergo terminus relationis, sine relatione ex parte sui opponi relatiuè, quia licèt non sit relatio, terminat relationem.

282 *Ad confirm.* neg. conseq. Quia oppositio cōtradictoria debet esse inter ens, & non ens, & hæc etiam inuicem sibi contradicunt, oppositio vero contraria debet esse inter ens, & ens quæ sub eodem genere ab eodem subiecto mutuo se expellant, & hæc etiam mutuo sibi contrariantur. Oppositio verò relatiua est inter relationem, & terminum, prouenitque ab eo, quod vnum respiciat, & alterum respiciatur, ex hoc enim præcisè; & omni alio secluso oritur incompossibilitas vnius cū altero; at respici non est conceptus relatiuus determinatè quare stat oppositio relatiua, quin sit inter relatiua.

283 *Denique obijcies*. Relatiua sunt simul cognitione iuxta Arist. hic: sed si relatio terminaretur ad absolutum, non essent simul cognitione, quia ad cognoscendum relationem sufficeret cognoscere absolutum termini: ergo.

284 *Resp.* Quod relatio est simul cognitione cum termino, quia non potest intelligi sine termino, terminus autem est simul ex nostro modo cōcipiendi cum relatione, quia videlicèt non possumus, vt ait D. Thom. concipere terminum relationis, nisi sub opposita habitudine ad illam, non quia in re sit relatiuus, sed quia sine relatione, quam terminat non potest existere.

§. IV.

Colliguntur ex dictis proprietates relatiuorum, & arbor huius prædicamenti.

285 QVatuor *relatiuorum* proprietates enume-

merauit Aristot. in hoc cap. *Prima est habere contrarium*, sed hanc ex aliena sententia designauit, competitque relatiuis duntaxat secundum dici, vt, vitio, & virtuti, sciẽtiæ, & errori; ex propria vero sententia oppositum in cap. de quātitate docuit, asserens relationi nihil esse contrarium, & merito; contraria enim dicunt ordinem ad subiectum, ad quod relatio non respicit, est enim solum ad terminum.

286 *Secundo est recipere magis, & minus*, hæc etiam proprietas non traditur ab ipso ex propria sententia, vt fatetur ipse, & solum conuenit relationi ratione fundamenti, quando in qualitate fundatur.

287 *Tertia est dici ad conuertentiam* hoc est quod relatiuum, vt tale, per habitudinem ad aliud exprimatur, & vice versa, vt si est pater, est pater filij, si est filius, est sui patris.

288 *Quarta demùm* proprietas, quarto modo conueniens relatiuis est, quod sint simul natura, & cognitione, esse simul natura est, quod vnum formaliter, vt tale non sit causa alterius, sed mutuo se inferant; esse simul cognitione est vnum sine ordine ad aliud intelligi non posse.

189 *Arbor* huius prædicamenti sic se habet. Relatio realis secũdùm esse alia est fundata in vnitate, & numero, alia in actione, & passione, alia in mensura, & mensurabili, sub primo membro relationes æqualitatis, & inæqualitatis, similitudinis, & dissimilitudinis, conuenientiæ, & diuersitatis, atque proportionis continentur. *Sub secundo* relationes causæ, & effectus agentis, & passi, actionis, & effectus, motus, & termini. *Sub tertio* relationes potentiæ, & habitus, actusque ad obiectum, & exemplati ad exemplar comprehenduntur; quarum quæuis pro diuersitate potentiæ, & exemplaris in varias species potest subdiuidi.

QVÆSTIO IX.

De reliquis prædicamentis, & de post prædicamentis.

1 Licèt circa reliqua prædicamenta non nullæ difficultates occurrant diligenti examine dignæ, tamen ferè omnes solent exagitari in metaphisica, vel in libris de Anima, quare in præsenti, sat erit prælibare, quæ ad discernendum sigillatim decem prædicamenta sufficiant, quod sanè præstabimus, si solita methodo vniuscuiusque naturã, species, & proprietates succinctè percurramus.

§. I.
Diffinitur qualitas.

2 Difficultas in diffinienda qualitate oritur, tũ ex eo quod genera suprema, cũ simplicissima sint, nequeunt proprie

prie diffiniri, *tùm*, eo quod qualitas, cum sit accidēs absolutum, & non sit per se sensibile, nobis, nec actum, nec connotatum exhibet, per quod illam possimus explicare.

3 Eam nihilominus diffiniuit Arist. dicens; *qualitas est, qua quales esse dicimur*: placet diffinitio communiter Philosophis, exceptis aliquibus recentioribus, qui eam multipliciter carpunt. *Primo*, quia exponit ignotum per æque ignotum; *sed negamus* antecedens, quia *quale* notius est nobis, quam qualitas, concretum enim, siue compositum notius est abstracto, aut forma, vt dicitur 7. metaph. cap. 1. vnde notior est nobis sapiens, aut iustus, quem ex operibus deprehendimus, quam ipsa sapientia, & iustitia, quam sola mente assequimur.

4 Secundo eam despiciunt, quia cum postea diffiniat Arist. *quale* dicendo, *qualia sunt, quæ denominatiue ab his dicũtur*, nimirum à qualitatibus, committit circulũ, qualitatem per quale, & quale per qualitatem diffiniens. Resp. quod non commisit circulum, quia quale diffiniuit per qualitatem, postquam, præmissa explicatione specierum qualitatis, qualitatem ipsam reddidit notiorem; diffiniuit ergo qualitatem ignotam per effectum formalem eius, quoad nos magis notum, nempe per cōcretum: ipsum vero *quale*, seu cōcretum diffiniuit per qualitatem, quæ est notior natura, & diuisione in suas species reddita est notior. Licet autem sine circulo vitioso explicare notiora natura per notiora nobis, & iterum notiora nobis per notiora natura.

5 Illam tertio reijciunt, quia pari ratione posset quantitas diffiniri, *qua quanti dicimur*: & actio; *qua agentes dicimur*: sed *negatur* paritas, quia cætera prædicamenta sunt per se sensibilia, vt quantitas, aut dicunt ordinem ad aliquid extrinsecum, quod ad earũ cognitionem iuuare possit, vt actio tota qualitas vero, nec est per se sensibilis, nec extrinsecum ex propria actione respicit.

6 Alias diffinitiones qualitatis minus aptas afferunt aliqui recentiores, quarum vna est: *accidēs capax intensionis, aut remissionis ratione sui*. Sed reijcitur, quia nec conuenit figuræ, nec potentiæ, & impotentiæ naturali, quæ intendi non possunt, nec remitti.

7 Altera est: *accidens complens perfectionem substantiæ in existendo, aut operando*. Reijcitur pariter, *tùm* quia vitium est qualitas, & non perficit; *tùm*, quia lux aëris, est qualitas, & perfectionem aëris, nec in existendo, nec in operando complet.

8 Alij diffiniunt qualitatem *per accidens absolutum distinctum à quantitate*. Sed minus recte, quia non inquirimus, quid non sit qualitas, sed quid sit.

§. II.

Quot sunt species qualitatis?

9 DIuidit Philosophus qualitatem in hoc, cap.in quatuor species, quæ sunt genera subalterna; ea sunt, habitus, & dispositio, potentia, & impotentia, passio, & passibilis qualitas, forma,& figura.

10 Huius diuisionis sufficientiam colligit,ita D.Thom.1.2.q.49.art. 2. qualitas est modus,siue dispositio substantiæ; at his quatuor modis,& non pluribus, potest disponi substantia:ergo.Prob. min.solum potest disponi, vel in ordine ad naturam, vel secundum actionem,& passionem, vel secundum quantitatem; sed in ordine ad naturam subiecti disponitur per habitum, & dispositionem; quæ est prima species; secundum actionem, vel passionem,ex parte principij actionis, vel passionis, disponitur substantia per naturalem potentiam, vel impotentiam, quæ est secunda species, ex parte vero termini per passionem;& passibilem qualitatem,quæ est tertia species,tandem secundum quantitatem disponitur substantia per formam, & figuram, quæ est quarta species: ergo.

11 *Obijcies* 1.Scientia est habitus,ac subindè in prima specie; & tamen est principium actionis, cum sit actiuus: calor est in tertia specie,& est principium calefactionis: figura est in quarta, & est actiua;nam accuta scindit,rotunda iubat ad motum:ergo principium actionis non constituit secundam speciem.

12 *Secundo*. Omnis qualitas est terminus actionis, cum omnis producatur primario, aut secundario:ergo terminus actionis non constituit tertiam speciem.3. esse conueniens, aut disconueniens naturæ, conuenit potentiæ naturali,quæ bene afficit suum principium, calori, qui conueniens est igni, dulcedini, quæ bene afficit saccarum, rotunditati, quæ conueniens est terræ: ergo non conuenit soli habitui, & dispositioni.

13 *Resp.* Quod qualitates ponuntur in determinata specie, ratione illius, quod per se primo consideratur in eis; v. g. vitium, & est principium actus vitiosi, & est dispositio praua naturæ rationalis, sed quia in eo per se primo consideratur, quod sit praua dispositio, collocatur in prima specie potius,quam in secunda: vnde licèt scientia, calor, & figura habeant actiuitatem, non ponuntur in secunda specie,quia actiuitas non est,quod primo in eis cōsideratur;nec ponitur omnis qualitas in tertia specie,quia non in omni per se primo consideratur esse terminum actionis. Denique non collocantur in prima, potentia, calor, dulcedo, & figura, quia nec in illis conuenien-

nientia ad naturam est, quæ primo consideratur.

§. III.

De habitu, & dispositione.

14 Prima species qualitatis est qualitas, qua subiectum se habet, & afficitur conuenienter, vel disconuenienter ad propriam naturam. Diuiditur in habitum, & dispositionem: habitus in præsenti non accipitur, vt est participium deriuatum *ab habendo*, qua ratione significat rem habitam, nec vt est nomen significans, indumentum, aut quamcumque rei dispositionem, per quam aliquis dicitur hoc, vel illo modo se habere, sed vt est nomen significans id, quo res bene, vel male se habet in ordine ad se, vel in ordine ad aliud, talis est pulchritudo, per quam res in ordine ad se bene se habet, & scientia, per quam bene se habet in ordine ad operationem: scientia quippè non respicit operationem absolutè, hoc enim est proprium potentiæ naturalis, sed operationem rectam, & conuenientem naturæ scientis. *Habitus* ergo in hac acceptione diffinitur: *qualitas difficile mobilis à subiecto, per quam subiectum bene, vel male se habet*. Dispositio vero, non accipitur in præsenti, vt est nomen commune omni qualitati, id est, vt est præcisè modus, & determinatio substantiæ, sed præcisè vt est condistincta ab habitu, & diffinitur: *Qualitas facile mobilis à subiecto, per quã subiectum bene, vel male se habet.*

15 Vbi obserua qualitatem posse facilè, vel difficilè esse mobilem per se, vel per accidens: illa est per se difficilè mobilis, quæ ex natura sua petit difficile moueri, eo quod habet causas stabiles suæ permanentiæ, illa est per accidens difficile mobilis, quæ non ex natura sua, sed ratione subiecti, in quo inuenitur, difficile potest moueri, quare stat, quod aliqua qualitas sit dispositio, & habeat modũ habitus, vt vitium, siue error, quæ cum causas stabiles suæ conseruationis non habeant ratione subiecti, illiusque prauæ dispositionis sæpè firmiter, & quasi immobiliter inhærent, stat etiam, quod qualitas sit habitus, & habeat modum dispositionis, vt virtus recedẽs acquisita: quæ ob prauam dispositionẽ subiecti ex contraria consuetudine, facilè potest dimoueri. Differunt ergo habitus, & dispositio non per multum, vel parum durare, sed per hoc, quod est natura sua petere, vel non petere permanentiam.

16 *Dices*: ergo visio beata, cũ sit ab intrinseco inamissibilis erit habitus. *Resp*. Esse eminenter habitum, & actum; actum, quia est actualis tendentia ad obiectum, habitum, non quia sit operatiuus, id enim minime requiritur, cum sanitas sit habitus, & operatiua non sit, sed quia est qualitas difficilè mobilis, & conuenienter disponit proprium subiectum.

17 *Et si inquiras*. Vtrum habitus, & dispositio differant specie? *Resp.* Affirmatiuè cum S. Th. 1.2. q.49. artic.2. ad 5. Ratio est, quia vna, & eadem species non potest ex se, & ab intrinseco petere oppositas conditiones; at dispositio est qualitas ex se, & ab intrinseco fluēs; habitus vero ex se, & ab intrinseco permanens: ergo differunt specie.

18 *Oppones* 1. Actus, & habitus scientiæ, sunt eiusdem speciei: sed actus est dispositio: ergo. *Respond.* Quod actus, & habitus per ordinē ad obiectum, sunt eiusdem speciei, quia sub eadem ratione formali obiectiua tendunt ad illud, sed per ordinē ad subiectum differunt specie; quia actus fluenter, & mutabiliter, habitus permanenter perficit illud; actus enim procedit ex principijs firmis, sed per modum fluxus, & viæ, ac subindè mutabiliter, habitus vero, procedit ex eisdem, sed per modum termini, ac subindè permanenter.

19 *Oppones* 2. Oppositum illius, quod conuenit alicui per se, nec per accidēs potest illi conuenire: sed habitui conuenit per accidens posse facile moueri: ergo posse difficile moueri non conuenit per se habitui. *Resp.* Quod posse absolutè facilè moueri, conuenit habitui, & dispositioni, quod ergo specialiter, & vt differentia conuenit per se habitui, est difficile moueri ex actiue, & ex natura sua, hoc autem nec per accidens potest dispositioni competere.

§. IV.

De naturali potentia, & impotentia.

20 Potentia alia est Logica, siue obiectiua consistens in non repugnantia ad existendum, qua ratione possibile dicitur esse in potentia; alia est Phisica, quæ nihil est aliud, quam vis realis agendi, siue realis capacitas recipiendi de hac est sermo in præsenti, & diffinitur: *Qualitas per se primo ordinata ad actionem, aut passionem.* Per hanc vltimam particulam denotatur distinctio potentiæ à prima, tertia, & quarta specie qualitatis, quæ vel non ordinantur, vel saltim non ordinantur primo, & per se ad actionem, & passionem: vnde merito D.Thom. 3.p.q.63. art. 2. constituit characterem in genere potētiæ, & non in genere habitus, quia ordinatur ad posse agere, vel recipere, non autem ad modum bene, vel male agendi, vel recipiendi bene.

21 *Præterea* dicunt Thomistæ distingui essentialiter primam, & secūdam speciem qualitatis, quia differunt ex finibus, ad quos ab intrinseco ordinantur, prima quippè species respicit per se primo naturam, eam bene, vel male disponendo, secunda vero respicit per se primo operationem, aut passionem absolutè, & sub ratione indifferenti ad bonum, & ma-

malum: ergo differunt essentialiter. Impotentia autem non accipitur in præsenti pro negatione potentiæ, qua ratione equus est impotens ad discurrendum, sed pro potentia infirma, & imbecilli. Vnde potentia, & impotentia differunt accidentaliter, quia obiectum formale vtriusque est idem, & tantum differunt penes perfectum, & imperfectum intra eandem speciem.

22 *Et si dicas*. Virtutes supernaturales sunt potentiæ, cum dent posse, & tamen sunt habitus: ergo potentia, & habitus non differunt essentialiter. *Resp*. Eas non esse potentias simpliciter, sed habitus, & si simpliciter necessarios: quia nõ dantur primo, & per se ad operari, sed ad bene operari, id est conformiter ad naturam subiecti in illo ordine, nẽpe ad gratiam, quæ natura est in ordine supernaturali.

§. V.

De passione, & passibili qualitate.

23 Passio aliquando sumitur pro receptione formæ in subiecto, & sic constituit speciale prædicamentum, aliquando pro forma recepta, & sic accipitur in præsenti: verum *Pati* adhuc in hac acceptione stat tripliciter. Primo communiter, nẽpe recipiendo aliquid, & si nihil abijciatur à re, vt si dicamus aërem pati, dum illuminatur, sed hoc magis est perfici, quam pati. *Secundo* dicitur propriè pati, quando aliquid recipitur cum alterius abiectione, etiam si quod abijcitur, non sit rei conueniens, vt cum homo recipit sanitatem, abiecta ægritudine. *Tertio* propriissime, cum recipitur aliquid, abiecto eo, quod rei erat conueniens, vt homo recipit ægritudinem, abiecta sanitate: hoc modo accipitur passio in præsenti, & diffinitur: *Qualitas sensibilis causata ex alteratione*: differunt passio, & passibilis qualitas in eo, quod passio est qualitas resultans ex facili, & transeunte alteratione, vt pauor ex metu: passibilis vero qualitas resultat ex permanenti alteratione, vt diuturnus color palidus.

24 *Dices* 1. Affectus appetitus sensitiui, vt ira, & tristitia sunt passiones, & non sunt sensibiles: ergo passio non est sensibilis qualitas. 2. *qualitas* est, qua quales dicimur; sed iuxta Arist. hic, *à passione* non dicimur quales: ergo passio non est qualitas. 3. *calor*, qui est terminus alterationis, est qualitas disconueniens subiecto v.g. aquæ, ac proindè est dispositio pertinẽs ad primam speciem qualitatis; & tamen est qualitas sensibilis causata ex alteratione: ergo huiusmodi qualitas non est passio pertinens ad tertiam speciem.

25 *Ad* 1. *respond*. Quod affectus appetitus sensitiui sunt passiones, non vt sunt actus vitales: sed ratione alterationis, quam in corpore efficiunt, vel ratione ter-

termini eiusmodi alterationis. Ad 2. resp. quod à pasśione dicimur absolutè quales; sed non simpliciter, qui enim metu pallescit ad momentum, non dicitur simpliciter pallidus. Ad 3. resp. solum probari, quod pasśio, & dispositio differunt accidentaliter, quod libenter fatemur: vnde idem calor, vt male disponit subiectum, est dispositio, vt terminat alterationem, est pasśio.

26 *Et si inquiras*, quomodo differant pasśio, & pasśibilis qualitas. *Resp.* eas differre accidentaliter: quia differunt per paruam, vel diuturnam durationem, non quidem exactam ex natura qualitatis, sed illis accidentaliter conuenientem: pallori quippe accidit, quod ex metu transeunte, aut ex causa diuturna competat subiecto.

§. VI.

De forma, & figura.

27 OMissis varijs acceptionibus formæ, & figuræ: in præsenti diffiniuntur: *qualitas resultans exterminatione quantitatis.* Vt ordo ille, qui resultat in circulo exterminatione per vnam lineam, & in quadrato exterminatione per quatuor: tam forma, quam figura conueniunt in eo, quod vtraque resultat exterminatione quantitatis, & differunt accidentaliter in eo, quod figura inuenitur in rebus naturalibus; forma vero in artificialibus: vel in eo quod figura inuenitur in quantitate mathematicè sumpta, & abstracta ab accidentibus sensibilibus, vt in circulo, prout concipitur mente, forma vero in quãtitate phisicè sumpta, & prout coniuncta accidentibus sensibilibus, vt in circulo, prout à parte rei existit. Ita D.Thom. 7. phys. lect. 5.

§. VII.

Proprietates, qualitatis, & series prædicamentalis.

28 TRes *proprietates* qualitatis recenset Arist. Prima est, habere contrarium, sunt autem contraria, quæ sub eodem genere maxime distant, & ab eodem subiecto mutuò se expellunt: hæc tamen proprietas non conuenit omni qualitati, quia non conuenit figuræ, nec potentiæ naturali, nec coloribus medijs, vt rubeo, viridi, & fusco; non enim intra idem genus maxime distant.

29 *Secunda* proprietas est: suscipere magis, & minus; nec ista conuenit omni, non enim conuenit figuræ, nec potentiæ naturali. *Tertia* est: quod ab ea dicantur res similes, vel disśimiles, sicut à quantitate dicuntur, æquales, vel inæquales: & hæc proprietas soli conuenit qualitati: nam in alijs generibus solum per analogiam ad qualitatem inuenitur similitudo, aut disśimilitudo.

30 *Series huius* prædicamenti fa-

facilis est ex dictis. Sub supremo genere, quod est qualitas, ponuntur immediatè quatuor species, siue genera subalterna supra explicata: sub primo genere habitus, & dispositio. Habitus diuiditur in operatiuum, & non operatiuum: *non operatiuus* in corporalem, vt sanitas, & spiritualem, vt gratia: *operatiuus* in sensitiuum, & spiritualem: *sensitiuus* in temperantiam, & fortitudinem: *spiritualis* in intellectualem, & moralem: *intellectualis* in practicum, & speculatiuum: *moralis* in varias virtutes.

31 *Sub secundo* genere continentur potentia, & impotentia: sub potentia, activa, & passiva: *sub actiua*, corporea, & spiritualis: *sub corporea*, vitalis, vt vegetatiua, nutritiua, &c. & non vitalis, vt calefactiua, & infrigidatiua: *sub spirituali* intellectus, & voluntas, caracter, & species impressæ.

32 *Sub tertio* genere ponuntur passio, & passibilis qualitas, & sub his color, sapor, sonus, calor, frigus, siccitas, & humiditas. *Sub quarto*, constituuntur forma, & figura, & sub his circulus, triangulus, pyramis, quadratum, &c.

ARTIC. II.

De sex vltimis prædicamentis.

33 ARistotelis normam sectantes, ab his nos breuissime expediemus. Actio est *forma secundum quam in id quod subijcitur agere denominamur.* Ita Gilbertus, sic communiter exponitur est forma, aqua operatiuum principium denominatur agens aliquid circa passum, vt ignis ratione calefactionis, denominatur lignum calefaciens, quare solet diffiniri: *actualitas agentis*, sicut & passio est effectus, illatioque actionis.

34 *Nota tamen* 1. quod cum inter principium, & terminum productum detur medium, seu id ratione cuius effectus egreditur ab agente, ideo asserimus talem egressionem esse actionem, receptionem autem termini in passo dici passionem, viam vero, seu tendentiam illam ad terminum motum appellari, sed an hæc tria differant, ad Phisicam remittimus.

35 *Nota* 2. actionem aliam esse immanentem, aliam trãseuntem, immanens est, quæ manet in agente, vt intelligere, & velle, transiens, quæ transit in externam materiam, vt vrere, & secare, prima est per se primo data à natura propter agens perficiendũ; secunda propter passum: prima est qualitas, secunda pertinet ad hoc prædicamentum ex D. Thom. opusc. 48. cap. 7. nam sola illa infert passionem.

36 *Diuiditur* actio sicut, & passio ratione principij in naturalem, & artificialem, ratione termini in substantialem, & accidentalem, & quælibet ex his in innumeras species. Proprietates actionis,

nis, & passionis sunt quatuor. Prima, quod actio sit semper coniuncta motui; secunda, quod inferat motum; tertia, quod habeat contrarium; quarta, quod suscipiat magis, & minus: duæ primæ conueniunt actioni, & passioni ratione sui, posteriores ratione termini.

37 *Quando* difinitur à Gilberto: *id, quod ex temporis adiacentia relinquitur*, id est, determinatio, per quam res dicuntur esse fuisse, vel futuræ esse tali, vel tali temporis duratione, vt heri, cras, hodie, tali, vel tali anno. Proprietates illius sunt: carere contrario, non suscipere magis, vel minus, & quod *quando* solum conueniat his, quæ nata sunt incipere esse.

38 *Vbi est circumscriptio* passiua corporis *à circumscriptione actiua loci proueniens*, idest determinatio per quam res dicitur esse in tali, vel tali loco. *Vbi*, vel est species infima, vel sunt tot species eius, quot distantiæ locales, vt ante, & retro, sursum, & deorsum, &c. Proprietates sunt carere contrario, & non suscipere magis, aut minus.

39 Sequitur *situs*, qui est *ordinatio partium in loco*, idest esse in loco sic vel sic, vt sedens, iacens, stans. Species eius sunt sedere, cubare, &c. Proprietates eædem, ac præcedentis prædicamenti *Vbi*.

40 Tandem *habitus* est *corporis, & eorum, quæ circa corpus sunt adiacentia*, idest, applicatio, vel circumpositio vestium ad corpus, vt esse vestitum, esse armatum. *Species* habitus sunt iuxta diuersitatem vestium, vt esse armatum, vel togatum; proprietates, non habere contrarium, & suscipere magis, & minus, vt eques solet esse armatior pedite, & diues magis vestitus paupere. Series cuiuscumque ex his prædicamentis ex speciebus assignatis facilè construetur.

ARTIC. III.

De post prædicamentis.

41 POst prædicamēta, cum modi sint ad prædicamenta consecuti, in nullo ex eis sunt determinate contenta. Quinque communiter enumerantur nimirum: *Oppositio, prioritas, simul . . . us, motus, & modus habendi.*

42 *Oppositio* est *repugnantia aliquorum inter se*: & est quadruplex *contradictoria, priuatiua, contraria, & relatiua*, quia oppositio, vel est inter ens, & non ens, vel inter ens, & ens: si inter ens, & non ens, vel taliter vt subiectum non determinent, & sic est contradictoria, vel taliter vt subiectum sibi determinent, & erit priuatiua; si vero est oppositio inter ens, & ens, vel esse debet ita vt ens, & ens mutuo se expellant à subiecto, & tunc est contraria, vel ita vt se mutuo respiciant, & est relatiua.

2. Mo-

43 2. Modus post prædicamẽtalis est *prioritas, quæ est antecedentia vnius rei ad aliam.* Et est quintuplex: videlicet, tempore, natura, subsistendi consequentia, ordine, & dignitate Tempore est prius, quod præcedit aliud duratione; sic senex est prior puero. Prius natura est, quod licet sit simul tẽpore cũ alio, est tamen causa illius, vt Sol est prior illuminatione. Prius subsistendi cõsequentia est, quod non infert aliud, infertur tamen ex illo, sic animal est prius homine, & quodvis prædicatum superius est prius inferiore. *Prius ordine*, vt binarius ternario. Prius *dignitate*, vt Rex plebeyo. Additur à Theologis prioritas originis reperta in diuinis, secundum quam persona, a qua altera procedit sine causalitate, dicitur prior origine persona procedente.

44 3. Modus est *simultas.* Sunt autem aliqua simul tripliciter; tempore, natura, & ordine: tempore, vt quæ in eodem instanti generantur, *natura*, vt correlatiua, quorum neutrum est causa alterius, *ordine* vt species ex æquo diuidentes genus.

45 Sequitur 4. loco *motus*; cuius sex enumerat species Arist. nempe generationem, corruptionem, accretionem, decretionem, alterationem, & motum localem, de quibus latè Philosophi in lib. Phisic. & in lib. de Generatione.

46 Vltimum post prædicamentum est, *habere*; & significat, quocumque modo aliquid possidere, dicitur tamen præsertim 7. modis. 1. habere qualitatem, vt virtutem. 2. *habere* quantitatem, vt tres vlnas. 3. *habere* quæ circunstant, vt vestes. 4. *habere* partes, vt manus, pedes, vel in partibus, vt à nulum in manu. 5. *habere* aliquid per modum vasis, vt aquam in situla. 6. *habere* possidẽdo vt agros, 7. *habere* ad cohabitandum, vt vxorem.



QVÆS-

QVÆSTIO X.

De demonstratione.

1 ABsoluto libro de prædicamentis, in quo Arist. res simplices ordinatè considerauit, vt primam operationem intellectus, quæ simplici im est apprehensio, dirigeret; subiunxit libros de interpretatione, in quibus docendo naturam enuntiationis, traddidit quidquid ad dirigendam secundam operationem poterat desiderari: vt tandem modum, quo tertia est dirigenda præscriberet, instituit libros, quorum alios priorum analyticorum, alios posteriorum analyticorum, hoc est resolutoriorum inscripsit; in illis examinauit demonstrationem ex parte formæ sillogisticæ, in his eam speculatus est ex parte materiæ, docendo nimirum ex quibus debeat constare: sed quia de enuntiatione egimus lib. 2. summul. & de forma sillogistica lib. 3. restat, vt post tractatum de prædicamentis, ad considerandam materiam demonstrationis statim procedamus.

ARTIC. I.

An sint aliqua ante demonstrationem præcognoscenda?

2 ANtequam Arist. numerum præcognitorum designet, celebre præmittit axioma, vt ex eo lucem accipiat totus demonstrationis tractatus. Axioma tale est: *Omnis doctrina, omnisque disciplina intellectiua ex præexistente fit cognitione.* Doctrina, & disciplina differunt in eo, quod *doctrina* significat cognitionem vt à Magistro tradditam, *disciplina* designat eam, vt in discipulo receptam; eadem quippè cognitio, vt à Magistro dicitur doctrina; & vt in discipulo disciplina: intendit ergo Philosophus hoc axiomate sententiam debellare Platonis, qui vt Heracliti, & Cratilli negantium scientias delirium euitaret, in aliud incidit, affirmans, non solum dari scientias, sed & eas esse à natura nobis inditas, ita vt omne nostrum scire nil aliud esset, quam exercitatione sensuum præcedente, quoddam intellectiuum reminisci. *Tria sunt* ergo in præsenti discutienda ordine ipso quo illa discusit Philosophus. Primum, quomodo tale axioma sit intelligendum, vt Platonicum euertatur fundamentum. Secundum, quot sint ante demonstrationem præcognita. Tertium, quid sit de huiusmodi præcognitis præcognoscendum.

§. I.

Aristotelicum axioma declaratur.

3 ASserunt aliqui prædicti axiomatis sensum esse, quod

quod omnis nostra cognitio intellectiua, etiam non discursiua, ex alia præexistente fit, quatenus ortum trahit ex cognitione sensitiua, cum nihil sit in intellectu, quod prius non fuerit in sensu. Sed minus recte, & extra intentũ Philosophi. *Tùm* quia ly *ex praexistente fit* sonat veram efficientiam (vt art. seq. constabit) qualem non habet cognitio sensitiua in intellectiuam *Tùm* quia Philosophus intendebat statuere cognitionem scientificam comparatam ex vi cognitionis principiorum contra Platonem oppositum propugnantem. *Tùm* quia per huiusmodi assertum non impugnaret Platonem, sed iuuaret: diceret enim Plato se etiam asserere cognitionẽ scientificam dependere à sensitiua, quatenus hac posita, excitatur intellectus, vt prorrumpat immediatè in scientificam cognitionem obiecti, cuius erat oblitus. *Hac ergo*, & alijs expositionibus satis extraneis ab intento Philosophi relictis, vt cum D. Thom. hic lect. 1. littera *A.* mentem Philosophi explanemus.

4 *Præmittendum* est, quod discursus potest summi dupliciter, adæquatè, prout comprehendit, tàm præmissas, quã conclusionem; & inadequatè, prout dicit solã conclusionẽ. Inter has acceptiones hoc est discrimẽ, quod licet, tàm præmissæ, quàm conclusio sint de essentia discursus, absolutè vocatur cognitio discursiua, quæ ad conclusionem terminatur, quin talis absolutè denominetur sola cognitio præmissarum. Ratio est: quia terminus *ad quem* tribuit absolutam denominationem motui, non terminus *à quo*, vt patet in calefactione, quæ talis denominatur à calore, qui est terminus *ad quem* illius, & si frigus sit terminus *à quo*: sed in motu discursiuo mentali cognitio conclusionis consideratur admodum termini *ad quem*, cognitio vero præmissarum apprehenditur per modum termini *à quo*: ergo. Ex quo colligitur, quod potuit iure optimo Philosophus dicere cognitionem omnem discursiuam ex alia præexistente fieri, si cognitio conclusionis est, quæ absolutè debet vocari cognitio discursiua; vtpote circa quam est motus discursus intellectus.

5 *Distinguendum* est igitur in præsenti, & axioma, quod Philosophus protulit, & propter quid illud protulit; protulit quidem illud propter adstruendam contra Platonem cognitionem scientificam, non à natura inditam, sed per demonstrationem vere comparatam, axioma autem illud, quod ad hoc conuincendum protulit, non debet accipi de sola hac cognitione scientifica, nam hoc esset assumere pro medio id ipsũ, quod in vtrum vertebatur, sed debet altius sumi pro omni cognitione discursiua, siue in probabilibus, siue in rethoricis, siue in opinatiuis, seu tandem in demonstratiuis, vt exempla adducta à Philos. conuincũnt, teste D. Thom. quo supposito, formatur ratio contra opinionem Platonis, & axioma declaratur.

6 *Omnis* cognitio discursiua (cuius nomine intelligenda venit cognitio

tio conclusionis) quælibet illa sit, fit ex alia præexistente cognitione; sed cognitio scientifica est cognitio discursiua: ergo cognitio scientifica ex alia præexistente fit. Sed cognitio, quæ ex alia præexistente fit, nõ inest à natura, sed ex vi illius præexistẽtis cognitionis ex qua fit, adquiritur: ergo cognitio scientifica non est nobis a natura indita, sed ex vi alterius cognitionis comparatur. Omnia constant, & maior soli Platoni difficilis, cum ab Aristot. existimetur indemonstrabile principium, non prob. sed inductione quadam declaratur. Nam siue disputes probabiliter, siue rethoricè, siue opinatiue, siue demonstratiue, aliquod semper principium assumis, cui intrixus probare intendas conclusionem, circa quam est litigium, vt ipsi sillogismi quibus vteris, manifeste conuincunt; sed tunc cognitio circa conclusionem fit ex præexistente cognitione circa principium, quod assumpsisti, nam interrogatus, quare assensum præbes huic veritati v. g. *homo est risibilis*, respondebis, quia præbui illum huic, *homo est admiratiuus*, ex qua legitimè infertur. Verissimum ergo est illud proloquium, intellectum, vt debet, de cognitione discursiua, *omnis doctrina*, omnisque disciplina ex præexistente fit cognitione.

7 *Ex quo* male aliqui pro Platone inferunt dari in causalitate cognitionum processum in infinitum, quia licet cognitio conclusionis fiat ex præexistente cognitione præmissarum, & cognitio earum (si non sint per se notæ) in aliam cognitionem resoluatur; deueniemus tamen ad prima principia, quæ quia ex terminis nota sunt, non indigent ad sui euidentem cognitionem alterius cognitionis præexistentia. An autem lumen primorum principiorum sit habitus superadditus virtuti naturali intellectus, & an supposito, quod sit habitus, sit nobis à natura inditus, vel potius nostris actibus adquisitus, alterius est instituti. De quo Metaphisici, & inde Theolog. 1. 2. quæst. 51. & 61.

9 *Ex dictis* constat ad Platonis argumentum consistens in eo, quod antequam adquiramus scientiam, desideramus scire; iam ergo scire illud erat ante adquisitionem nobis notum, cum desiderium non feratur in ignotum. *Constat* (inquam) solutio, nam si sermo est de appetitu innato intellectus erga verum scientificum, talis appetitus non regulatur cognitione, & sic non indiget, quod scire illud sit nobis notum: Si autem argumentum procedit de desiderio, qui est actus elicitus voluntatis, hic quidem supponit aliqualem notitiam conclusionis prout in sua causa, præmissis scilicet, contentæ, sci[?]ntiæ tamẽ possessionem non supponit, cum potius desiderium sit tendentia in illius adquisitionem: sicut cognoscens causam desiderat cognoscere directè, & formaliter effectus, quos in ipsa causa attingebat antea solum virtualiter, & implicite.

§. II.

§. II.
Præcognita designantur.

10 CVm *præexistens* cognitio neque at esse sine aliquibus præexistentibus cognitis, seu præcognitis, ideo Aristoteles, præexistente cognitione firmata, progreditur statim ad designanda præcognita, seu ea, quæ debent esse ante conclusionem cognita. Sunt ergo iuxta ipsum tria præcognita; *principium, subiectum, & passio*: cuius designationis sufficientia ex D. Thom. hic lect. 2. probatur.

11 *Scientia eo* tendit, vt demonstret in conclusione passionem aliquam de subiecto: sed ad hunc finem debent ante conclusionem tria designata cognosci: ergo illa debent esse ante conclusionem præcognita. Prob. min. Vt passio demonstretur in conclusione de subiecto, debent præcognisci subiectum, de quo demonstras, & passio, quam demonstras, si enim ignores quid, aut de quo demonstres, nullo modo demonstrare poteris: sed vlterius debes præcognoscere præmissas, quæ sunt principium, vi cuius demonstras: ergo. *Vel aliter.* Vt demonstres passionem de subiecto, sufficit, & requiritur, vt præcognoscas quod demonstras, de quo demonstras, & vi cuius demonstras: sed quod demonstras est passio, de quo demonstras, est subiectum, & vi cuius demonstras, est principium: ergo vt demonstres passionem de subiecto sufficit, & requiritur, quod præcognoscas passionem, subiectum, & principium.

12 Dices: Etiam præcognosci debet bonitas consequentiæ; nam ignorato, àn conclusio benè inferatur ex præmisis, non præstabitur assensus conclusioni: ergo designatio facta est insufficiens.

13 *Respondet.* consequenter ad dicta q. 1. proœm. artic. 7. Quod bonitas consequentiæ potest cognosci signatè cognoscendo syllogismum esse factum iuxta regulas logicæ, ac proindè rectè concludere; & potest cognosci exercitè, cognoscendo, licet tales ignorentur regulæ, has præmissas hic, & nùnc cum conclusione connecti. Dicimus ergo, quod prima cognitio bonitatis consequentiæ, & si plurimum iuvet, necessaria tamen simpliciter non est ad veram demonstrationem, & ideo illam omisit Philosophus: secunda verò non distinguitur à cognitione principij vt talis, nam cognoscere principium, vt tale, est illud cognoscere, vt connexum cum conclusione; vnde statuto, principium vt tale esse præcognitum, implicitè affirmatur bonitatem consequentiæ esse præcognitam.

14 *Instabis.* 1. Dè principio solum præcognoscitur iuxta Arist. (vt posteà constabit) àn sit verum: sed de vi illativa consequentis nequit præcognosci àn sit vera, quia illatio non est vera, vel falsa; sed bona, vel mala: ergo in præcognitione principij non includitur præcognitio bonitatis consequentiæ. 2. Cognoscere præcontinentiam conclu-

sionis non stat, quin aliquomodo cognoscatur ipsa conclusio: ergo si ante conclusionem cognoscitur cõtinentia conclusionis, cognoscitur conclusio antè conclusionem, quod est absurdum. 3. Medium debet esse præcognitum, cum in illo nitatur tota vis probatiua conclusionis: sed medium non est subiectum, aut passio, vt patet, alias non reducitur ad principium, cum principium sit quid complexum, & medium sit quid incomplexum: ergo semper est necessum asserere, dari aliquod prçcognitum, cuius mentionem non fecit Aristoteles, & quod in præcognitis ab ipso designatis non includitur.

15 *Respond.* ad 1. neg. conseq. Quia vt bonitas consequentiæ præcognoscatur exercitè, dum præcognoscitur signatè veritas principij, non requiritur, quod eandem subeat denominationem, ac principium: sicut qui signatè cognoscit aliquam conditionalem esse veram, cognoscit simul exercitè illationem esse legitimam, non per hoc, quod illationem cognoscat esse veram, sed per hoc quod cognoscendo conditionalem esse veram, cognoscit exercitè id, à quo dependet esse veram, bonitatem, scilicèt, consequentiæ.

16 *Ad 2. concedo* conseq. In qua concedenda nullum inuenimus absurdum, sicut nec illud inuenit D. Thom. hic lect. 2. dicens ex Philosopho: *Conclusionem demonstrationis ante ipsam demonstrationem aliquo modo esse præcognitam alio verò modo non; ex dubitationis Platonicæ solutione manifestat.* Sicut enim cognoscens causam in ipsa cognitione causæ attingit virtualiter, & implicitè illius effectus, & postea progreditur ad illos explicitè, & formaliter attingendos per aliam cognitionem; ita attingens præmissas in ipsis attingit virtualiter, & implicitè conclusionem, & ex hoc progreditur ad illã explicitè, & formaliter per alium actum attingendam.

17 *Ad* 3. *neg.* ex dictis min. quoad secundam partem, cuius inserta probatio non vrget: nam licet principium sit aliquid complexum, & medium quid incomplexum, hoc tamen incomplexum est ratio formalis, quare illud complexum sit verũ in esse principij, cum ratione identitatis extremitatum cum medio, principium, vt tale, sortiatur veritatem, vi cuius veritatem cõsequentis præcontineat, ac proindè cum præcognitione veritatis principij non ponit in numero prçcognitio medij.

18 *Ne obstat*, si instes: etiam veritas principij nõ stat sine subiecto, & passione, de quibus enuntiant identitatem cum medio: & tamen subiectum, & passio sunt distinta prçcognita à principio: ergo pariter etiam si veritas principij non stet sine medio, medium erit diuersum prçcognitum à principio.

19 *Non obstat* quidem; nam principium vt tale est concretum accidentale, cuius forma dans illi esse connexum cum conclusione est medium; passio autem, & subiectum sunt materia illius: vndè sicut cognitio albi in esse albi non ponit in numero cum cognitione albedinis, ponit tamen in numero cum cognitione

ne corporis, quod est materiale illius; ita præcognitio principij ponit in numero cum præcognitione subiecti, & passionis, quę sunt illius materia, secus cum præcognitione medij, quod est forma constituens principium in esse principij; quia idem est cognoscere principium vt inferens conclusionem, ac cognoscere formam, vi cuius talem conclusionem infert.

§. III.

Exponuntur, quæ de huiusmodi præcognitis sunt præcognoscenda.

20 DVas in genere pręcognitiones statuit Philosophus; *an sit, & quid sit*; harum quælibet sub diuiditur in alias duas; nam pręcognitio *an sit* diuiditur in *an sit rei*, & in *an sit veritatis*. Similiter cum diffinitio alia sit *quid rei*, alia *quid nominis*, etiam pręcognitio *quid sit* dividitur in *quid rei, & quid nominis*. Ex quo clarè percipitur iuxta explicationem D. Th. hic lect. 2 mens Philosophi, scilicèt, quod de præcognitis designatis debet per distributionem accommodam præcognosci, *an sint, an sint vera, quid sint, & quid significent*.

21 *Ea igitur* accommodando singulis, asserit ex Philosopho D. Th. initio lect. 2. Quod *an est veritatis* debet adaptari principio, idest, quod de principio solum debet præcognosci *an sit verum*. Huius asserti ratio est, quia de complexis enuntiatiuis, cuius generis est principium, solum debet præcognosci, quod potest propriè de ipsis dubitari; sed solum potest propriè dubitari de ipsis, an sint vera, cum finis intrinsecus complexi enuntiatiui sit manifestatio veritatis: ergo solum debet de ipsis præcognosci, an sint vera. *Vel aliter*. De principio solum debet præcognosci id, ratione cuius est principium conclusionē demonstrans; sed est principium conclusionem demonstrans ratione propriæ veritatis, semel enim quod verum sit extremitates identificari cum medio in præmissis, potest demonstrari earum identitas inter se: ergo solum debet pręcognosci de principio *an est* illius veritatis.

22 *Dices*: Aliquando præmissæ non sunt principia indemonstrabilia, vt cum ad probandum tertiam passionem convenire subiecto assumimus pro principio conuenientiā secundæ passionis; hæc enim est vlterius demonstrabilis per conuenientiam primæ, & hęc tandem est demonstrabilis quoad nos per diffinitionem subiecti: ergo tunc casus non erit præcognita, sed verè demonstrata veritas principij.

23 *Sed neg. conseq.* Quia semper evadit verum in sensu formali assertum Philosophi. Si enim demonstratio sit potissima cōstans primis simpliciter principijs, tunc manifeste apparet, quod veritas principij, vtpote indemonstrabilis, est præcognita, & non demonstrata: si autē demonstratio constet præmissis, quæ sint conclusiones superioris demōstrationis, vt in exemplo argumenti, tunc materialiter coincidunt in eadem præmissa ratio cōclusionis, & ratio principij; & in ratione conclusionis est demontrata, in ratione verò principij

est præcognita; quia ad inferendam tertiã passionem solum se habet de formali præcognoscere secundã passionem verè cõuenire subiecto, siuè hæc conuenientia habeat, siuè non habeat causam, de quo, vt demonstratio tertię passionis, non curat.

24 *Asserit* 2. Philosophus, quod de subiecto debet præcognosci *an sit*, & *quid sit*. Circa intelligentiam primæ partis non leuè est inter nostros dissidium; quibusdam cum Magistro Soto affirmantibus ly *an sit* debere exponi de an est possibilitatis, secus existentiæ, idest, quod, de subiecto debet præcognosci an sit possibile, non tamen præcognosci debet an sit existens; alijs autem cum Caietano asserentibus, quod de subiecto debet etiam præcognosci an existat, seu an sit in rerum natura, ita, vt de subiecto in nulla differentia temporis existente non possit dari scientia. Quia tamen existimamus vtramque sententiã in aliquo sensu habere veritatem, ideo vt Philosophus, & D. Th. qui pro Caietano videntur militare, legitimè exponantur.

25 *Dicendum est primò*: Ratio intrinseca scientię nullo modo petit præsupponere exercitam existentiam sui subiecti. Probat. assertum. Ratio intrinseca scientiæ solum petit, quod subiecti essentia sit connexa cũ suis passionibus, nam hoc præcisè dato, passiones de subiecto demonstrantur: sed ad hoc impertinens est esse exercitum actualis existentiæ, cum etiam, defficiente existentia, conexio perseueret: ergo ratio intrinseca sciẽtiæ non petit exercitam existentiam subiecti. *Confirmatur*. Dum scientia demonstrat hominẽ esse risibilem, non demonstrat quod datur homo substãs exercitè risibilitati, sed quod si homo datur, datur substans risibilitati: sed hæc veritas ab exercita existentia hominis non dependet: ergo.

26 *Sed contra obijcies* Philosophum asserentem hic cap. 1. Quod de subiecto debet præcognosci *quid est*, & *quia est*: super quæ D. Th. lect. 2. *Antequam sciatur de aliquo an sit, non potest sciri propriè de eo quid sit; non entium enim non sunt diffinitiones: vndè quæstio an est præcedit quæstionem quid est*. Rursus ipse Philosophus, lib. 2. text. 8. ait: *Quærere autem quid est non habentis quod est, nihil quærere est*. Nec valet communis expositio de an est possibilitatis. *Tùm* quia vt benè aduertit Caiet. hic. *Ad secundum dubiũ, ly an est* in littera Philosophi, & D. Th. accipitur semper pro an est existentiæ, hoc enim sonat *an est*, vt cõtra diuisum ad *quid est*, qua ratione dixit D. Th. 1. p. q. 2. quod de Deo non possumus scire *quid sit*, possumus tamen per effectus demonstrare *an sit*.

27 *Dicendum est secundò*, vt hæc explicentur; scientia nostra quoad sui adquisitionẽ dependet ab actuali exercita existentia subiecti, ac proindè *an est* illius præsupponitur ad *quid est*. Sic primus exposuit Philosophi, & D. Tho. authoritates Ferrara lib. 1. contra gent. cap. 66. quem laudant, & sequuntur Prado, Massius, Rubio, & alij. Probatur brebiter. Nõ possumus scientiam subiecti adquirere, nisi media aliqua, vel inductione, vel experientia, vel saltim nisi notitia

titia subiecti medio sensuum ministerio ad intellectum perueniat: sed ad hoc necessum subiectum existere, cum subiectū exercitè non existens nequeat sui speciem immittere sensibus: ergo. *Ex quo vlterius* sequitur quæstionem *an est* præcedere quæstionem quid est: nam non possumus quidditativam notitiam subiecti adquirere nisi præcedat in sensibus illius species: at hæc præcedentia speciei necessario affert secum an est, seu existentiam subiecti sensibus expositam: ergo notitiam illius quidditatiuam præcedit experimentalis notitia illius existentiæ: ex quo tandem sequitur scientiam præsupponere huiusmodi *an est*, cum nequeat passiones de subiecto demonstrare, nisi præhabita illius notitia sensuum ministerio introducta.

28 *Quam conclusionem* intellige, vt veritas illius instantia careat, in sensu formali; idest, quod scientia quo ad sui inuentionem, & adquisitionem præsupponit *an est*, vel sui subiecti, vel illius ad cuius instar concipit subiectum, de quo passiones demonstrat. Logica enim sensuum ministerio radicitus adquisita non supponit ens rationis in rerum natura, supponit tamen ens reale, ad cuius instar concipitur ens rationis. *Similiter* species deseruientes fidei, à quibus Theologia dependet (idem de qualibet cognitione pro hoc statu rei spiritualis) sunt in communi, & vera sententia, adquisitę, quin Deus, qui est Theologiæ subiectum, sit obiectum illas species immittens; at supponuntur exercitè existentes, & illas species immittentes effectus creati, ad quorum instàr Deum pro hoc statu concipimus; ideoque Theologia ex mutuatis à Philosophia effectuum naturis existentiam Dei à posteriori demonstrat.

29 *Ex his autem* colligitur quomodo extremè oppositæ sententiæ supra relatæ ad concordiam reuocentur. Si enim primæ sententiæ sensus sit, quod scientia quo ad intrinseca sui ab exercita existentia subiecti non dependet, sed ab illa abstrahit, verum tenet, vt constat ex ratione proposita num. 26. si autem loquamur de scientia quo ad sui inuentionem, & quatenus sensuum ministerio adquisita, vera est, vt patet ex immediate dictis, sententia Cayetani; & in hoc sensu verissimæ sunt, vt iacent, authoritates Philosophi, & D. Thomæ, nam de subiecto nullatenus (in sensu explicato) existente, nulla scientia valet adquiri, ac proindè pènitus ignorato *an est*, frustra laboratur circa *quid est*: quia notitia quidditatis pendet in sui prima adquisitione ab experimentali notitia sensuum, quæ, subiecto nullatenus existente, non dabitur; ideòque dixit Cayet. quod si subiectum in nulla differentia temporis existat, nulla de illo erit scientia: quia vel debet aliquod illius vestigium stare, si est præteritum; vel dari aliquid cum illius futura existentia connexum, si est futurum; vel ipsum debet esse præsens, vt aliquid illius ad sensus per-

veniat, quorum ministerio possit intellectus scientiam de tali subiecto comparare.

30 *His iam statutis* circa primam partem asserti Philosophis circa secundam, scilicet, quod de subiecto debet præcognosci, *quid sit*, præmittendum est prædictam assertionem posse dupliciter exponi, positiuè, & negatiuè: negatiuè exposita redit hunc sensum, *quid sit subiectum demonstrationis, nequit demonstrari, sed solum præcognosci*. Positiuè explanata reddit hunc; *in demonstrationibus debet præcognosci de subiecto quid sit*. Primò modo est vniversaliter vera: secundò modo est vera in demonstrationibus tantùm potissimis, quæ assignant proprium rei *propter quid*, quod iam sygillatim probamus.

31 *Et primò* prima pars prob. ratione D. Thom. hic lect. 2. Quod per demonstrationem nequit innotescere, est præcognitum, & non demonstratum; sed quodquid est subiecti, nequit per demonstrationem innotescere: ergo est præcognitum, & non demonstratum. Omnia constant, & min. suadetur ex eo, quod vt innotesceret per demonstrationem quodquid est subiecti, aliquod debebat assumi principium, per quod demonstraretur: sed quodquid est subiecti, cum sit primum, & subiecti, & scientiæ principium, nequit aliud præsupponere, vi cuius demonstretur: ergo. Fatemur *quodquid* est subiecti posse aliqualiter per effectus, & signa manifestari, seu explicari; propriè tamen demonstrari non potest: quia si effectus sunt vniuoci, eamdem habet difficultatem quodquid est illorum, ac quod quid est causæ; si autem sunt æquiuoci, demonstrabunt quidem quoad *an est*, sed non quoad quid est suam causam.

32 *Dices*: Plures scientiæ inquirunt, & tradunt quodquid est sui subiecti; subiectum quippè huius tractatus posterioristici est demonstratio, & tamen in illo discutitur quid sit demonstratio: similiter Logica tradit quid sit modus sciendi, Phisica quid sit motus, & Mathematicæ docent, quid sit linea, quid punctum, quid quantitas continua, & discreta: quomodo ergo supponunt præcognitum quod quid est sui subiecti?

33 *Disting. antec.* Inquirunt, & tradunt quodquid est, *illud explanando*, concedo antec. *illud probando, siuè demonstrando*, nego antec. Subiectum formale scientiæ est ipsum quodquid est subiecti, de quo passiones demonstrat, & hoc numquam in scientijs, quarum sunt subiecta, potest demonstrari; cum hoc autem compatitur, quod scientiæ tradant, & explicent diffinitionem subiecti, specialiter si sit sapientia, quæ supra prima principia reflectitur eorum terminos explanando contra negantes ipsa; quia licet diffinitio subiecti absolutè sumpta pertineat ad lumen primorum principiorum, vt principium tamen probatiuum conclusionum pertinet ad scientiam, qua ratione indiget ab ipsa explicari; demõstrari verò numquam potest.

34 *Pos-*

34 *Positiuè* exposita conclusio Philosophi probatur: & quidem, quod non sit necesse in quacumque demonstratione præcognoscere, quid sit subiectum, conuincitur ex eo, quod datur vera demonstratio, per quam à posteriori probetur an existat subiectum, vt sunt omnes illæ demonstrationes, quibus probatur Dei existentia: sed ad huiusmodi demonstrationes non præcedit præcognitum quodquid est Dei: ergo. Similiter Astrologi demonstrant Solis, & Lunæ ecclypsim: & tamen fere omnes sic demonstrantes ignorant quodquid est Solis, & Lunæ: ergo. Quod alijs plurimis exemplis posset comprobari: sed quia insinuata sufficiunt.

35 *Prob. iam* debere præcognosci quodquid est subiecti in demonstrationibus potissimis, quæ assignant proprium propterquid rei demonstratę, & quas præcipuè intendebat Philosophus. Tales demonstrationes concludunt proprias passiones de subiecto: sed ad hoc est necesse præcognoscere quodquid est subiecti: ergo hoc debet esse in huiusmodi demonstrationibus præcognitum. Probat. min. Vt cōcludatur passio convenire subiecto debet sciri radix convenientiæ: sed quodquid est subiecti est radix quare passio convenit subiecto: ergo debet præcognosci quodquid est subiecti, vt passio concludatur de subiecto.

36 *Dices.* 1. Cum per secundam passionem demonstratur de subiecto tertia passio, concluditur passio de subiecto: sed tunc non præcognoscitur quodquid est subiecti, quia medium demonstrationis, secunda, scilicèt passio, longè differt à *quodquid* est subiecti: ergo verum non habet conclusio etiam cum concluditur passio de subiecto. 2. Metaphisici, & indè Theologi demonstrant de Deo plures perfectiones per proprium propterquid illarum, vt quod sit æternus, quia immutabilis, summe intelligens, quia summe immaterialis, & alia huiusmodi: & tamen prohoc statu, in quo adhuc demonstrant, ignorant quodquid est Dei: ergo. 3. Aristoteles hic cap. 1. solum docet, quod de subiecto debet præcognosci quid nominis, ait enim; *quod de triangulo præcognoscitur, quid nomen significet*: ergo iuxta ipsum nō est præcognoscendum quodquid est subiecti.

37 *Ad primum*, neg. conseq. Quia conclusio nostra non sustinet quodquid est subiecti debere præcognosci, vt medium proximum probandi in quacumque demonstratione passionem convenire subiecto; sed quod illo non præcognito, nulla passio potest concludi de subiecto; hoc autem verum est, etiam si in exemplo argumenti medium illius demonstrationis non sit quodquid est subiecti; quia si hoc non præsupponeretur antea præcognitum, non sciretur, nec prima, nec secunda passio, ac proindè tertia non posset per secundam de illo demonstrari; vndè omnium huiusmodi demonstrationum prima radix est quidditas subiecti.

38 *Ad secundum* concessa mai. di-

disting. min. *Cognitione perfecta, & quidditatiua*, concedo min. *imperfecta, & connotatiua*, nego min. & conseq. Verum est, quod Deum pro hoc statu; sicut per propriam speciem non cognoscimus, ita quidditative attingere non valemus: cum hoc tamen compatitur quod semel scientes per effectus Deum existere, illius quidditatem per species rerum creatarum connotative apprehendamus, & aliqualiter describamus, ex quo vlterius progredientes demonstremus eas perfectiones, quæ ab omni sint depuratæ imperfectionis labe; ad quas demonstrationes præcedit præcognitum quodquid est Dei, eo modo, quo pro hoc statu, in quo adhuc demonstramus, potest cognosci; connotative scilicet, & imperfecte: quod sufficit, vt sit absolute vera demonstratio, & quod videtur necessario dicendum, ne dicamus Metaphisicam, & inde Theologiam in illis perfectionibus demonstrandis non se gerere, vt scientias, sed de his Theologi 1. p. q. 2. art. 2.

39 *Ad tertium* respond. Quod Philosophus sermonem ibi instituit de triangulo, vt est passio lineæ taliter dispositæ, secus autem vt est subiectum passionum, quæ de ipso possunt demonstrari: quæ expositio est D. Thomæ hic lect. 2. dicentis: *Philosophus hic exemplificat de triangulo, vt passio est, non vt est subiectum, cum dicit: de triangulo opportet præscire quoniam hoc significet.*

40 *Tandem* circa passionem, quæ est vltimum præcognitum, asserendum est cum D. Thoma hic. Non debere de illa præcognosci *an sit*, aut *quid sit*, sed solum *quid nominis*, seu quid nomen illius significet. Assertum patet quantum ad id, quod affirmat: nam ignorata significatione nominis, nec quid, nec *an est* rei potest demonstrari; sed vt statim constabit, an sit, & quid sit passio, per demonstrationem innotescit: ergo debet præcedere præcognita nominis illius significatio. Quæ veritas accipienda est de demonstrationibus traditis per doctrinam, & disciplinam medio vocum ministerio; aliter erit de subiecto non supponente præsens præcognitio.

41 *Quantum* ad id vero, quod assertum negat, vt facilius percipiatur, præmittendum est conclusionem intelligi in sensu formali, idest, quod illius passionis, quæ probatur per demonstrationem convenire subiecto, non debet præsupponi præcognitum an sit, vel quid sit: vnde si quis demonstret hominem esse risibilem, quia est admiratiuus, non negat conclusio non præcedere præcognitum quid sit admiratiuum, quod assumitur pro medio; sed non debere præcedere præcognitum quid sit risibile, quod ex vi talis medij infertur de homine.

42 *Similiter* præmittendum est, quod passio potest considerari abstractè, & vt est in se quædam quidditas; & concretè, seu vt est affectio huius, in quo solo sensu propriè consideratur, vt passio; nam passio, vt passio, alicuius est, seu aliquem afficit, aliter non concipitur, vt passio. Igitur D. Thomas non negat

gat posse præcognosci ante demonstrationem quidditatem passionis absolutè sumptæ per eius diffinitionem; sed negat debere illam præcognosci, vt est affectio huius, seu vt passio est: vt si Geometra demonstret terram esse rotundam, inconveniens non est, quod ante demonstrationem sciatur, in quo consistat, seu quid sit rotunditas; sed quod rotunditas conveniat terræ, seu sit affectio illius, hoc non debet præcognosci: quod quia non notarunt aliqui, vt advertit Cayetanus, propositam D. Thomæ conclusionem impugnarunt. His præmissis.

43 *Prob. conclusio* ratione D. Thomæ. Non debet præcognosci ante demonstrationem, quod ex vi illius demonstratur: sed ex vi demonstrationis demonstratur an est, & quid est passionis, vt est formaliter passio: ergo neutrum illorum debet ante demonstrationem de passione cognosci, vt est formaliter passio. Prob. min. Ex vi demonstrationis demonstratur convenientia passionis in ordine ad suum proprium subiectum: sed an est, & quid est passionis, vt est formaliter passio, est in ordine ad proprium subiectum, cui convenit: ergo. *Explicatur.* Totum esse passionis, vt talis, est, quod sit affectio huius: sed ex vi demõstrationis demonstratur, quod sit affectio huius: ergo totum esse illius, vt talis ex vi demonstrationis demonstratur. Vnde sicut supra quæst. 5. artic. 1. docuimus accidentia non aliter diffiniri nisi per ordinem ad subiectum; ita passionis, vt talis natura, nõ aliter, quam per proprij subiecti naturam potest innotescere; & sic per naturam subiecti cognitam, vel quoad an est, vel quoad quid est, passio, vt talis, & non aliter, demonstratur.

ART. II.

Quomodo assensus præmissarum concurrat ad assensum conclusionis?

44 Docuit nos artic. præcedente Philosophus cognitionem discursivam fieri ex præexistente cognitione, quare non importunè examinandum statim occurrit quodnam genus causalitatis importet illud *fieri*. Sed quia alia est divisio causæ in materialem, formalem, efficientem, & finalem; alia in necessariam & contingentem; vtroque modo revocatur in vtrum illud fieri conclusionis ex præexistente cognitione præmissarum: in quonam, scilicet, genere causæ ex quatuor assignatis fiat; & rursus an necessario, vel contingenter fiat; quorum dubiorum resolutio titulo articuli satisfacit.

§. I.

Prænotantur aliqua pro decisione primæ difficultatis.

45 Pendet *primæ* difficultatis resolutio ex plena intelligentia plurium, quæ hic Authores congerunt, & quæ fortè difficiliora sunt, quam principalis dubij resolutio. Vnde notabis 1. quod triplex potest fieri combinatio inter præmissas, & conclusionem. *Prima*, comparando præmissas obiectivas

cum conclusione etiam obiectiva. *Secunda*, comparando præmissas obiectivas cum assensu mentali conclusionis. *Tertia*, conferendo mentalem assensum præmissarum cum assensu conclusionis mentali.

46 *In prima* igitur harum combinationum statuenda est obiectivè, & in se eadem causalitas, quæ fuerit inter ipsas res per vtrumque assensum attactas. Vnde quia demonstratio *propter quid*, seu *à priori* per omnium causarum genera divagatur, aliquando obiectum præmissarum erit in se causa materialis, aliquando formalis, aliquando efficiens, vel finalis rei per mentalem conclusionem attactæ.

47 *Rursus*: cum talis demonstratio aliquando assignet causam realiter causantem rem, quam demonstrat, vt cum ex tali natura hominis, v.g. tales demonstrat propietates pullulare; aliquando verò solum designet rationem formalem illius, vt cum entis demonstrat attributa ab ipso ente realiter indistinta; iuxta hanc diversitatem diversum sortietur causalitatis modum obiectum præmissarum in obiectum conclusionis: in primo enim casu exercebit causalitatem, quæ talis sit simpliciter, in secundo verò causalitatem, quæ talis sit solum virtualiter. Diximus in demonstratione *propter quid*, seu à priori, quia si demonstratio sit à posteriori, potius obiectum conclusionis exercet in re causalitatem in obiectum præmissarum, & hoc solum exercet causalitatem in illud in esse cognoscibilis, de qua causalitate statim.

48 *Si autem* comparentur præmissæ obiectivæ cum conclusione mentali, distinguendum est in ipso præmissarum obiecto duplex munus; aliud immittentis sui speciem intellectui, aliud specificantis sui cognitionem. Sub primo munere exercet causalitatem effectivam mediatam in assensum conclusionis, sicut immediatam in assensum præmissarum: species enim est virtus, qua obiectum concurrit efficienter ad actum intellectus, vt fert iam communis ferè inter nostros opinio: sed hic concursus in actum præmissarum est immediatus: ergo cum actus conclusionis in aliquo vero sensu fiat ex illo, ad actum conclusionis concurret sub eo munere efficientèr mediatè. Sub secundo munere, cum ratio obiecti specificantis sistat intra limites causæ formalis extrinsecæ iuxta communiorem in scholis sententiam, in hoc genere concurret ad præmissarum assensum & ratione istius ad assensum conclusionis.

49 *Notabis* 2. Nè quæstio sit de subiecto non supponente, in aliquo sensu, & vero, attingi præmissas, & conclusionem eodem actu; in alio autem sensu, & communi diversos actus pro sui attingentia exposcere. Prima pars tradditur passim à D. Thoma, sed expressius 1. 2. q. 12. artic. 4. vbi ait: *Si absolutè principium, & conclusionem intellectus consideret, diversa est consideratio vtriusque: in hoc autem, quod propter principia conclusioni assentit, est vnus actus intellectus.* Et suadetur ratione ab ipso insinuata:

ra: Actus attingens conclusionem propter principia, & conclusionem, & principia attingit: sed vnus est actu; attingens conclusionem propter principia: ergo vnus est actus attingens conclusionem, & principia.

50 *Secunda* autem pars non minus expressa est in D. Thom. quæst. 8. de verit. art. 15. & 1. p. q. 58. art. 3. & 1. Et alibi sæpè asserente demonstrationem esse discursum formalem, & quod discursus quendam motum nominat, in quo ex vno cognito in alterius cognitionem devenitur, quod saluari nequit sine multiplicitate actuum. Constat etiam ratione. Nam dum attingimus præmissas, & conclusionem, verè discurrimus, aliter in nulla operatione intellectiua manifestaretur esse rationale, seu discursiuum: sed ad discursum verè talem exiguntur plures actus, tùm quia discursus verè talis est motus discretus: Tum quia plura obiecta, & si ordinata discursus exigunt in nobis plures actus, & si ordinatos: Tum quia aliter daretur discursus verè talis in Angelis: Præmissæ ergo, & conclusio exigunt pro sui attingentia pluralitatem actuum.

51 *Sed quomodo* hæc duo in concordiam revocentur difficultatem continet alibi ex professo examinandam. Sufficiat pro nunc advertere veritatem obiectivam præmissarum posse attingi, *vt quod*: & *vt quo*: attingitur, *vt quod*, dum actus fertur signatè, & directè in eiusmodi veritatem: attingitur, *vt quo*, dum ratione illius, actus fertur, signatè, & directè in veritatem obiectiuam conclusionis. Rursus: actum ferri signatè, & directè in veritatem præmissarum stat dupliciter: vel attingendo illam secundum se, & independenter ab eo, quod præcontineat veritatem conclusionis, vel attingendo illam, vt præmissarum veritatem, idest, vt præcontinentem conclusionis veritatem. Exemplum omnium est bonitas finis, quæ potest attingi, vt *quo*, & vt *quod*: attingitur, vt *quo* dum ratione illius attinguntur electiuè media: vt *quod* attingitur dupliciter: vel per simplicem complacentiã, vt bonitas quædam in se est præcisiuè à quolibet influxu in media; vel vt bonitas finis est, cum influxu scilicèt in media qua ratione attingitur per actum intentionis.

52 *Si ergo* veritas obiectiua præmissarum consideretur absolutè, & præcisiuè à continentia veritatis conclusionis, certum est eam exigere ad sui attingentiam diversos actus ab eo, quem exigit veritas conclusionis: cæterum in hac consideratione, nec pluralitas illa actuum componit discursum, cum ibi nullus sit ordo, nulla causalitas; nec ibi sunt præmissæ, vt præmissæ, aut conclusio, vt talis; sed sunt plures veritates pluribus actibus inconnexis attactæ, eo modo, quo si bonitatem finis, & mediorum quamlibet secundum se ames, nullo habito respectu vnius ad alteram: nec in hoc sensu sunt ad rem præsentis difficultatis.

53 Si

53 *Si autem* consideretur veritas obiectiva præmissarum, vt *quo*, & veritas obiectiua conclusionis, vt *quod*, tunc idem actus, qui signatè, & directè fertur in veritatem conclusionis, fertur etiam in directè, & exercitè in veritatem præmissarum. Hic sensus est à D. Thom. intentus in prima authoritate, patetque a simili in actu electionis, quem à fine in aliquo verò sensu specificari, indeque haurire bonitatem etiam, aut malitiam communis fert Theologorum sententia; quod verum non esset, si finem nullo modo attingeret. In hoc tamen sensu dubium præsens est de subiecto non suponente; quia dum præmissæ mentales, & conclusio non sunt plures actus, non adest locus verè causalitati, quam in præsenti exagitamus.

54 *Restat ergo*, vt procedat dubium de actibus attingentibus veritatem obiectiuam præmissarum, vt *quod* non absolutè, sed vt præcontinentem veritatem obiectiuam conclusionis, & de actu attingente hanc veritatem conclusionis, vt *quod*, non absolutè etiam, sed formaliter vt conclusionis veritatem, vt deductam scilicèt ex veritate præmissarum: prout sic enim isti actus, & sunt plures, & ordinati, qualiter ad rationem motus discreti requiritur, eo prorsus modo, quo considerantur in voluntate actus intentionis attingens, vt *quod* finem connotando media, & actus electionis attingens, vt *quod* media connotando finem. Sed quia illi duo actus erga præmissas se habent per modum vnius assensus respectu conclusionis, ideo in singulari numero fit de illo in præsenti termo, & inquiritur, qualis sit illius influxus in assensum conclusionis.

55 *Notabis*. 3. Tria esse in præsenti indubitata: *Primum* est quod præmissarum assensus causat assensum conclusionis: *Tùm* quia ly *fieri* conclusionis cognitionem ex præexistēte assertum à Philosopho aliter saluari nequit. *Tùm* quia in negabile est, quod intellectus non nisi vt actuatus præmissarum assensu elicit assensum conclusionis, vt talis. *Secundum* est, quod assensus præmissarum nequid esse agens, *quod* respectu assensus conclusionis: nam agens, *quod* est agens eliciens actionem: sed assensus præmissarum non est agens eliciens assensum conclusionis, cum assensus præmissarum non sit, qui assentitur conclusioni, sed intellectus ratione illius: ergo non assensus, sed intellectus, vel si mauis, suppositum intelligens est agens, *quod* assensum conclusionis. *Tertium* est, quod assensus præmissarum non concurrit in genere causæ materialis ad assensum conclusionis, quia licet ex tali assensu componatur discursus, secus tamen ipse assensus causatus.

56 *Tandem* notant aliqui, seu potius supponunt assensum præmissarum non concurrere in genere causæ finalis ad assensum conclusionis, cum iste non ordinetur ad illum, sed potius ille ad assensum conclusionis ordinetur. Hoc tamen non

so-

solum supponendum non est tamquam certum; verum reijciendum est, sic sine distinctione traditum, tamquam falsum. *Tùm* quia perfectior cognitio, qualis à supponentibus asseritur assensus præmissarum, non ordinatur ex se, nec est propter imperfectiorem, qualis est cognitio conclusionis. *Tùm* quia licet intellectus ex principijs progrediatur ad conclusionem, non tamen propter hanc cognoscit principia, sed potius propter perfectius penetranda principia cognoscit deductas ex illis conclusiones. *Tùm* quia aliter in sciētia, quam Deus habet creaturarum, in qua cognitio creaturarum est conclusio, & cognitio sui est principium, cognitio sui virtualiter ordinabitur, & erit tamquam propter finem virtualem propter cognitionem creaturarum, & idem à fortiori dicendum erit de nostra scientia beata, quod satis apparet esse falsum.

57 *Nec valet*, quod terminus *ad quem* motus est finis, ad quem motus ordinatur, & cognitio conclusionis est terminus ad quem motus discreti. *Non valet* quidem: Tùm quia hoc solum convincit motum ipsum ordinari ad assensum conclusionis, qui concipitur vt terminus ad quem, secus assensum præmissarum, qui apprehenditur vt terminus à quo: sicut licet frigefactio sit propter frigus, quod est terminus ad quem; calor tamen, qui est terminus à quo non est propter frigus, nec ad hoc per se ordinatur.

58 *Tùm, & verius*; quia falso supponitur motum discretum esse quandam vialem tendentiam inter terminum *à quo*, & *ad quem*: est enim, vt ad præsens attinet, ipsa cognitio principij considerata admodum termini à quo motus localis, revera tamen influens per modum concausæ principalis in cognitionem conclusionis, quæ concipitur vt terminus ad quem, nulla mentali tendentia inter vtrumque terminum mediante. *Transeat* ergo, quod in alijs motibus discretis terminus à quo, qui est terminus purè derelictus, & non causans, ordinetur per se ad terminum ad quem: in tali autem motu discreto, in quo cognitio principij, & si consideretur vt terminus à quo, non est purè derelictus, sed causalitate principali influens, cognitio conclusionis cōcepta, vt terminus ad quem, non est revera terminus ad quem ordinis, sed causalitatis, ac proinde tantum est finis effectus, qui impropriè est finis; sicut si electionem vocares finem intentionis, & sicut nostra salus solet dici finis Incarnationis Verbi.

59 *Quare distinguendum* inter finem *effectum*, & finem *cuius gratia*: qua distinctione supposita, asserendum est præmissarum cognitionem esse propter cognitionem conclusionis, tamquam propter finem effectum, eo modo, quo obiectum specificans dicitur esse propter perfectionem potentiæ; qui finis effectus erit, vel virtualis, vel formalis iuxta vtriusque cognitionis distintionem: quod assertum constat ex dictis, & constabit amplius cum probemus assensum conclusionis esse proprium effe-

effectum in linea efficientis assensus præmissarum. Quantum ad finem vero *cuius gratia*, qui proprie & simpliciter est finis, è converso dicendum est, quod sicut conclusio obiectiva est propter *quod quid est* subiecti, quod est radix, & principium passionum omnium, sivè conclusionum deductarum, ita cognitio conclusionis est ex natura sua propter cognitionem eiusdem quidditatis subiecti, seu principij, à qua pendet in genere causæ principalis ipsa cognitio conclusionis, sivè ipsa conclusio mentalis; omnia enim, quæ de subiecto demonstrantur, ad hoc demonstrantur, vt *quod quid est* subiecti perfectè cognoscatur.

60 *Nec valet* si dicas, quovismodo expositam doctrinam præcedentem supponere falsum: supponit quippè vnam cognitionem posse subordinari alteri, quod falsum esse ostenditur ex eo, quod quævis cognitio est vltima actualitas lineæ intellectivæ: ac pro inde impotens alteri actualitati eiusdem lineæ subordinari; qua ratione plures existentias inter se subordinatas negant Thomistæ in composito substantiali.

61 *Non valet quidem*; quia subordinatio vnius cognitionis ad aliam, est præcisè, vt ad finem extrinsecum perfectiorem, non vt ex ipsa, & cognitione, cui subordinatur, resultet aliquod vnum per se, qualiter resultare posse negant Thomistæ ex pluribus vltimis actualitatibus in linea essendi, scilicet existentijs. *Præter quamquod* licet cognitio sit vltima actualitas, non tamen ita respectu nostri intellectus, vt inqualibet cognitione exprimatur tota vis virtutis intellectivæ, si enim exprimeretur, nulli alteri cognitioni posset subordinari; sed ita, vt iuxta actuationem speciei impressæ perfectius per vnam cognitionem, quam per aliam percipiat intellectus obiectum, vnde relinquitur locus, vt imperfectior perfectiori subordinetur: è contra vero accidit in existentia, quæ totaliter rem extra causas educit, ac proinde pugnat cum conceptu existentiæ partialitas, & sic non est locus vt intra idem compositum plures sint, quarum vna subordinetur alteri.

62 *His prælibatis*, in quibus difficiliora sanè dubia insinuavimus breviter exposita, & alibi fortè diffusiùs exponenda; dissidium, quod restat, ad genus causæ efficientis, & formalis reducitur. Sed cum causa formalis, alia sit purè extrinseca; alia intrinseca, & quæ perficiendo intrinsecè subiectum, vlterius explicat vim effectivam in operationes, vt anima, vel potentia intellectiva; examinandum est, an assensus præmissarum, qui absque dubio perficit intrinsecè intellectum, explicet vlterius vim effectivam in assensum conclusionis, vel potius sistat intra limites causæ extrinsecæ respectu illius, illuminando quidem intellectum, vt eliciat assensum conclusionis, secus tamèn influendo cum intellectu in illum. Hoc secundum sustinent aliqui extra Scholam D.Thomæ: Primum vero propugnāt Thomistæ omnes, quibus adhęrent Suar. Vazq Molin. Rub. Couimb. Fonsec. & alij RR.

§. II.

§. II.

Assensus præmissarum concurrit efficienter ad assensum conclusionis.

63 Stat pro nobis Angel. Præceptor, qui ly *fieri* cognitionem discursivam ex præexistente assertum à Philosopho semper exposuit de causalitate efficiente: plura suppetunt huius rei testimonia apud nostros videnda; nobis enim vnicum sufficit, sed appertissimum, ex hoc lib. 1. Poster. lect. 3. vbi ait: *Principia se habent in demonstrativis, sicut causæ activæ in naturalibus; vnde in 2. Physicor. propositiones syllogismi ponuntur in genere causæ efficientis.*

64 *Probat. conclusio* ratione. Quod intrinsecè complet activitatem virtutis ad aliquem actum, efficientèr concurrit ad talem actum: sed assensus præmissarum complet intrinsecè activitatem virtutis intellectivæ ad actum conclusionis: ergo efficientèr concurrit ad talem actum. Probantur præmissæ, & primo prob. mai: *Tùm* quia, quod intrinsecè complet activitatem virtutis in aliquem actum est perfectio intrinseca illius in esse activitatis ad talem actum: sed virtus concurrit efficientèr ad actum medio eo, quod intrinsecè perficit ipsam in esse activitatis ad actum: ergo. Tùm quia virtutem influere, & eius activitatē, vt intrinsecè completam, & perfectam influere, non est duplex influere, sed vnicum, & in eodem genere causæ: ergo virtutem influere efficientèr in actum est eius activitatem vt intrinsecè completam, & perfectam efficientèr influere in actum; sed implicat activitatem, vt intrinsecè completam, & perfectam efficientèr influere in actum, quin efficientèr etiam concurrat, quod ipsam constituit intrinsecè completam, & perfectam in esse activitatis ad actum: ergo. *Denique.* Id, quo intrinsecè constituitur virtus in esse activitatis ad aliquem actum, efficientèr concurrit ad actum: ergo id, quo intrinsecè constituitur in esse completæ activitatis ad actum, efficientèr concurrit ad actum. Patet conseq. cùm virtus nequeat in actum influere, nisi & sit activitas, & completa activitas in actum.

65 *Iam prob. min.* primi syllogismi. Assensus conclusionis, vt talis, est assensus veritatis, vt deductæ ex præmissis; sed assensus præmissarum complet intrinsecè activitatem intellectus ad assensum veritatis, vt deductæ ex præmissis: ergo complet intrinsecè activitatem intellectus ad assensum conclusionis vt talis. Prob. min. Assensus, qui perficiendo intrinsecè activitatem intellectus, est id, ratione cuius assentitur veritati, vt deductæ ex præmissis, est assensus complens intrinsecè activitatem intellectus ad assensum veritatis, vt deductæ ex præmissis: sed assensus præmissarum perficiendo intrinsecè activitatem intellectus est id, ratione cuius assentitur veritati, vt deductæ ex præmissis: ergo complet intrinsecè activitatem intellectus ad assensum veritatis, vt deductæ ex præmissis.

66 Di-

66 *Dices*: Assensum præmissarum esse id, ratione cuius intellectus assentitur veritati, vt deductæ ex præmissis: cæterum ly *ratione cuius* non denotat, nec efficientiam, nec intrinsecum complementum illius in esse talis, cum intellectus se ipso sit tota, & completa activitas ad quodcumque obiectum proportionatum percipiendum, semel posita specie repræsentativa illius: denotat ergo vim illustrantem, & dirigentem ad assensum conclusionis; sicut in voluntate, quæ ratione propositæ bonitatis prorrumpit in actum, & tamen ly *ratione bonitatis propositæ* non denotat vim efficientem, sed dirigentem, & illustrantem.

67 *Sed contra stat* primò probatio minoris, quæ amplius contra solutionem explicatur. Assensus præmissarum est id, ratione cuius intellectus assentitur veritati, vt deductæ ex præmissis: non ratione cuius, vt præcisè intellectum illustrantis, & dirigentis: ergo ratione cuius, vt intrinsecè complentis eius activitatem. Prob. min. ex dictis. Illustratio, & directio, vt talis, proponit quidem activitati intellectus inquid, & quomodo debeat tendere, non tamen perficit intrinsecè eius activitatem: sed assensus præmissarum perficit intrinsecè intellectus activitatem: ergo vel nullo modo est id, ratione cuius assentitur veritati, vt deductæ ex præmissis, vel non est id, ratione cuius, vt pręcisè dirigentis, & illustrantis.

68 *Obstat* 2. Si Magister dùm dirigit Discipulum, & dum vnus Angelus illuminat alium, aliquid intrinsecum sua illuminatione derivaret in intellectu illuminati, quo eius activitas intrinsecè perfecta prodiret in actum, efficientèr absque dubio influeret in actum: sed assensus pręmissarum ita illuminat intellectum ad assensum conclusionis, vt intrinsecè perficiat eius activitatem: ergo sic illuminat ad assensum conclusionis, vt illuminando intrinsecè compleat activitatem, ac proinde efficientèr influat in talem actum.

69 *Obstat* 3. Intellectus assentiens pręmissis non solum obiectivè, verum subiectivè, & intrinsecè habet aliquid, ratione cuius potius assentiatur, quam dissentiatur veritati, vt deductæ ex præmissis. Ergo assensus pręmissarum concurrit ad talem assensum, non solum extrinsecè determinando, & dirigendo, sed intrinsecè determinando, & complendo intellectus activitatem. Prob. antec. intellectus assentitur veritati, vt deductæ ex præmissis, non solum, quia præmissæ sunt veræ, sed quia præstat, assensum præmissis, quæ sunt veræ nam licet præmissæ essent veræ, si eis non præstaret assensum, nec assensum præstaret veritati, vt ex illis deductæ: sed licet præmissas esse veras sit aliquid obiectivum; & extrinsecum activitati intellectus, illis tamen assensum præstare est, quid subiectivum, & intrinsecum: ergo.

70 *Confirmatur* retorquendo voluntatis instantiam. Voluntatem eligere medium, vt vtile ad consecutionem finis non solum provenit ex eo, quod finis, qui est intentus, est bo-

nus,

nus, sed ex eo, quod finis, qui est bonus, est intentus: ergo intellectũ assentiri veritati vt deductæ ex præmissis, non solum provenit ex eo, quod præmissæ, quibus assentitur, sunt veræ, sed ex eo, quod præmissis, quæ sunt veræ, assentitur.

71 *Explicatur*: Electio medij vt vtilis ad consequtionem finis intenti, non solum dependet obiectivè, & extrinsecè à fine intento, verum intrinsecè dependet ab intentione finis: ergo assensus veritatis, vt deductæ ex præmissis, non solum dependet extrinsecè, & obiective à præmissis, quibus intellectus assentitur, verum intrinsecè dependet ab assensu, quo illis assentitur. Prob. conseq. Ideò primum est verum, quia voluntas media intentione finis eius activitatem intrinsecè determinante, & complente progreditur ad electionem medij, vt vtilis ad consequtionem finis: sed ita euenit in secundo casu, vel assigna, cur finem intendere se habeat intrinsecè ad electionem, & præmissis assentiri se habeat purè extrinsecè ad assentiendum veritati, vt ex illis deductæ: ergo.

72 *Vrgetur* tandem ex ipso solutionis exemplo. Quia obiectum propositum voluntati ipsam determinat, & complet, concurrit ad eius actum; & quia purè extrinsecè determinat, & complet, purè extrinsecè concurrit ad actum: sed assensus præmissarum complet, & determinat intellectum ad assensum conclusionis; alias, cum sit eius intrinseca perfectio, intrinsecè determinat, & complet; ergo concurrit intrinsecè ad assensum conclusionis.

§. III.

Solvuntur Argumenta.

37 Obijcies 1. Posita specie repræsentativa conclusionis, & extrinseca determinatione, & illustratione præmissarum, ponitur quidquid exigitur vt intellectus cognoscat conclusionem demonstrativè: ergo superfluit causalitas effectiva præmissarum in conclusionem ad eam demonstractivè cognoscendam. Prob. ant. Posito quidquid requiritur, vt intellectus cognoscat conclusionem esse veram, & quare sit vera, adest quidquid exigitur, vt eam demonstrativè cognoscat: sed posita specie repræsentativa illius, cognoscit intellectus illam esse veram, & extrinseca illustratione præmissarum cognoscit, quare sit vera: ergo.

74 *Respond.* Eodem argumento posse probari intentionem finis se habere extrinsecè ad electionem medij, quia posita intentione finis, & proposita voluntati conducentia medij, habet quidquid requiritur, vt medium eligat, etiam si ab intentione releges effectivam causalitatem in electionem; ergo cum causalitates multiplicandæ non sint sine necessitate, intentio purè extrinsecè concurret ad electionem. Quare neg. ant. ad prob. disting. mai. adest quidquid exigitur, vt conclusionem demonstrativè cognoscat, demonstratione, *quæ talis sit obiectivè* conc. mai. *quæ talis sit subiectivè* neg. mai.

&c ommissa min. neg. sub eadem distinctione conseq.

75 *Pro quo nota*: quod discursus potest summi dupliciter, obiectivè, & subiectivè: discursus obiectivus consistit in eo, quod veritas obiectiva conclusionis sit deducta ex veritate obiectiva præmissarum, quâ ratione per hoc præcisè, quod cognoscatur Petrum esse admirativum, v. g. & ideò esse admirativum, quia est rationalis, cognoscitur Petrum esse admirativum demonstrativè, demonstratione, quæ sit discursus tantum obiectivus, non subiectivus, & ex parte intelligentis, qualiter Deus, & Angelus scientificè, & demostrativè cognoscunt rem, cum tamen non discurrant, discursu (in quam) verè tali, vt præscindamus à discursu virtuali, sivè æquivalenti, de quo adhùc est sub lite, an in Deo detur, & si frequentius concedatur Angelis. Nec hoc in præsenti exagitatur, an scilicèt ad scientificam, & demonstrativam cognitionem sufficiat discursus purè obiectivus, de hoc enim agunt Theologi 1. p. q. 14. de scientia Dei; sed hoc solum exagitatur, an in discursu subiectivo, & ex parte intelligentis, in quo interveniunt plures cognitiones, assensus conclusionis dependeat efficienter ab assensu præmissarum.

76 *Discursus* igitur subiectivus, & de quo in præsenti, non consistit precisè in eo, quod cognoscatur veritatem vnius esse causam veritatis alterius, hoc enim iuxta dicta cognoscunt Deus, & Angelus, qui non discurrunt: nec vlterius consistit in eo, quod postquam vnum est cognitum, alia cognitione alterum cognoscatur, hæc enim pura successio, vel si multas cognitionum etiam datur, dum non discurrimus; ergo consistit in eo, quod diversis cognitionibus vtrumque cognoscentes ex vi cognitionis vnius in alterius cognitionem deveniamus; sicut motus affectivus voluntatis ex intentione ad electionem subiectivè sumptus non consistit in eo precisè, quod postquam intendi finem, eligam medium ad eius consecutionem vtile, sed in eo quod ex vi intentionis, qua finem intendi, eligam medium ad eius consecutionem vtile. Quod si ita est, probatur ly *ex vi* denotare causalitatem efficientem, quia denotat actualitatem, quæ intellectum intrinsecè perficiendo ipsum subiectivè complet, & determinat, vt activè eliciat assensum conclusionis.

77 *Hinc si Instes*. Dum intellectus cognoscat conclusionem esse veram, & quare sit vera, eam demonstrativè cognoscit, quovis alio secluso; nam assigna ad quam speciem pertineat illa cognitio, si non est verè scientifica, & demonstrativa: ergo voluntarie ponitur illa subiectiva determinatio, & causalitas ad conclusionem demonstrativè cognoscendam. *Resp*. disting. antec. Eam demonstrativè cognoscit, quovis alio secluso, demonstratione, *quæ sit discursus tantum obiectivè*, ommitto antec. *quæ sit discursus subiectivè*, nego antec. nec obstat, quod illa cognitio sit verè scientifica; nam ad hoc sufficit discursus obiectivus, à quo etiam pro nunc præscindi-

dimus, nam solum de cognitione scientifica per discursum subiectivum formalem elicita disputamus.

78 *Obijcies* secundo. Logica dirigit alias scientias ad demonstrationes in earum materia conficiendas, quin ad tales demonstrationes concurrat effectivè iuxta dicta à nobis supra quæst. 1. art. 3. ergo vt præmissæ illuminent intellectum circa assensum conclusionis, non requiritur, quod effectivè concurrant ad assensum conclusionis: sed vt conclusio scientificè attingatur, sufficit species repræsentativa illius, & quod intellectus illuminetur de illa per præmissas: ergo.

79 *Confirm.* 1. Vt intellectus ferat iudicium circa obiectum, quod apprehendit, sufficit apprehensionem illius præcedere, quin apprehensio influat in iudicium: ergo vt intellectus assentiatur conclusioni, cuius præmissis assentitur, sufficit earum assensum præcedere, quin in assensum conclusionis influat. *Confirm.* 2. Quod complet activitatem virtutis se tenet ex parte principij: sed assensus præmissarum non se tenet ex parte principij, cum sit actus secundus: ergo non complet activitatem.

80 *Resp.* concesso antec. disting. conseq. Vt illuminent illustratione, *quæ sit extrinseca obiecti ostensio, & propositio*, concedo conseq. *quæ sit intrinseca determinatio virtutis*, nego conseq. Logica dirigit alias scientias proponendo ipsis obiecta rectè disposita, vt à scientijs attingantur, non vero ipsas intrinsecè determinando, aut perficiendo, qualiter assensus præmissarum, qui est intrinseca perfectio, & determinatio ipsius virtutis elicientis assensum conclusionis; & hoc secundo modo debet esse illustratio ad discursum, qui subiectivè sit verè talis; quidquid sit, an ad discursum obiectivum sufficiat illustratio, quam intendit replica, de quo non curamus.

81 *Ad* 1. *confirmat.* concesso antec. nego conseq. Quia licèt apprehensione non præcedente, intellectus noster non iudicaret, non est tamen apprehensio, vi cuius determinetur ad iudicandum; quod colligimus ex eo, quod sæpè iudicium non conformatur apprehensioni, nam Angelum, vt corporeum apprehendimus, & eum corporeitate carere iudicamus: assensus autem præmissarum præcedit determinando, & complendo, ita vt ex vi illius intellectus, & eliciat assensum conclusionis, & non nisi assensum conclusionis eliciat. *Ad secund. con firm.* respond. Ex probari assensum præmissarum non se tenere ex parte principij productivi assensus conclusionis, non quia sit principium eliciens conclusionis assensum, sed quia principium determinat; & complet ad illum eliciendum; quod patet à simili in intentione respectu electionis.

82 *Obijcies* 3. Implicat intellectum esse facilem ad assensum conclusionis, & non esse intrinsecè completam eius activitatem: sed ex vi solius habitus scientifici intellectus est facilis ad cuiuscumque conclusionis assensum: ergo ex vi illius, quo-

cumque alio præcisso, est activitas intellectus intrinsecè completa ad assensum conclusionis. *Confirmat.* Et si voluntas non possit elicere actum sine propositione obiecti; talis propositio dirigit, & non complet intrinsecè voluntatis activitatem: ergo & si intellectus non possit in assensum conclusionis sine assensu præmissarum, iste assensus diriget, & non complebit eius activitatem.

83 *Respond.* distinguendo mai. Implicat esse facilem, *facilitate immediatè terminata ad assensum conclusionis,* concedo mai. *mediatè terminata*, nego mai. & disting. min. Est facilis, *facilitate immediatè terminata ad assensum præmissarum, & mediatè ad illum,* concedo min. *immediatè terminata ad ipsum*, neg. min. & conseq. Sicut facilis ad ponendam causam, ex qua sequitur effectus, est facilis ad ponendum effectum, quin ideò inferatur positionem causæ non influere in positionem effectus; ita intellectus habens habitum scientificum, cum sit facilis ad assensum præmissarum, ex quo assensus conclusionis sequitur, etiam est facilis ad assensum conclusionis, qui ex illo sequitur, quin ex hoc inferatur per assensum præmissarum intellectum non compleri: imò quia est facilis ad hoc intrinsecum complementum, à quo dependet conclusio; est etiam facilis ad conclusionem, quæ ab illo complemento dependet.

84 *Ad confirm.* neg. conseq. cuius disparitas constat ex dictis: nam sine propositione intellectus non stat posse proximum voluntatis, tamquam à manifestante obiectum, in quod tendat, non tamquam à dante perfectionem intrinsecam, qua per actum tendat: assensus vero præmissarum, & ostendit causam obiectivam, quare intellectus in conclusionem tendat, & est simul illius determinatio, & perfectio subiectiva, qua intrinsecè actuatus tendat per assensum in illam.

85 *Obijc.* 4. Nequit esse causa efficiens assensus conclusionis, quod non existit in instanti, in quo assensus conclusionis producitur, nam causa efficiens, non nisi existendo causat: sed assensus præmissarum in instanti, in quo assensus conclusionis producitur, iam non existit: *Tùm* quia aliter intellectus simul plura intelligeret, & duplici simul actuaretur vltima actualitate: *Tùm* quia vterque assensus componit motum discretum, qui nequit exerceri in instanti, sicut nec quicumque motus: ergo assensus præmissarum non est causa efficiens assensus conclusionis.

86 *Respondent* aliqui neg. min. cuius prima probatio parum vrget: quia nec intellectus intelligit plura vt plura, dum plura intelligit invicem connexa, & ordinata, qualiter connectuntur veritates obiectivæ præmissarum, & conclusionis; nec pluribus simul cognitionibus inter se ordinatis actuari videtur inconveniens, vt nos etiam supra asseruimus reddentes disparitatem inter vltimam actualitatem essendi, & operandi.

Cæte-

Cæterum quia secunda probatio continet difficultates de natura motus discreti, & an noster discursus sit verus motus discretus, ita vt necessario vnus assensus sit post alium, & non simul cum alio, quæ difficultates non solum alio ex se expectant, verùm dependent, etiam vt ad præsens conducunt, à necessitate, qua fit assensus ex præmissis, de quo statim; ideo.

87 *Aliter respond.* disting. mai. quod non existit, *nec in se, nec in aliquo ex se relicto*, concedo mai. quod non existit, *in se præcisè*, nego mai. & disting. min. non existit, *in se formaliter*, concedo min. *virtualiter in aliquo ex se relicto*, nego min. & conseq. Deficiente enim existentia assensus præmissarum, perseverat determinatio, quam in intellectu reliquit ad assentiendum conclusioni, sicut transacta intentione, perseverat determinatio ex illa relicta in voluntate, in qua ipsa virtualiter existit: hanc autem virtualem existentiam assensus præmissarum sufficere ad causalitatem effectivam assensus conclusionis patet à simili intentionis, cuius sunt effectus omnes actus, qui ad finis intenti consequtionem tendunt, ipsa multoties iam non existente. Sed quid sit illa determinatio, seu in quo consistat, an scilicet, sit aliqua species ex assensu relicta, vel aliquis modus ex ipso derivatus iuxta diversa placita, communis est difficultas omnibus illis, quæ elapso tempore ab eorum desitione causant, de quo alibi.

§. IV.

Assensu præmissarum necessitatur intellectus, quoad specificationem ad assensum conclusionis.

88 **C**Onclusio est inter Authores communis, si vnum, vel alterum excipias. Pro eius intelligentia præmittendum est ex D. Thoma 1. 2. q. 9. art. 1. Quod sicut potentiæ animæ dupliciter sunt in potentia indifferenti, vno modo quantum ad agere, vel non agere, alio modo quantum ad agere hoc, vel illud; ita dupliciter possunt esse necessitatæ, vel ita, vt non possint nisi hoc in specie agere, ex suppositione, quod agãt, vel ita, vt non possint non agere: prima necessitas dicitur necessitas quoad specificationem, quia est determinatio ad hanc speciem actus; secunda verò dicitur necessitas quoad exercitium, quia est determinatio ad agere, seu ad actum, qui est potentiæ exercitium. Intellectus ergo necessitatus ad assensum conclusionis quoad specificationem est intellectus, qui ex suppositione quod in conclusionem tendat, necessum est, vt tendat assentiendo, & non dissentiendo, ac proindè est intellectus impotens conclusioni dissentiri: intellectus verò necessitatus quoad exercitium ad conclusionis assensum est intellectus, cui necessum est, vt conclusioni assentiatur, ac proindè est impotens non assentiri illi. De prima necessitate loquimur in præsenti conclusione, assertioni sequenti relinquentes secundam.

89 *Similiter* præmittendum est resolutionem præiactam esse respectu intellectus, qui cognoscens præmissas esse veras, cognoscit illas cum conclusione connecti: nam licèt præmissæ demonstrationis sint evidentes, ratione cuius evidenter ab intellectu cognoscantur, si tamen ignoret eas esse cum conclusione necessario connexas, & si ipsæ sint connexæ, poterit postquam assentitur præmissis, dissentiri conclusioni: quod fortè, & non aliud intendit, vel saltim probat vnus, vel alter, qui à proposita conclusione recedit. Vndè assertum nostrum est; quod posito assensu præmissarum demonstrationis, est impotens intellectus dissentiri cuicumque conclusioni, quam cognoscat ex illis præmissis benè sequi.

90 *Prob. conclusio* hac ratione. Intellectus, cui necessum est, vt si cognoscat conclusionem, cognoscat eam esse veram, est impotens dissentiri conclusioni: sed supposito assensu præmissarum, necessum est intellectui, vt si cognoscat conclusionem, cognoscat eam esse veràm: ergo supposito præmissarum assensu est impotens dissentiri conclusioni. Mai. est evidens; quia cum dissensus essentialiter sit à falso, vel quod in re sit falsum, vel quod existimetur falsum, licèt in re sit verum, implicat intellectum posse dissentiri conclusioni, quam nequit existimare falsam: sed intellectus, cui necessum est, vt si cognoscat conclusionem, cognoscat eam esse veram, nequit conclusionem existimare falsam: ergo. Min. verò probat. *Tum* quia intellectui cognoscenti evidenter, & quod præmissæ sunt veræ, & quod conclusio quælibet ex illis illata debet esse vera, necessum est, vt si cognoscat conclusionem, quæ infertur, cognoscat eam esse veram: sed intellectus, supposito præmissarum assensu, cognoscit evidenter præmissas esse veras, & quod conclusio quælibet ex illis illata debet esse vera, cum ex verò non possit sequi nisi verum, & hoc sit notum: ergo.

91 *Quam rationem* ideò proposuimus vtentes semper illa conditionali, *si conclusionem cognoscat*, & non absolutè dicendo, *cognoscit conclusionem esse veram*; quia adhuc sub iudice lis est, an assentiendo præmissis cognoscat simul conclusionem esse veram; hoc enim sonat necessitatem *quoad exercitium*, de qua in resolutione sequenti; nam ad necessitatem quoad *specificationem* non requiritur, quod assentiendo præmissis, seu cognoscendo præmissas esse veras, cognoscat conclusionem esse veram; sed quod si eam cognoscat, cognoscat eam esse veram, & non possit cognoscere eam esse falsam. Vndè vt difficultates reverà distinctæ non confundantur, cognitio veritatis conclusionis exponenda est conditionatim.

92 *Obijcies.* Modi concludentes indirectè inferunt ex eidem præmissis conclusiones specie diversas, à conclusionibus, quæ in modis directè concludentibus inferuntur, v.g. *Baralipton*, & *Barbara*: ergo assensus talium conclusionum sunt specie diversi: sed positis eisdem præmissis, & earum assensu, manet intellectus indifferens ad assensum conclusionis directè, &

ad

ad assensum conclusionis indirectæ: ergo manet indifferens ad assensus specie diversos, & consequenter non necessitatur quoad speciem.

93 *Confirm.* In modis imperfectis secundæ, & tertiæ figuræ non apparet immediatè bonitas consequentiæ, cum necessum sit ad eam evidenter ostendendam vti deductione ad impossibile, & reductione ad modos perfectos: ergo respectu syllogismorum, qui in illis modis conficiuntur, potest quis, posito assensu præmissarum, dissentiri conclusioni: sed eiusmodi syllogismi (modo sint in materia necessaria) sunt demonstrativi: ergo posito assensu præmissarum demonstrationis, adhuc potest intellectus dissentiri conclusioni.

94 *Vrgetur.* Posito assensu præmissarum opinabilium per legitimam consequentiam inferentium conclusionem opinabilem, potest intellectus dissentiri conclusioni, cum ad opinabilium assensum nequeat dari necessitas: sed posito assensu præmissarum, intellectus iudicat præmissas esse veras: ergo vel ex vero non semper sequitur verum, vel hoc non probat, quod assentiri vni sit necessitas ad assentiendum alteri.

95 *Respond.* Omissis omnibus vsque ad vltimum consequens, quod sub infertur, & illud dist. non necessitatur quoad speciem assensus *prædissensu*, neg. conseq. *huius assensus præalio*, ommitt. conseq. Consultò diximus in prob. conclusionis intellectum necessitari à præmissarum assensu ad cuiuscumque assensum conclusionis, quam cognoscat evidenti illatione sequi ex præmissis; quod autem sit necessitas ad huius, & non alterius conclusionis assensum, parùm refert ad præsens, cum non defendamus intellectum necessitari ad hanc speciem infimam assensus, sed ad speciem assensus.

96 *Ad confirm.* resp. In omnibus syllogismis rectè constructis bonitatem consequentiæ esse ex se immediatè notam, cum benè sequi, & sequi in nullo differant nisi in plurium vocum expressione: nec deductio ad impossibile, vel reductio ostensiva ad modos perfectos convincit oppositum; quia multoties prima principia declarantur simili deductione, & reductione etiàm ad vniversalissimum principium, quin tali deductione ex se indigeant, licèt eo medio declarentur ignorantibus. Ex hoc autem solum sequitur, quod supra notavimus, talem scilicèt assensum non necessitare per accidens ignarum; non verò sequitur eum non esse necessitantem ex se, & respectu intellectus, qui vim consequentiæ percalleat.

97 *Ad id*, quo vrgetur argumentum plures respondent in omni discursu probabili intellectum non necessitari ab assensu præmissarum ad assensum conclusionis: quod sibi persuadent ex eo, quod intellectui possunt occurrere aliæ præmissæ æque probabiles, vel probabiliores prioribus, quibus præstitit assensum, quarum maiori probabilitate motus inferat oppositum conclusionis. *Similiter* potest intellectus adhuc concessis præmissis, cum earum veritas evidenter non appareat, vlterius eas exami-

nare, & negare, & sic etiam negare conclusionem. *Ac tandem*, quia etiam concessis præmissis, timet nè sint falsæ: ergo illis adhuc concessis, potest consequenti dissentiri.

98 *His non obstantibus*, cum distinctione loquendum est; vndè dicendum est primo: *Quoties conclusio est vera solum probabiliter, intellectus non necessitatur necessitate consequentis ad illi assentiendum.* Necessitatem consequentis vocamus necessitatem petitam à veritate consequentis; & eam non dari in probabilibus convincunt insinuata. Patet insuper ex eo quod necessitas assensus solum petitur ab evidentia veri: sed consequens probabile non est evidenter, imò nec certò verum: ergo. Vndè hanc necessitatem consequentis solum scientificæ demonstrationes petunt, sed non omnes; nam Theologica demonstratio est scientifica, & omnino certa consequentis certitudine, non tamen necessaria necessitate consequentis; est ergo propria demonstrationum procedentium ex præmissis, quarum vtraque sit evidenter vera.

99 Dicendum est secundo: *Quando tantum est probabile, quod consequens infertur ex præmissis, intellectus non necessitatur ex earum assensu ad assensum conclusionis.* Hoc assertum comprehendit præmissas, & conclusiones etiam evidentes; & probatur ex eo, quod vt supra diximus, necessitas ad assensum conclusionis provenire nequit ab assensu præmissarum, nisi constet eas cum conclusione connecti: ergo hoc secundo deficiente, & si ponatur primum, talis necessitas non dabitur: sed dum tantum est probabile, illud non constat: ergo. Ex quo infertur, quod tale consequens petet ex se, si est evidens, assensum necessarium; ex vi tamen assensus præmissarum, quas tantum probabile est cum ipso connecti, nulla datur necessitas ad illi assentiendum.

100 Tandem dicendum est: *Assensus præmissarum probabilium necessitat ad assensum conclusionis deductæ ex illis per evidentem consequentiam.* Imò etiam si præmissæ essent falsæ, eis tamen ab intellectu semel acceptatis, vt veris, & præstito illis assensu necessitabitur ad assensum conclusionis, quæ per evidentem consequentiam deducatur ex illis. Assertum probatur ex eo, quod intellectus iudicans præmissas esse veras, & conclusionem cum illis necessario connecti, necessitatus est, vt si cognoscat conclusionem, iudicet eam esse veram, ac proindè eadem necessitate compulsus est, vt illi assentiatur: sed intellectus assentiens in prædicta hypothesi præmissis, iudicat eas esse veras, quia assensus est essentialiter circa verum, vel quod sit in re tale, vel quod iudicetur, vt tale; alias cum consequentia sit evidens, iudicat conclusionem cum illis necessario connecti: ergo. *Aliter.* In hoc syllogismo, omne quod est lapis est substantia, homo est lapis, ergo substantia, si quis concessis præmissis dissentiretur conclusioni, concederet duplicem contradictoriam, nimirum, aliquid, quod iuxta ipsum dissentientem est lapis (homo videlicet) non esse substantiam, & omne, quod est lapis, esse substãtiam: sed

sed duplici contradictoriæ assentiri est impossibile: ergo,& quod concessis præmissis, dissentiatur conclusioni.

101 *Nec valet*, quod hæc necessitas sit tantum in vi consequentiæ, ac proindè sit necessitas secundumquid talis. *Nam solutio* non est ad rem præsentis difficultatis: fatemur quidem, quod demonstratio in hoc differt à discursu probabili, quod cum præmissæ demonstrationis sint evidentes, nequit intellectus, earum veritate sibi repræsentata, illi dissentiri; quod è converso accidit in probabilibus, & opinativis præmissis, quibus cognitis, potest intellectus dissentiri, cum in illis nil appareat cogens ad assensum, ac proindè ex meritis earum nil apparet, quod cogat ad assensum conclusionis. Hoc tamen totum est extra rem præsentis difficultatis; nam si semel posito præmissarum assensu, & stante bonitate consequentiæ, intellectus iam non potest dissentiri conclusioni: ergo licet talem impossibilitatem dissentiendi non petant ex se, nec præmissæ, nec consequens, ex suppositione tamen assensus earum, iam tenetur necessario intellectus ad non dissentiendum consequenti: hoc, & non amplius, inquiritur in præsenti: ergo datur ea necessitas, quam præsens exagitat dubium.

102 *Ex his constat* ad fundamenta pro opposita sententia insinuata, num.97. *Ad primum quidem*; quia vel præmissæ de novo ocurrentes, etiam probabiliores, faciunt intellectum mutare dictamen, & in assensum oppositum priori transire, vel hoc non faciunt, sed perseverat primus assensus? Si faciunt, poterit quidem dissentiri conclusioni; sed prius dissentietur præmissis: si non faciunt, perseverante primò assensu nequit dissentiri conclusioni: ergo solum convincitur non dari necessitatem antecedentem ad non dissentiendum conclusioni, quod fatemur, non verò non dari necessitatem consequentem, seu ortam ex suppositione assensus præmissarum, quæ necessitas est, quę in præsenti exagitatur. Quod si antequam vllus sit assensus occurrant præmissæ oppositę æquè probabiles, neutræ quidem petent assensum; ex suppositione tamen, quod intellectum determinet voluntas ad assentiendum his, & non illis, ad harum conclusionis assensum necessitabitur. Per quod constat ad secundum.

103 *Ad 3. respond.* Illo convinci non necessitari intellectum ad assensum evidentem conclusionis, secus verò non necessitari ad assensum illius probabilem; nam sicut non obstante formidine præstitit assensum præmissis, ita illa non obstante, tenetur ad non dissentiendum conclusioni: nam hęc iuditia sunt diversa: *Hoc consequens potest esse falsum. Hoc consequens supposita veritatè principij, ex quo euidenter infertur, nequit esse in vi illius falsum.* Cognoscit ergo signatè intellectus se posse dissentiri illi conclusioni, quia signatè etiam cognoscit se posse dissentiri præmissis; cęterum exercitè nequit potentia consequenti illi dissentiri ex suppositione assensus pręmissarum.

§. V.

§. V.

Assensus præmissarum non necessitat quoad exercitium.

104 H*Anc conclusionem*, quam ex nostris tuetur Prado, & probabilem satis reputat in via D.Thomę Parra, conformiorem iudicamus plurimis Ang. Præceptoris testimonijs circa naturam discursus, quæ vix aut ęgrè possunt in opposita sententia substineri, salva eorum veritate. Pro quo nota assensum conclusionis esse duplicem: alium virtualem, & implicitum, qui est idē formaliter cum ipso præmissarum assensu, nam assentiens principio, in quo aliud virtualiter continetur, per eundem assensum, quo formaliter assentitur principio contentivo, virtualiter, & implicitè assentitur veritati in illo contentæ, & de hoc assensu conclusionis, quem fortè, & non alium, probant fundamenta opposita, nulli venit in mentem disputare, quia evidens est, quod assensus pręmissarum, sit necessitas ad assentiendum virtualiter, imò est ipse virtualis assensus conclusionis. Alius est assensus conclusionis formalis, & expressus tendens directè ad illam, & qui est mentalis conclusio primi assensus, & de hoc procedit disputatio.

105 *Similiter nota*: nulli etiam esse dubium, quod si intellectus sit sufficienter applicatus media applicatione ad præmissas, ad iudicandum, & cognoscendum conclusionem esse varam, necessitatus quoque erit quoad exercitium ad assentiendum veritati illius; cum ex vna parte assensus conclusionis nihil aliud sit quam iuditium evidens de illius veritate, & ex alia intellectus semel à voluntate applicatus operetur naturaliter circa id, ad quod applicatur; sicut nequit potentia visiva suspendere visionem obiecti, ex suppositione quod à voluntate applicetur. In hac ergo conditionali: *si intellectus media applicatione ad præmissas est sufficienter applicatus ad cognoscendum conclusionem esse veram, nequit assensum illius suspendere*, convenimus cum authoribus oppositæ sententiæ: ceterum in purificanda conditione est litigium: *Est ne sufficienter applicatus, vel non?* Quod quia plures non notant, magnam conclusionis propositæ probabilitatem non advertunt, supponentes, seu in fundamentis conculcantes sufficientiam applicationis, cum tamen ea esset ex professo probanda, vtpotè à qua dependet resolutio difficultatis.

106 *Prob. ergo* non purificari conditionem expressa D. Thomæ doctrina 1.p.q.14. art.7. In quo vt Deo deneget discursum, asignans duplicem discursum, alium secundum successionem, alium secundum causalitatem, & ex vtroque eliciens rationem, vt discursum in cognoscendo releget à Deo, sic ait: *Primò quidem: quia secundus discursus præsupponit primum: procedentes enim à principijs ad conclusiones non simul vtrumque considerāt. Deindè: quia discursus talis est procedentis de noto ad ignotum: vndè manifestum est, quod quādo cognoscitur primum, adhuc ignoratur secundū: & sic secundū nō cog-*

cognoscitur in primò, sed ex primò. Terminus verò discursus est, quando secundum videtur in primo, resolutis effectibus in causas, & tunc cessat discursus. Idem repetit 1. p. q. 58. art. 3. vt deneget discursum Angelis, & alibi sæpè. Ex quo elicitur ratio à priori in prædicto testimonio insinuata, qua simul non purificatio conditionis, & conclusio ipsa probatur.

107 *Intellectus* non est sufficienter applicatus media sola aplicatione ad præmissas, ad eliciendum formalem assensum conclusionis: ergo adhuc posita applicatione ad præmissas, indiget intellectus ad illum eliciendũ noua applicatione voluntatis: sed in hac noua applicatione voluntas est libera: ergo elicientia illius assensus est libera, posito adhuc assensu præmissarum. Omnia constant, si anteced. & minorem subsumptam excipias. Prob. primò anteced. Intellectus media applicatione ad præmissas solum est applicatus ad verum præmissarum: sed in verò præmissarum non repræsentatur intellectui verum conclusionis sufficienti modo, vt ad illum tendat per formalem assensum: ergo adhunc assensum non est sufficienter applicatus per primam applicationem. Vtraque præmissa constat ex præiacto testimonio D. Thomæ, quia aliter procedentes à principi js ad conclusiones simul vtrumque considerarent, & dum cognoscitur primum, non ignorarent adhuc secundum, vndè non procederent de noto ad ignotum; ac tandem, & vrgentius, quia non daretur in nobis discursus, vel discrimen inter nos, & Angelos esset de voce: nam si dum cognoscimus verum præmissorum, in ipso repræsentantur iam sufficienti modo ad assensum expressum veritas conclusionis: ergo cognoscimus clare hoc in illo: ergo superfluit (& consequenter non datur) cognitio, qua cognoscamus hoc ex illo: ergo ipse assensus præmissarum est formalis assensus conclusionis: ergo non discurrimus, vel asigna rationem, quare non detur discursus in Angelis.

108 *Dices*: Quod licèt veritas conclusionis solum repræsentetur evidenter, & clare immediatè, & in se ipsa, quando repræsentatur formaliter, & expresè; mediatè tamen, & in alio potest repræsentari *euidenter*, & *clarè*, quamvis non repræsentetur *explicitè*; & ita repræsentatur in præmissis evidentibus, & infallibiliter cum illa connexis, quod satis est, vt supposito primò assensu, secundus necessario eliciatur.

109 *Alij dicunt*, quod vel D. Thomas est accipiendus de principijs cognitis secundum se, non verò cognitis vt contentivis conclusionum, qua ratione inserviunt discursui; vel quod si de illis, vt contentivis, loquitur, in ipsis provt sic cognitis, cognoscit intellectus expresè causam conclusionis, & cum sit causa necessario connexa cum conclusione, ex prima cognitione expressa necesitatur ad habendam expressam cognitionem conclusionis.

110 *Sed prima solutio* videtur contradictoria involuere. Quid est enim repræsentari *euidenter*, & *clarè*, & non repræsentari *explicitè*? Si enim re-

repræsentatur clarè: ergo repræsentatio exprimit repræsentativè conclusionem: ergo *expressè* repræsentatur: ergo repræsentatur *explicitè*, nisi vlterius fiat distinctio inter *expressè*, & *explicitè*: ergo si conclusio in præmissis repræsentatur clarè, repræsentatur explicitè. Sed quidquid sit de voce: ergo intellectus in verò præmissarum cognoscit clarè, & evidenter verum conclusionis: ergo non indiget alia cognitione, quæ sit conclusio mentalis, & qua cognoscat conclusionem in se ipsa. Prob. conseq. Nam ideo Deus, & Angeli non indigent illa distincta cognitione, & consequenter non discurrunt, quia in principio ipso cognoscunt clare evidenter veritatem quæ continetur in illo. *Deindè* quomodo verificantur omnes illæ propositiones D. Thomæ, scilicèt, quod dum intellectus noster discurrit, non simul vtrumque considerat; quod procedit de noto ad ignotum; quod non cognoscit secundum in primo sed ex primo?

111 *Secunda solutio* quantum ad 1. partem ad aliud divertit: nam vel intellectus noster progreditur ex principijs secundum se ad conclusiones, vel ex principijs, vt contentivis: si ex illis secundum se: ergo cum per te in veritate illorum secundum se non appareat verum conclusionis, per applicationem ad primum verũ, non est applicatus, vt requirit formalis assensus, ad secundum verum. Si ex principijs, vt contentivis; ergo ex principijs, vt contentivis, progreditur discurrendo. Vel ergo in principijs contentivis apparebat clare veritas conclusionis, vel solum implicitè: si implicitè, vndè probas adesse necessitatem ad assensum explicitum, & formalem de quo est dubium. Si evidenter, & clarè: ergo falsò dixit D. Thomas, quod dum procedimus discurrendo ex principijs ad conclusionem, procedimus de noto ad ignotum, & falsæ quoque sunt reliquæ eius propositiones: ergo non obstante, quod cognoscamus evidenter conclusiones in principijs, ex quibus dicimur discurrere, verè tamen discurrimus: ergo nulla est ratio, qua discursus denegatur Angelis.

112 *Per secundam* solutionis partem proximior est ad veritatem accessus. Sed contra ipsam obstat, quod D. Thomas docet discursum nostrum esse discursum etiam secundum successionem, ex quo intulit, quod non simul consideramus principium, & conclusionem: ergo esse cognitionis vnius est in non esse, seu cum iam non existit cognitio alterius: sed si cognitio vnius necessitaret ad cognitionem alterius, vtraque cognitio existeret in eodem instanti: ergo. Quod præsertim vrget, si partes, seu termini motus discreti nequeant coexistere non solum in eodem instanti temporis discreti (hoc enim est imposibile) verùm nec in eodem instanti temporis nostri. Sed quia hæc aliò spectant ex professo discutienda, ideo his insinuatis.

113 *Aliter impugnatur* solutio. Intellectus iuxta solutionem solum est applicatus ex vi applicationis ad verum, quod est causa veritatis conclu-

clusionis; sed in illo verò, quod est causa, solum implicitè importatur veritas conclusionis: ergo ex vi primæ applicationis solum est applicatus, vt exigitur ad assensum conclusionis implicitum, de quo non est dubium, non tamen vt exigitur ad assensum conclusionis expressum, & formalem, de quo disputamus. *Vel aliter.* Eo modo est applicatus ad cognoscendum verum conclusionis ex vi applicationis ad verum præmissarum, quo verum conclusionis repræsentatur, seu importatur in verò præmissarum: sed solum importatur implicitè: ergo solum est applicatus ad cognoscendum implicitè verum conclusionis ex vi applicationis ad verum præmissarum.

114 *Nec valet* si dicas ita esse: cæterum cum verum præmissarum, in quo continetur, sit connexum cum veritate ipsius conclusionis, cui postea assentitur intellectus expressè, & formaliter, prima applicatio ad cognoscendum implicitè veritatem conclusionis est sufficiens applicatio ad illi postea assentiendum formaliter. *Non valet* quidem; nam hæc est petitio principij, & circulus, quin vlla assignetur oppositæ sententiæ ratio. Prob. assumptum; dum redditur pro causali necessitatis quoad exercitium sufficiens applicatio, & dum hac applicationis sufficientia impugnata, redditur pro ratione connexio vnius veri cum alio; vel sumitur connexio pro necessitate existendi vnum existente alio; vel pro necessitate cognoscendi vnum ex suppositione, quod cognoscatur aliud.

115 *Si primum*; nihil ad rem, cum ex eo, quod necessum sit vnum existere, existente alio, minimè inferatur necessum esse, vt qui cognoscat vnum, cognoscat, & aliud, cuius tot ferè suppetunt exempla, quot connexa. Si secundum: ergo necessum est quod intellectus cognoscat cognitione evidenti, & explicita (de qua sola est dubium) veritatem conclusionis ex suppositione, quod cognoscat veritatem præmissarum: sed hoc redditur pro ratione sufficientiæ applicationis, & sufficiens applicatio redditur pro ratione eiusmodi connexionis: ergo impugnata sufficientia applicationis recurrit solutio ad connexionem, quæ vertitur in vtrum; & impugnata connexione recurrit ad sufficientiam applicationis, de qua dubitatur.

116 *Quod si sufficiens* aplicatio non est applicatio ad præmissas, vt cognoscatur conclusio modo, quo requiritur, vt ad illam tendat intellectus per assensum formalem, & evidentem: ergo indiget intellectus noua applicatione voluntatis; sed voluntas in hac applicatione est libera quoad exercitium: *Hæc est illa* min. sub sumpta primi syllogismi nostræ rationis, quæ iam prob. Tum quia ex D. Thoma 2.2. q.2. art.9. licet liberum non sit voluntati detinere intellectum, ne præstet assensum rei scitæ, cui iam attendit, tamen liberū est ipsi facere, quod intellectus ad rem scitam non attendat, sed hæc applicatio, de qua in præsenti, est applicatio, vt intellectus attendat, & cognoscat expressè, & directè conclusio-

tionem, quam in præmissis solum cognoscebat in directè, & implicitè: ergo in hac applicatione est libera.

117 Tum quia ex eodem D. Thoma 1.2.q.7.art.1.ad 3. *Ipsum verum est quoddam particulare bonum contentum sub bono vniuersali.* Ex quo intulit D. Thomas, quod nullo verò quantumvis necessario potest necessitari voluntas quoad exercitium. Ex quo vlterius sequitur, quod cum id, quod intellectui proponitur vt verum, voluntati proponatur vt bonum, solum vbi inveniat voluntas summum bonum pro motivo suæ applicationis, poterit necessario se applicare necessitate quoad exercitium: sed in illa applicatione sui, & intellectus ad conclusionem scientificam, non apparet summum bonum, sicut non apparet summum verum: ergo. Tum quia potest voluntas, si semel est necessaria nova applicatio, tollere motivum necessitatis huius novæ applicationis; nam potest suspendere actum quo habet intellectũ applicatum ad præmissas, qua prima applicatione sublata, non dabitur secunda applicatio, sicut postquam intendit finem, potest iterum finis intentionem retractare, qua retractatione posita, non dabitur, nec applicatio intellectus ad consilium de medijs, nec applicatio sui ad electionem. *Denique*: quia hoc non est dubium ipsis AA. oppositę sententię, qui ideo eam defendunt, quia existimant, quod licet voluntas possit non applicare intellectum ad considerandas præmissas, semel tamen illo applicato, etiam est applicatus ad conclusionem, & consequenter nequit ei non assentiri.

118 *His iam stabilitis*, nil ferè restat obijciendum, cum præcipuum sententiæ oppositæ fundamentum impugnatum maneat, & solutum. Nihilominus obijcies D. Thomam 1.p.q.82.art.2. asserentem, *quod intellectus ex necessitate assentit cognita connexione necessaria conclusionum ad sua principia per demonstrationis deductionem*; quam necessitatem comparat ibi necessitati provenienti ex visione Dei ad amorem ipsius, quam constat esse talem quoad exercitium. Similiter lib. 1. Posteriorum lect. 2. asserit ex Philosopho, quod assensus minoris est simul tempore cum assensu conclusionis, licet sit prior natura.

119 *Confirm.* 1. Quoties duo termini connectuntur necessario, actio, quæ terminatur ad vnum, nequit non terminari ad aliud: sed iuxta D. Tho. 1. post. lect. 13. ex necessitate sequitur conclusio ad præmissas. *Confirm.* 2. Ideo docetur communiter ex D. Thom. quod voluntas necessitatur quoad exercitium ad diligendum Deum clarè vissum, quia in illo, prout sic visso nulla potest inveniri ratio mali: sed supposito assensu premissarum evidentium nulla in illis apparet ratio falsi, nec etiam illa apparet in connexione earum cum conclusione: ergo necessitatur intellectus quoad exercitium ad assentiendum conclusioni.

120 *Confirm.* 3. Nequit intellectus magis determinari ex vehementi passione, & imaginatione obiecti sensibilis, quam ex evidente cognitio-

tione veritatis præmissarum: sed ex primo determinatur ad cognitionem illius obiecti sensibilis determinatione necessaria quoad exercitium: ergo. *Vrgetur* supposita intentione efficaci finis, & quod non detur, nisi vnum medium, etiam si electio illius sit nouum exercitiũ voluntatis, hæc electio, applicatio; seu exercitium est quoad exercitium necessarium: sed posita maiori euidenti, & determinata per minorem, hæc, & non alia conclusio cum præmissis connectitur: ergo etiam dato, quod opus sit noua applicatione intellectus ad conclusionem, hæc applicatio, supposita prima erit quoad exercitium necessaria.

121 *Resp.* Nihil magis alienum à veritate quam D. Thomam intendisse in primo testimonio necessitatem quoad exercitium, vt notat ibi Caiet. §, *Aduerte secundo*: nam D. Thomas ibi agit de omnibus bonis, vt ostendat quænam ex illis ex necessitate velit, & quænam libere, ad quod adducit similitudinem veritatum intellectus, vndè & proponit bona, ad quorum amorem voluntas necessitatur quoad specificationem, nimirum ea, quæ cum beatitudine connectuntur, & huic intento deseruit necessitas adducta demonstrationis: & tandem concludit, quod voluntas videntis Deum diliget cum necessario; sed huic necessitati non comparat demonstrationis necessitatem.

122 *Similiter ad 2.* testimonium dicendum est, quod si discursus noster est motus successiuus discretus, vt ex dictis videtur probabilius in D. Thom. nihil habetur ex illo testimonio, quod nostram cõclusionem impugnet, nam quod ille duplex assensus coexistat eidem tempori discreto non probat, quod coexistat eidem instanti, cum hoc sit impossibile, sed necessario erunt duo instantia mensurantia existentiam vtriusque, sed quia ab hoc pro nunc præscindimus, dicendum est, vel quod sunt simul tempore, quia est imperceptibilis regulariter inter vtrumque mora; vel quod regulariter coexistunt in eodem instanti, quia licet voluntas possit absolutè applicationem suspendere, regulariter hoc non facit.

123 *Ad 1. confirm.* constat ex dictis eius falsitas; quod si esset vera, probaret ipsum assensum expressum præmissarum esse expressum assensum conclusionis: vndè cum D. Tho. dixit conclusionem sequi ex necessitate ex præmissis intelligendus est de præmissis, & conclusione obiectivè sumptis, idest, quod ad esse hominem sequitur necessario esse risibilem, non tamen sequitur necessario ad cognitionem hominis cognitio risibilitatis.

124 Ad 2. concessis præmissis, neg. conseq. imò suppositum conseq. Scilicèt, quod voluntatem posse suspendere assensum conclusionis proveniat ex cognitione alicuius falsitatis: iam enim diximus respectu voluntatis respici vt bonum, quod respectu intellectus dicitur verum; vndè supposito, quod necessaria sit noua applicatio (quod per hanc confirmationem non attingitur) potest inuenire disconuenientiam in applica-tio-

tione, quia sicut obiectū non est summum verum, ita non est summū bonum, & sic replica æquivocat omnino verum & summum verum.

125 *Ad* 3. *vel neg.* min. cuius falsitatem convincit satis M. à S. Thoma 1.2. q.8. disp.5. art.5. Cum etiam illa vehementia posita, possit absolutè voluntas, & si non faciliter, alio divertere intellectum. Vel hoc ommisso, neg. mai. Quia imaginatio vehemens expresè præsentat intellectui obiectum; & cum alias supponatur vehementiam non posse cohiberi, etiam cognitio illius suspendi non potest: præmissæ autem non repræsentant expresè intellectui conclusionem, & ideo ad expressam cognitionem illius indiget nova applicatione voluntatis.

126 *Ad id*, quo vrgebatur argum. neg. mai. Quæ si esset vera, probaret etiam voluntatem necessitari quoad exercitium, dum sunt plura media nam quod sint plura, non conducit ad libertatem eligiendi, sed ad libertatem eligendi propriè, idest hoc, vel illud, quæ non est libertas exercitij, sed specificationis: quare dum vnum tantum est medium, voluntas necessitatur quoad specificationem, idest, si eligit, hoc, & non aliud eliget, seu proprius loquendo, hoc & non aliud acceptabit; non tamen necessitatur (cum possit retrocedere) ad procedendum ad electionem. Ex quo solum infertur similis necessitas ad conclusionem, scilicèt, quod positis præmissis, si voluntas applicat intellectum ad cōclusionem, ad hanc, & non aliam debet illum applicare; quia hæc, & non alia infertur ex præmissis; voluntas tamen non est necessitata ad applicandum.

ART. III.

Quid sit prædicatum de omni per se, & secundum quod ipsum?

127 PRædicatum de omni, aliud est de omni *prioristicè*, seu ex parte formæ, aliud est de omni *posterioristicè*, seu ex parte materiæ. Vtrumque convenit in eo, quod nihil subsumatur sub subiecto, de quo tale non dicatur prædicatum, hoc enim indicat ly *de omni*: in eo tamen differunt; quod prædicatum de omni prioristicum præscindit ab eo quod necessario, vel contingenter verè, vel falso, dicatur, qua ratione hæc propositio *omnis homo est albus* est de omni prioristicè, & ex vi formæ: prædicatum autem de omni posterioristicum dicit necessariam connexionem cum eo, de quo prædicatur, qua ratione sic illud explicuit Aristoteles: *de omni dicimus, quod non cuidam inest, cuidam non inest; nec interdum competit, interdum non competit, sed omni, & semper, vt de omni homine animal*: quod brevius perstrictum sic exponitur: prædicatum de omni posterioristicum est, *quod ita dicitur* de subiecto, vt de quocumque sub sumpto sub illo necessario dicatur: sivè hæc necessitas oriatur ex essentiali habitudine, vt in exemplo Philosophi, sivè ex connexione necessaria, vt in hac propositione *omnis homo est risibilis*.

128 *Dices* I. Hæc propositio

Deus

Deus est æternus, cum sit per Dei immutabilitatem verè demonstrabilis, est de *omni* posterioristicè, & tamen prædicatum non dicitur de omni sub sumpto sub subiecto, cum sub subiecto illius, vtpotè summè singulari, nihil posit sublumi: ergo prædicatum de omni posteriosticè non rectè explanatur. 2. *Hæ propositiones* in omni verè sunt tonitrua; in omni hyeme sunt pluiæ, sunt de omni posteriosticè, cum de facto demonstrentur, & tamē prædicatum non dicitur necessario de quocumque sub sumpto sub subiecto, cum sine miraculo posit dari ver sine tonitruis, & sine pluvijs hyems: ergo 3. *Non solum* datur demonstratio concludens affirmativè, sed etiam negativè, vt nos supra asseruimus: ergo cum Philosophus necessaria ad omnem demonstrationem præmittebat, debebat traddere non solum quid sit dici de *omni*, sed quid sit dici de *nullo* posteriosticè.

129 *Ad primum* neg. conseq. Quia prædicatum de omni posterioristicè non diximus tale, quia debeat dici de omni sub sumpto sub subiecto, sed quia de nullo sub sumpto sub subiecto posit non dici: ad quod non requiritur, quod semper dentur inferiora, quæ subsumantur sub subiecto, sed sufficit, quod si dentur, de illis dicatur prædicatum, quod de subiecto dicitur: hoc autem semper est verum, etiam si in propositione argumenti nil detur, quod sub subiecto subsumatur.

130 *Ad secundum* neg. illas propositiones vt demonstratas scientificè posse esse falsas; nam scientia solum demonstrat in verè esse tonitrua, & in hyeme pluvias regulariter, & attenta in plurimum dispositione causarum, quod licet pluviæ, & tonitrua aliquando deficiant, numquam est falsum. *Nec proterea* negamus scientias se invicem excedere imperfectione certitudinis, intra lineam tamen talis certitudinis, vt eis nec per se, nec per accidens falsum sub esse posit: aliter verę virtutes intellectuales non essent, si possent aliquādo in falsum declinare. *Idem dicimus* de alijs propositionibus demonstrabilibus, vt quod Sol orietur, & Luna ecclypsabitur; nam licet talia pro omni tempore nō accidant, pro omni tamen tempore est verum illa tali determinato tempore eventura, in quo solum sensu demonstrantur.

131 *Ad 3. dicimus*, quod cum præcipua demonstratio sit illa, quæ passionem aliquam demonstrat convenire subiecto, ideo solum explicuit Philosophus, quid sit dici de omni: & quia hoc scito, facilè percipitur quid sit dici de nullo posterioristicum, videlicet, *quod nihil subsumatur sub subiecto, à quo non remoueatur necessario prædicatum.* Ex quibus omnibus constat prædicatum de omni posteriosticum esse solum ad rem demonstrationis, cum constituat propositiones necessarias, & quales exigit vera demonstratio; prædicatum verò de omni prioristicum precisè desideratur, vt propositio dicatur dialecticè vniversalis.

132 *Circa secundum*, quod explanare promisimus, quid sit, scilicet, prædicatum *per se*; notandi sunt quatuor modi perseitatis, quos ex Philoso-

losopho explicat hic D. Thomas, lect. 10. Horum divisio nascitur ex diversa acceptione illius præpositionis *per*: aliquando enim designat habitudinem causæ formalis, vt cum dicitur, *corpus viuit per animam*; vndè quia nil formalius in vnaquaque re, quam eius prædicata diffinitiva, tunc propositio dicitur à D. Thoma esse in primo modo dicendi per se, *cum de re prædicatur eius diffinitio, vel aliquod prædicatum in diffinitione positum*.

133. *Quod vltimum* intellige de prædicato ingrediente in recto rei diffinitionem, nam cum relativa diffiniantur per ordinem ad suum terminum, non terminus, sed ordo ad illum est, qui per se dicitur de diffinito. Rursus: illud intelligendum est non solum de prædicatis, quæ exprimuntur in recto in diffinitione rei, sed de omnibus illis, quæ essentialiter imbibuntur, in prædicatis ipsis, per quæ res exponitur; vnde non solum *animal*, & *rationale*, verum *ens*, *substantia*, *corporeum*, & *viuens* hoc modo perseitatis prædicantur de homine. Imò hac perseitate prædicatur etiam differentia subalterna de infima, vt si dicas, *rationale est sensibile*, cum talis differentia constituat genus, quod essentialiter contrahitur per differentiam infimam.

134. *Secundo* designare solet ly *per* habitudinem causæ materialis vt cum dicitur, *corpus est coloratum per superficiem*, cum superficies sit id, cui color immediatè inest: & iuxta hanc acceptionem assignatur secundus modus dicendi *per se* à D. Thoma, *cum subiectum ponitur in diffinitione prædicati, quod est proprium accidens eius*, vbi nota non esse idem id, à quo sumpta est occasio assignandi hunc per se dicendi modum, ac ipsum modum dicendi per se: occasio sumpta est ratione subiecti receptivi, quod est causa materialis accidentis recepti; non tamen consistit hic modus dicendi per se in eo quod accidens enuntietur de subiecto, vt cumque; sed requiritur, quod sit subiectum proprium accidentis exigens illud; aliter constituet modum dicendi, sed non dicendi *per se*. Hinc si dicas, *corpus est coloratum*, propositionem dices accidentalem, quia corpus, qua tale, non connectitur cum colore: si tamen dicas, *mixtum est coloratum*, propositionem formabis ad hunc modum dicendi per se pertinentem, quia esse mixtum exigit esse coloratum: & licet in eodem subiecto concurrant ratio corporis, & ratio mixti, tale subiectum non est coloratum, quia corpus, sed est coloratum, quia mixtum. Vndè vtrumque in diffinitione D. Th. positum est necessarium: & quod subiectum sit de diffinitione prędicati, & quod prædicatum sit proprium accidens subiecti; quod tunc evenit, quando prædicatur accidens, quod est passio eius, de quo prædicatur.

135. *Tertio* ly *per se* denotat id, quod solitariè, & independenter ab alio existit, & in hac acceptione assignatur tertius perseitatis modus respectu substantiæ, quæ per se, & independēter à quocūque alio existit. Quarto denotat ly *per* habitudinem causæ extrinsecæ, efficientis, scilicet, aut finalis;

lis; iuxta quod assignatur quartus perseitatis modus ex Philosopho, & D. Th. *quando aliquid inest propter ipsum*, idest, cum ex parte subiecti importatur propria ratio causandi actionem, quæ ponitur ex parte prædicati; vt si dicas, *calidum calefacit, ædificator ædificat*: si autem diceres, *ædificator ambulat*, enuntiares prædicatum per accidens omnino se habens ad subiectum, cum omnino disparatè se habeant ratio artificis, & ratio ambulantis.

136 *Ex his constat* omnes hos modos perseitatis esse suis rationibus formalibus diversos, & si aliqui illorum aliquando coincidant: cum enim propria passio prædicatur de suo proprio, & immediato subiecto, subiectum est causa proprijssima prædicati, & sic submunere subiecti illam passionem exigentis pertinebit ad secundum modum dicendi per se, sub ratione autem causæ propriæ illius reducetur ad quartum; licèt quia passio *admiratiuum* v. g. non significatur per modum actionis, seù effectus ab homine progredientis, sed per modum affectionis illius, absolutè est defendandum, quod hæc propositio, *homo est admiratiuus*, ad secundum modum pertineat.

137 *Constat* similiter, *quod prædicatum per se*, quod erat assumptum, propter quod hos quatuor modos perseitatis præmisimus, tantùm invenitur in duobus primis modis perseitatis, cum in his detur, aut habitudo essentialis, aut necessaria connexio, quod requirit prædicatum, vt sit *per se*, & constituat propositionem necessariam: tertius autem, & quartus modus perseitatis prædicationem relinquunt accidentalem. Vndè primus, & secundus opponuntur prędicationi contingenti; tertius opponitur accidenti existenti per aliud, & quartus opponitur causę per accidēs: quare primus, & secundus sunt modi per se prædicandi, tertius per se essendi, & quartus per se causandi; è quibus duo primi tantùm ad demonstrationem deserviunt.

138 *Vltimum* tandem, quod explicatione indiget, est prædicatum *secundum quod ipsum*, quod à D. Tho. & à Philosopho dicitur prædicatum *vniversale*, non in ea acceptione, in qua supra q. 3. egimus de illo, provt scilicèt comparatur ad inferiora, de quibus, vt superius prædicatur; sed provt dicit quandam adæquationem ad subiectum, ita vt ad omne, ad quod se extendat subiectum, se extendat (& non amplius) prædicatum. Illud Aristoteles sic explanavit: *vniuersale autem dico, quod cum de omni sit, & per se, & secundum quod ipsum est.* Vndè tres solent ad hanc vniversalitatem conditiones assignari: *Prima*, vt prædicatum sit *de omni*, idest, quod de quocumque sub sumpto sub subiecto dicatur, & hoc indicat illa diffinitionis expresio, *quod cum de omni sit.*

139 *Secunda*, vt sit prædicatum per se, idest, necessario conveniens, vel in primo, vel in secundo modo dicendi per se, & ideo dicitur in diffinitione, *& per se. Tertia*, quod prædicatum cōveniat subiecto, in quantum tali, ac proindè dicantur ad convertentiam, quod manifestat vltima diffinitionis expresio, *& secundum quod ipsum est.*

His omnibus conditionibus constant propositiones, in quibus aut diffinito, aut illius differentia vltima prædicatur de diffinito; aut tandem passio prædicatur de suo proprio subiecto.

140 *Ex omnibus* huculque dictis inferes iam qualiter comparentur ad invicem omnia prædicata explanata, scilicet, *de omni, per se, & secũdum quod ipsum*: hoc enim vltimum, cum plures conditiones requirat, est inferius ad alia duo, & sic omne prædicatum *secundum quod ipsum*, est *de omni*, & *per se* non tamen è converso; quia animal est prædicatum per se, & de omni, respectu hominis, & tamen non est prædicatum secundum quod ipsum, cum homini, quia tali, non conveniat animal, nec cũ eo ad convertentiam dicatur. Similiter: si prædicatũ *de omni* summatur præcisivè à prædicato de omni prioristicè, & posteriostice, tũc omne prędicatum *per se* est *de omni*, & non è conversò, nam *coloratum* est prædicatum de omni respectu hominis, & non est respectu illius prædicatum per se.

141 *Si autem* prædicatum de omni sit illud tantùm, quod hic explanavit Aristot. de omni scilicèt posterioristicè, tunc idem est esse prædicatũ *de omni*, ac prædicatum *per se*, & è converso, solumque differũt penes diversam expresſionem, per expresſionem scilicèt vniversalitatis prædicatum *de omni*, & expresſionẽ connexionis prædicatũ *per se*. Quod patet ex eo, quod prædicatum de omni posterioristicũ est, quod ita dicitur de subiecto, vt de quocumque sub sumpto sub illo necessario dicatur, vt omnes fatentur; sed quod necessario dicitur, per se dicitur, & è converso, quod per se dicitur, necessario, & de omni dicitur: ergo idem est esse prædicatum de omni posterioristicè, ac esse prędicatũ per se.

142 *Imò in hac* acceptione quodcumque prædicatum de omni est prędicatum per se, & nõ è converso: hæc enim propositio *animal est homo* est propositio necessaria, & de prædicato per se, & tamen non est de omni, cũ huiusmodi in directæ propositiones non ęquivaleant vniversali, vt diximus in disputat. summul. quæ. 3. art. 8. quare præcedens doctrina restringenda est ad propositiones de prædicato *per se* directas, & ad illas in directas, in quibus modus in directus enuntiandi in nullo variat habitudinem prædicati ab subiectum; sivè enim dicas, *homo est rationalis*, sivè *rationale est homo* in nullo variatam reddes habitudinẽ; & sic, sicut prędicatum est per se, ita est de omni posterioristicè, & è cõverso. Qui plura velit, adeat Caiet. hic cap. 4.

143 *Tandem* infertur, quod licet potisſima demonstratio, ea scilicèt, in qua propria passio per propriam eius causam demonstratur de subiecto, petat præmisſas, quæ sint de prędicato *secundum quod ipsum*; tamen ad omnem demonstrationem hoc non exigitur, sed sufficit, quod propositiones sint de omni posterioristice, seu sint de prædicato per se.

ART. IV.

Quid, & quo tuplex sit propositio immediata, & per se nota?

144 Propositio immediata, & per se nota re conveniunt, & ex-

expreſsione differunt: dicitur *immediata*, quia non datur medium, per quod eius veritas probetur; dicitur *per ſe nota*, quia eius veritas ſtatim patet intellectui. Vtroque modo diffinitur ex Philoſopho à D. Th. hic lect. 4. vt immediata ſit: *Quæ non eſt altera prior*, vel, *quæ caret medio, per quod probetur*; vt per ſe nota ſic exponitur; *quæ ſtatim, intellectis terminis, vel notis, cognoſcitur*. Sicut enim inter viſibilia, alia ſunt viſibilia per ſe, ſcilicèt, quæ ratione ſui habent lucem, vt Sol; alia ſunt viſibilia per aliud, vt ea omnia, quæ recipiunt lucem à Sole; ita inter intelligibilia, aliæ ſunt veritates, ita manifeſtę, vt ſe ipſis ſine lumine, ſeu medio probativo diſtincto, ſint certo cognoſcibiles, & hæ dicuntur veritates immediatæ, & per ſe notæ: aliæ veritates ſunt, quæ indigent medio, ſeu lumine probativo, vt certò cognoſcantur, & hæ dicuntur veritates mediatę, & demonſtrabiles.

145 *Vbi aduerte* 1. diffinitionem præiactam eſſe formaliter intelligendam, ita vt ſenſus ſit, propoſitio immediata, aut per ſe nota in eo genere, in quo talis eſt, caret medio, per quod probetur. Vndè ſi probes vnam diffinitionem per aliam, vt ſi domum eſſe ędificium conſtans fundamento parietibus, & tecto, quæ eſt domus diffinitio per eius cauſam materialem, probes per hoc, quod ordinatur ad nos defendendos ab incommodis temporum, quæ eſt eius diffinitio in genere cauſæ finalis, non indè inferes primam domus diffinitionem non eſſe per ſe notam, ſed vtramque eſſe notam in ſuo genere; ſicut contra munus cauſæ ſolum eſt, quod in eo genere, in quo eſt cauſa, ab alia eiuſdem ordinis dependeat, ſecus in genere, in quo non eſt cauſa.

146 *Aduerte* 2. non eſſe idem (ſi voces propriè vſurpentur) aliquid eſſe intuitivè viſum, ac eſſe per ſe notum: Solem quippè, & Lunam eclypſari videmus, & tamen per veram cauſam demonſtramus: ſenſus quippè, qui in accidentibus ſiſtit, rationem ignorat eorum, quorum intellectus, qui ad intima tranſit, cauſam, & rationem demonſtrat. Si tamen vocum ſignificationem latius accipias, dices illas, & alias eiuſmodi veritates eſſe per ſe notas quoad ſenſum, & non quoad intellectum: & in ea ratione, in qua ſunt quoad ſenſum notæ, carent medio illarum veritatem probante, qua ratione dixit Philoſophus 2. Topic. cap. 2. *Eum, qui negauerit niuem eſſe albam, ſenſu indigere, non medio.*

147 *Hinc poterat* prima propoſitionis per ſe notæ diviſio incipere, ſed cum notum quoad ſenſum tantum impropriè nimis dicatur per ſe notum, ideò illo omiſſo. *Propoſitio* immediata, ſeu per ſe nota, alia eſt, quæ dicitur *axioma*; alia quæ *poſitio* nuncupatur. Axioma deſcribitur ab Ariſtotele, *principium ſyllogiſticum in demonſtrabile per ſe cognitum à Diſcipulo, antequam ad Præceptorem accedatur*. Vocatur etiam *maxima, dignitas, effatum, proloquium*, eo quod eius veritas ita vniuſcuiuſque menti inſidet, vt licet oppoſitum poſsit ore pro ferre, mente tamen credere non poteſt, vt ipſe Philoſophus latius explicat 4.

Metaph. lect. 6. Huiusmodi sunt vniversalissima principia, vt *quodlibet est, vel non est*, quorum veritas non addiscitur, sed præsupponitur in eo, qui ad scientiam accedit: *Positio* dicitur principium indemonstrabile, sed non ita omnibus insitum, vt sine Præceptoris voce præcognitum necessario supponatur: huius generis sunt principia particularia scientiarum, quæ licet in scientijs non probentur, vtpotè indemonstrabilia, exponuntur tamen, seu explicantur.

148 *Iterum* dividit hic D. Tho. lect. 5 propositionem per se notam in per se notam *secundum se tantùm*, & in per se notam *secundum se, & quoad nos*. Circa quam divisionem, vt eius rectitudo percipiatur, advertendum est, illam non esse divisionem propositionis repræsentativè sumptæ, quæ dicitur propositio formalis, sed propositionis sumptæ obiectivè, idest, veritatis obiectivæ non reduplicativè, vt repræsentatæ, sed vt repræsentabilis, vel enuntiabilis per propositionem formalem. Huius doctrinæ duplex habetur exemplum; primum divisionis propositionis *in veram, & falsam*; propositio enim v.g. *Petrus currit*, non dicitur vera, quia conceptus repræsentet Petrum currentem, nec ex eo quod Petrus vt repræsentatus sit currens, sed ex eo, quod cum repræsentetur vt currens, ipse in re currat, vndè denominatio veræ, vel falsæ in propositione, nec desumitur ab ipsius repræsentatione, nec ab obiecto, vt repræsentato per ipsam, sed ab obiecto in re. *Aliud* exemplum est in communi divisione propositionis in necessariam, contingentem, & impossibilem; non enim voces, aut conceptus sunt necessarij, vel impossibiles, nec obiecta formaliter, vt repræsentata, sunt impossibilia, sed tota necessitas, vel impossibilitas, à qua propositio dicitur necessaria, vel impossibilis, exercetur in ipsis rebus; vndè ibi accipitur nomine propositionis divisæ ipsa identitas obiectiva extremorum, & hæc vt repræsentabilis, vel enuntiabilis dividitur in propositionem *necessariam, contingentem, & impossibilem* denominationibus sumptis ab ipsis rebus apprehensibilibus.

149 *Similiter* igitur in præsenti divisione, cuius divisum non est propositio formalis, sivè repræsentativè sumpta, nam cum provt sic dicat conceptus veritatem obiectivam repræsentantes, si veritas provt in conceptu est per se nota, quoad nos etiam, est per se nota, cum conceptus sit notitia nostra, in quo sensu implicat propositionem esse per se notam *secundum se tantùm*, nec amplius convincunt plura, quæ contra præfatam divisionem congerunt ex Aureolo aliqui RR. Divisum ergo est veritas obiectiva per se nota, & hæc vt repræsentabilis, vel cognoscibilis à nobis, dividitur in per se notam *secundum se tantùm*, & per se notam *secundum se, & quoad nos*, cuius divisionis in hoc congruo sensu (vt probant adducta exempla) sufficientiam probat in præsenti D. Thomas sequenti ratione.

150 Quoties prædicatum est de intrinseca ratione subiecti, propositio est

est per se nota: sed stat prędicatum esse de intrinseca ratione subiecti, vel *secundum se tantùm*, vel *secundum se*, & *quoad nos*: ergo stat propositionem esse per se notam, vel *secundum se tantùm*, vel *secundum se*, & *quoad nos*. Prob. min. Stat prædicatum esse de intrinseca ratione subiecti, & hoc nos posse statim explicatis terminis cognoscere, quia nimirum talis identitas est inter extrema omnibus notissima, *vt ens, totum, pars*, & similia, & stat illam identitatem versari inter extrema non ita nota, sed pro quibus dignoscendis indigeamus discursu: sed in primo casu prędicatum erit de intrinseca ratione subiecti, & *secundum se, & quoad nos*; in secundo vero erit de intrinseca ratione illius *secundum se tantùm*: ergo stat prædicatum esse de intrinseca ratione subiecti, vel *secundum se tantùm*, vel *secundum se*, & *quoad nos*.

151 *Explicatur* in hac propositione *Deus est*, cuius subiecti quidditate à nobis ignorata, pariter non percipitur essentialis illius identitas cum prædicato: vndè licet talis essentialis identitas in re detur, & sic illa veritas sit secundum se nota, quia secundum se caret medio, per quod probetur, cum prædicatum sit immediatè de ratione subiecti, tamen quoad nos nequit evidenter constare, nisi vtamur aliquo medio, vel discursu ex effectibus creatis petito ad illam quoad *an est* evidenter cognoscendam, & sic non est per se nota quoad nos. Hæc in præsenti insinuare sufficiat, quia in præsenti traditur divisio à D. Thoma, nam de ea ex professo Theologi agunt 1. p. quæst. 2. artic. 2.

ART. V.

Quis modus dicendi per se faciat propositionem immediatam, & quis demonstrabilem?

152 Relictis tertio, & quarto modo perseitatis, quos iam diximus non esse modos per se prædicandi, sed essendi, & causandi, vt ad id, quod difficultatem ingerit, transeamus; supponendum est omnes propositiones, quæ sunt in primo modo dicendi per se, esse immediatas, ita, vt licet possint, vel per sensuum inductionem aliqualiter explicari, vel à posteriori aliquando quoad *an est* demonstrari, vt diximus de hac *Deus est*, si existentia, vt aliqui sentiunt, sit divinæ essentiæ constitutivum metaphisicum; tamen omnes illæ carent medio, per quod à priori probentur, ac proindè absolutè dicendæ sunt immediatę. Patet suppositio ex eo, quod ad primum modum dicendi per se solum pertinent propositiones de prædicato essentiali subiecto: sed prædicata essentialia, cum sint prima simpliciter, non præsupponunt aliquid, quod sit verè medium, ratione cuius subiecto conveniant: ergo.

153 *Vbi adverte* 1. aliud esse, quod prædicata essentialia servent inter se ordinem prioris, & posterioris quoad intelligentiam, aliud quod sint priora, & posteriora quoad causalitatem. Prius sanè intelligitur in homine ratio entis, quam ratio substan-

tiæ, & hæc prius quam ratio viuentis; cæterum vnum prædicatum non est ratio alterius, quia licet homo sit substantia, & ens, non tamen ideo est substantia, quia ens, quod necessum erat, vt vnum posset per aliud demonstrari.

154 *Aduerte* 2. quod cum in vnaquaque substantia (accidentia non constant natura) distinguantur ratio essentiæ, & ratio naturæ, tamquam duo inadequati conceptus eiusdem rei, alter in ordine ad existentiam, alter in ordine, seu radice operationis consistens; poterit hic, qui est posterior, per illum, qui est prior demonstrari; quia licet prior non exerceat veram causalitatem in posteriorem, est tamen ratio quare posterior sit talis: si enim interroges, quare has specificè operationes radicet homo, & non alias, respondebis rectè; quia est talis essentiæ, & sicut tale est operari, quale esse, ita talis essentia talium solum operationum potest esse radix. Quod advertimus propter celebrem demonstrationem, qua D. Thomas ex immaterialitate Dei, quæ est eius essentia, probavit illum esse naturæ intellectualis.

155 *Supponendum est* etiam, quod propositiones expectantes ad secundum modum dicendi per se, illæ scilicèt, in quibus passiones prædicantur de suis proprijs subiectis, sunt verè demonstrabiles, secundum se, si passio, quæ prædicatur, non sit prima passio, sed secunda, tertia, aut quælibet prima posterior; nam omnes hæ passiones conveniunt subiecto ordine quodam, tàm prioritatis, quàm causalitatis, ac proindè poterit secunda per primam, & tertia per secundam, & sic deinceps verè demonstrari. Vndè difficultas devoluitur ad primam passionem, inter quam, & subiectum, cum nil mediet, quod sit ratio conveniendi, nisi subiecti diffinitio, dubitatur meritò, an hæc sit sufficiens ad primam passionem demonstrandam in se, & obiectivè de subiecto, vel saltim quoad nos.

156 *Et in primis* supponendum est tamquam quid inter nostros, exceptis Sanchez, & Ortiz, communiter receptum, primam passionem esse demonstrabilem quoad nos de subiecto per diffinitionem ipsius. *Hoc adminus* convincunt authoritates Philosophi, & D. Thomæ infra adducendæ, quæ aliter conciliari non possunt cum inferius dicendis, vt postea constabit. Suadet etiam idem assumptum hæc ratio. Propositio, cuius veritas potest evidenter convinci per medium, quod sit quoad nos verè medium, est propositio quoad nos verè demonstrabilis: sed diffinitio subiecti est quoad nos verè medium, ratione cuius convincatur evidenter veritas propositionis enunciantis primam passionem de subiecto: ergo propositio enuntians primã passionem de subiecto est verè demonstrabilis quoad nos per diffinitionem subiecti.

157 *Prob. min.* quoad primam partem, quam AA. negant scilicèt diffinitionem subiecti esse quoad nos verè medium. Diffinitio subiecti est verum instrumentum sciendi respectu intellectus connaturaliter proceden-

dentis de ignoto ad notum, & de minus noto ad magis notum, qualiter procedit intellectus noster: ergo respectu intellectus nostri, seu quoad nos, est verè medium. Anted. est innegabile, nisi plausibilem modi sciendi divisionem ab omnibus vnanimi consensu acceptam negare velint. Consequentia verò probat. *Tùm* quia verum instrumentum sciendi respectu alicuius est respectu illius verè medium sciendi, quotiescumque possit illo vti: sed vti potest intellectus nota diffinitione hominis ad comperiendum, an *admirativum* (suppone primam esse passionem hominis) conveniat homini: ergo. *Tùm* quia, quod est quoad nos notius ipso subiecto, & convincit prædicatum convenire subiecto, verè est quoad nos medium talis convenientiæ prædicati ad subiectum: sed si diffinitio hominis est verum instrumentum sciendi, quoad nos est quid notius, quàm homo, & alias convincitur media illa, quod admirativum insit homini: ergo. *Tùm* quia si est instrumentum sciendi, manifestat ex vi propij artificij ignotum: ergo latentem in homine causam, cur sit admirativus, notam facit intellectui nostro: ergo est medium, ratione cuius fit intellectui nostro evidens hominem esse admirativum.

158 *Ex quibus* iam constat ad motivum oppositæ sententiæ. Nam licèt homo, & animal rationale non sint alia, & alia ratio, sed vna, eademque formalitas clarè, vel confusè cognita, hoc solum probat animal rationale non esse medium inter hominem, & admirativum secundum se, & obiectivè sumpta, secus vero quoad nos, qui ex confusa cognitione, quam designat ly *homo*, transitum facimus per eiusdem cognitionem distinctam ad cognitionem evidentem admirativi; aliter solum differrent quoad nos diffinitio, & diffinitum, sicut *ensis*, & *gladius*, quod est absurdum. Non ergo mediat animal rationale inter admirativum, & hominem; mediat tamen inter hominem vt confusè cognitum, & admirativum cognitum evidenter, ac proindè mediat respectu intellectus, qui prius confusè aprehendit, quæ postea cognoscit distinctè.

159 *His iam statutis*: dicendum est, quod prima passio est indemonstrabilis de subiecto demonstratione, quæ sit talis secundum se, ac proindè quod hæc propositio *homo est admirativus* (supposito quod hæc sit prima passio) est per se nota secundum se. Sentiunt nobiscum Cayetanus, Ferrara, Soto, Araujo, Masius, Ioannes Martinez, Sanchez, Ortiz, Lerma, Lince contra Scotum, Capreolum, Ioan. à S. Thoma, Parra, & alios RR. Pro ea videtur apertè militare D. Thomas lib. 1. Poster. lect. 36. dicens: *Quædam sunt principia indemonstrabilia affirmativa, in quibus vnum de alio prædicatur significando, quod hoc sit essentialiter illud, sicut cum genus prædicatur de specie, vel quod hoc sit in illo, sicut cum passio prædicatur de proprio, & immediato subiecto.*

160 *Dices ita esse*: cæterum subiectum immediatum primæ passionis est diffinitio ipsius subiecti: ex quo tantum sequitur primam passionem

de

de diffinitione subiecti esse secundum se in demonstrabilem, secus vero esse in demonstrabilem de subiecto media ipsius diffinitione. *Sed obstat* contra præfatam expositionem nimia impropriectas appellandi subiectum immediatum passionis diffinitionem subiecti contra positivè ad subiectum ipsum; hinc impropriissimè diceres, quod subiectum, cui immediatè in est qualitas sensibilis, non est quantum, sed diffinitio quanti: sed D. Thomas loquitur de subiecto, cui passio significatur in esse ex illis verbis, *vel quod hoc sit in illo*: ergo non intellexit nomine subiecti immediati diffinitionem subiecti contra positivè ad subiectum ipsum. Sed ex hoc.

161 *Prob. conclusio* ratione. Vt admirativum sit demonstrabile secundum se de homine, debet dari medium, quod non sit formaliter, & metaphisicè ipse homo, de quo demonstratur admirativum; sed *animal rationale*, quæ est diffinitio obiectiva hominis, est formaliter, & metaphisicè ipse homo, de quo demonstratur admirativum, quid enim aliud est metaphisicè, & obiectivè (quavis reduplicatione vtaris) animal rationale, quam homo, & homo, quam animal rationale? ergo diffinitio obiectiva hominis non est sufficiens medium, vt de homine sit demonstrabile secundum se admirativum.

162 *Prob. mai. Tùm* quia vt admirativum sit demonstrabile secundum se de homine, debet dari medium, quod secundum se non sit formaliter id ipsum, quod in quæstionem vertatur: sed si medium secundum se sumptum est formaliter, & metaphisicè homo, idem est formaliter quærere, an homo sit admirativus, ac quærere, an illud, quod vocas medium, sit admirativum; nam obiectivè, & in se, in nullo distinguntur, *an homo sit admirativus, & an id, quod formaliter, & metaphisicè est homo, sit admirativum*: ergo. *Tùm* quia vt admirativum sit secundum se demonstrabile de homine, debes assignare tria secundum se distincta, *hominem*, scilicèt, de quo demonstras, *admirativum*, quod demonstras, & *medium*, ratione cuius demonstras de homine admirativum; sed si medium secundum se sumptum est formaliter, & metaphisicè homo, hæc tria secundum se distincta non assignas, nam homo, & quod vocas medium, sunt secundum se idem formaliter, & metaphisicè: ergo.

163 *Huic rationi* minimè satisfit per distinctionem quoad implicitum, & explicitum, (qua gaudent homo, & eius diffinitio, sicut similis distinctio sufficit, vt de ente demonstrentur à priori eius proprietates, & de Deo attributa.

164 *Non satisfit* quidem; nam ratio nostra non invenit difficultatem in eo, quod cum sola distinctione quoad explicitum possit dari medium à priori demonstrans; sed difficultatem invenit in tali distinctione quoad explicitum: vndè sic retorquentur exempla. Vt de ente sit demonstrabilis intelligibilitas per immaterialitatem, tali distinctione quoad explicitum gaudent hæc tria, vt alia sit metaphisicè, & formaliter ratio *entis*, de

de quo demonstras, alia *immaterialis*, per quod demonstras, alia *intelligibilis*, quod demonstras; ratio *entis* est alia per ordinem ad existentiam, ratio *immaterialis* per elongationem, seu abstrahibilitatem à materia, ratio *intelligibilis* per esse perfectivum intellectus: sed distinctio quoad explicitum animalis rationalis ab homine non est talis, vt alia sit metaphisicè ratio hominis, alia animalis rationalis, assignata enim constitutiva metaphisica distincta vtriusque: ergo non sunt ad rem aliæ distinctiones quoad explicitum respectu talis distinctionis, quæ non reddit animal rationale, & hominem, aliud, & aliud metaphisicè, sed idem, cognitum clarè, vel confusè.

165. *Similiter*: distinctio quoad explicitum inter prædicata divina talis est, vt ad aliam lineam adæquatè, vel in adæquate distinctam pertineant iuxta diversitatem prædicatorum, quæ demonstrantur; alia est enim linea essentiæ, alia naturæ, alietate in adæquata, & penes distincta connotata; ad aliam adæquatè lineam pertinet intellectus, ad aliam voluntas, sicut ad aliam pertinet verum, ad aliam bonum: ergo si talis esset distinctio inter hominem, & animal rationale, ad aliam lineam pertineret homo, ad aliam animal rationale, quo nil absurdius. *Ex quo* vlterius sequeretur, quod sicut duas ponis in Deo rationes formales, aliam iustitiæ, aliam misericordiæ, posses statuere quatuor; aliam iustitiæ, aliam diffinitionis iustitiæ, aliam misericordiæ, & aliam diffinitionis, seu descriptionis misericordiæ; cum per te diffinitio, & res diffinita gaudeant metaphisicè, & secundum se ea distinctione, qua gaudent, vt possit vnum per aliud demonstrari, divina attributa.

166. *Ex quo vrgetur*, & confirmatur ratio conclusionis. Quia bonitas est medium, & ratio, quare ens potest terminare appetitum, deficiente illa, ens non potest terminare appetitum: sed etiam si deficeret intellectus, qui hominem confusè cognitum divideret in illos duos conceptus obiectivos *animal*, & *rationale*, qui sunt hominis diffinitio, homo esset in se admirativus: ergo licèt illa obiectiva partitio conceptuum sit nobis procedentibus de ignoto ad notum ratio, secundum se tamen non est ratio, cur homo sit admirativus.

167. *Ex his constat* ad fundamenta opposita: Nam si dicas 1. Plura demonstrantur secundum se de aliquo per medium solum quoad explicitum distinctum ab illo, vt in ente, & in divinis attributis: sed sic differunt diffinitio, & diffinitum: ergo. *Resp.* disting. mai. *Distinctione fundata in ipsis rerum constitutivis metaphisicis*, concedo mai. *Fundata præcisse in nostro imperfecto modo concipiendi eandem omnino formalitatem clarè, vel confusè*, neg. mai. & sub eadem distinct. min. neg. conseq. solutio patet ex dictis.

168. *Si dicas* 2. Qui cognoscit rem per eius veram causam, rem verè demonstrat; sed qui cognoscit hominem esse admirativum, quia est animal rationale, cognoscit hominem esse admirativum per eius veram causam: ergo verè demonstrat homi-

minem esse admirativum. *Respond.* Eodem argumento posse probari, quod qui cognosceret hominem esse admirativũ, quia est homo, admirativum secundum se demonstraret, nam in se, & obiectivè quid aliud est hominem esse causam, ac animal rationale esse causam admirativi ? Vndè disting. mai. per veram causam, *quæ vt distincta à subiecto, de quo demonstratur, sit vera causa*, concedo mai. *quæ indistincta omnino sit vera causa*, nego mai. & sub eadem distinct. min. nego conseq. Nam licèt esse animal rationale sit causa admirativi, non tamen est causa, cur homo in se, & obiectivè sit admirativus; quia ad hoc talis debebat esse, vt homo ratione sui non esset causa, & ratione illius, quod super addit animal rationale, esset causa; quod quidem est falsum, cum animal rationale nullam adhuc formalitatem addat supra esse hominis, ratione cuius homo in se, & obiectivè transeat de non esse causæ admirativi ad esse causæ.

169 *Si dicas* 3. Iuxta D. Thomam 1. p. quæst. 2. art. 1. ex hoc aliqua propositio est per se nota, quod prædicatum includitur in ratione subiecti: sed admirativum non includitur in ratione hominis: ergo non est propositio per se nota, quæ enuntiat de homine admirativum. *Explicat.* mai. ly *ex hoc* dicentem causam *sufficientem*, concedo mai. *adæquatam*, subdist. ex hoc quod includitur, *vel formaliter, vel virtualiter proximè*, concedo mai. *formaliter præcisè*, nego mai. & disting. min. non includitur *formaliter*, concedo min. *virtualiter proximè*, neg. min. & conseq. Non est de essentia hominis admirativum, radix tamen proxima illius, animal scilicèt rationale, non solum est de essentia, verum est ipsa essentia hominis, inter quam, & admirativum nil mediat: hanc autem inclusionem sufficere, nec aliam intendisse, vt necessariam, D. Thomam, constat ex eo, quod aliter saluare non possunt AA. vt saluant, & verè deffendunt, quod hæc propositio *animal rationale est admirativum*, sit per se nota.

170 *Si tamen* opponas plura Philosoph. & D. Thomæ testimonia asserentium, quod *potissima demonstratio*, & quod *per pulchrum demonstrandi genus est*, cum passio concluditur de suo subiecto, per quod quid est subiecti. *Resp.* quod propter has, & similes authoritates sustinemus primam passionem esse demonstrabilem quoad nos, vt sic concilientur omnia D. Thomæ loca, videlicet, & quod prima passio sit in demonstrabilis, vt supra nos docuit, & quod sit demonstrabilis, vt modo nos docet. Dicitur autem potissima demonstratio, & per pulchrum demõstrandi genus, quia quoad nos, qui ex confusa cognitione ad distinctam procedimus, est maximè accommodata, & convincens; & quia ex ea reliquæ quoad nos demonstrationes dependent.

* * * (※) * * *

ART,

ART. VI.

Quid, & quotuplex sit demonstratio.

171 P*Ræmissis* iam ad demonstrationem requisitis, restat dignoscere quid sit ipsa demonstratio, ad quam ordinantur, & quæ totius logici operis scopus est, & finis principalis. Duo ergo desiderantur ad eius perfectam notitiam, quid sit, & quotuplex sit, vbi an membra dividentia talia sint, vt in eis integrè salvetur propria demonstrationis quidditas; sic enim perfectè cognoscetur quid nomine demonstrationis designetur.

§. I.

Diffinitiones demonstrationis expediuntur.

172 D*Vpliciter* diffinivit Philosophus demonstrationem; & per causam finalem, quæ in executione est demonstrationis effectus; & per causam materialem, seu per ea, ex quibus demonstrationis artefactum conflatur. Primo modo eam diffinivit dicens: *Demonstrationem autem voco syllogismum Apodicticon, idest facientem scire, seu scientialem*: quæ diffinitio est optima designans rationem communem syllogismi, per quam demonstratio convenit cum syllogismis opinativis, & fallacibus; & rationem differentialem, in qua discriminatur ab illis, quia sola demonstratio generat scientiam, seu facit scire, alij verò syllogismi, vel solam opinionem, vel errorem pariunt. Est insuper congruus diffiniendi modus, quia instrumenta rectè diffiniuntur in ordine ad finem, propter cuius consequutionem assumuntur, & nulli est dubium, quod instrumenti sciendi, quale est demonstratio, finis proprius est scientia, quæ media illa comparatur: recta igitur est demonstrationis diffinitio, *syllogismus faciens scire.*

173 Secundo modo diffinivit Philosophus demonstrationem, dicens: demonstratio est *syllogismus constans exprimis, veris, immediatis, notioribus, prioribus, causisque conclusionis*: & hanc debere esse demonstrationis materiam, seu eius definitionem per causam materialem probavit Philosoph. per primam definitionem, nam ea tradita subiungit: *Sic igitur necesse est, &c.* quasi diceret, *Demostratio est syllogismus faciens scire*: ergo constat exprimis, veris, &c. nam vt faciat scire, ex talibus debet constare.

Nec obstat, vt secunda diffinitio sit verè talis, quod probetur per aliam, quia propositionem immediatam in vno genere posse per aliam in alio genere immediatam demonstrari artic. præced. ostendimus, & solum data diffinitione adæquata, quæ omnes causas rei simul exprimeret, ea non posset probari per aliam: Supposito tamen, quod vt debilitati nostri intellectus vitetur confusio, debeant variæ eiusdem rei diffinitiones tradi, necessum est, quod definitio exponens rem per vnam eius causam, possit demonstrari per aliam eiusdem rei definitionem, quæ rem per aliam causam declarat.

174 Ex-

174 Exponentes igitur singulas diffinitionis particulas, ly *ex veris* denotat præmissas demonstrationis ab omni debere esse falsitate alienas, quia cum causæ sint conclusionis omnino veræ, in se debent præcontinere veritatem, quam causant, ac proindè ipsæ debent esse omnino veræ. Imò, cum conclusio causata non solum sit vera, sed vera necessariò, & scientifica, ipsæ quoque præmissæ demonstrativæ debent esse necessario veræ, ac proindè debent esse propositiones *de omni* posterioristicè, seu necessariæ, & hoc satis insinuatur in ly *veris*, cum absolutè verum non dicatur, quod modò est verum, modò est falsum, sed quod ex se, & ab intrinseco est verum, ac proindè, cui ex se, & ab intrinseco repugnat falsum.

175 *Nec obstat*: quod ex falso aliquando sequitur verum, vt ex eo, quod homo sit equus, benè infertur hominem esse animal: & similiter ex contingenti veritate, hac scilicèt, *Petrus currit*, sequitur hæc: *ergo est ens mobile*, quæ est veritas omninò necessaria. *Non obest* quidem: nam demonstratio non ostendit, quod res sit talis solum ex suppositione aliqua contingenti, sed quod res sit absolutè talis; ac proindè debet assumere pro medio aliquid, quod non dependeat ex libera concessione alterius, aut ex suppositione contingenti, quod sit tale, sed quod absolutè sit tale. Illæ ergo probationes convincunt, quod consequens sit verum ex suppositione solum contingenti, quod antecedens admittatur, vt verum; non tamen convincunt, quod consequens sit verum absolutè. Vndè potius ostendunt, quàm bona sit consequentia, quàm quod consequens sit verum.

176 Ly *primis*, & ly *immediatis* idem denotat duplici expressione declaratum; & vtraque intenditur præmissas debere esse indemonstrabiles, ac proindè, quibus non sint aliæ veritates priores, per quas possint probari. Quod si strictè, vt iacet, accipias, de demonstratione tantum potissima, & in quam, velut in primam omnium radicem, reliquæ resolvuntur, est intelligendum: quod forte intendebat Philosoph. assignans talem demonstrationem, vt ea totaliter quietaretur intellectus, nec vlteriorem anxius quærat causam. Quod si omnibus (vt debet) veris demonstrationibus est accommodandum, ita intellige: demonstratio debet constare præmissis, quæ, vel sint principia indemonstrabilia, vel in se imbibant indemonstrabilium veritatem, ita, vt in ea resolvantur.

177 Tres restantes particulæ modum explicant, quo præmissæ præstāt conclusioni: sunt quippè præstantiores titulo certitudinis, titulo præcedentiæ, & titulo causalitatis. Causalitatis titulum exprimit ly *causisque conclusionis*, in quo denotatur præmissas obiectivas esse causas, vel realiter, vel virtualiter causantes conclusionem obiectivam, vt supra artic. 2. notavimus; videatur ibi, ne acta agamus: ipsas autem præmissas mentales iam in eod. art. ostendimus concurrere in genere causæ efficientis ad assensum conclusionis mentalem. Titulum præ-

præcedentiæ exprimit ly *prioribus*, quia veritas præmissarum cognoscitur priùs prioritate saltim naturæ, quàm veritas conclusionis: imò ipsa in se, & obiectivè est prior (cum sit causa) prioritate causalitatis formalis, vel virtualis, quàm veritas conclusionis. Et licèt satis videretur insinuata eiusmodi prioritas per rationem causæ, necessum fuit tamen distinctis expressionibus vti, quia licèt omnis causa sit prior, non tamen omne priùs est causa.

§. II.

Excessus certitudinis deffenditur.

178 Contra tertium autem titulùm, excessum scilicèt certitudinis, quem v detur designare ly *notioribus* plura congerunt aliqui Recentiores, vel quia distinguunt inter esse notius, & esse certius, primum concedentes, & secundum negantes; vel quia absolutè iudicant præmissas non esse certiores, nec notiores, aut evidentiores conclusione. *Assumptum* probant. *Tùm* quia intellectus eadem indivisibili certitudine, & evidentia assentitur toti huic principio, *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: ergo non magis assentitur vni parti, quam alteri: sed identitas cum tertio exprimitur in præmissis, & identitas inter se in conclusione: ergo non magis assentitur præmissis, quam conclusionis. *Tùm* quia id dicitur certius, quod firmiores habet causas suæ certitudinis; sed conclusio habet easdem causas suæ certitudinis, ac habent præmissæ, cum causa causæ sit causa causati, & præmissas esse causas conclusionis iam supra est monstratum: ergo.

179 *Tùm quia quando* æquè impossibile est aliter se habere conclusionem, ac præmissas, æquè certa est conclusio, ac certæ sunt præmissæ: sed æquè impossibile est aliter se habere conclusionem scientificam, ac præmissas, cum scientia, quæ talem conclusionem demonstrat, nullatenus possit (vtpotè virtus intellectualis) adhuc per accidens aliter se habere: ergo. *Tùm* quia causa naturalis debitè applicata operatur quantum potest, & præmissas esse causas naturales conclusionis debitè per discursum applicatas, nulli est dubium: ergo in conclusionem influunt totam, qua gaudent, certitudinem.

180 *Confirm.* 1. Deum esse est consequens demonstrativè illatum ex veritate effectuum; sed Deum esse non est minus certum, imò & magis certum quàm quodlibet verum creatum: ergo. *Confirm.* 2. Si præmissæ titulo causæ conclusionis essent certiores conclusione, cum vtraque sit illius causa, vtraque esset certior illa: hoc est falsum, cum conclusio Theologica excedat in certitudine præmissam naturalem, ex qua simul cum alia præmissa de fide infertur: ergo.

181 *Confirm.* 3. Si conclusio cederet in certitudine præmissis, sequeretur, quod dum deveniremus ad demonstrandam vltimam passionem, esset taliter diminuta prima certitudo quidditatis subiecti in antecedentium passionum demonstrationibus inter medijs, vt nulla ferè certitudo esset in con-

conclusione demonstrativa vltimæ passionis, consequens est alienum à veritate: ergo & antecedens. *Vrgetur.* Philosoph. & D. Thomas solum asserunt hic lect. 6. in qua ex professo examinant præsentis litigij materiam, quod præmissæ sunt notiores conclusione; nec vllum in eis personat verbum de excessu certitudinis, vt constabit legenti, & vt manifeste indicat ly *notioribus*: sed non est idem esse aliquid notius, ac esse certius: ergo sine aliquo in ipsis fundamento hoc secundum asseritur. Cætera patent, & min. suadetur ex eo, quod notius est nivem esse albam, quam Deum esse vnum, & tamen certius est vnum esse Deum, quam nivem esse albam.

182 *His non obstantibus* asserendum est, quod evidentiùs, clariùs, & etiam certiùs assentimur præmissis, quàm conclusioni per illas demonstratæ. Quod assertum intellige in sensu formali, de conclusione scilicèt vt tali, ita, vt si eam contingat aliunde esse notam, poterit quoque præmissas in certitudine excedere, non tamen eas excedet, nec adæquabit vt conclusio illarum, vt citata lect. 6. advertit D. Thomas. *Huius asserti* ratio alia non est, quàm quæ à Philosopho, & à D. Thoma proponitur, quæ si excessum probat evidentiæ, & notorietatis, excessum quoque probat certitudinis, & fundatur in illo, communi axiomate *Propterquod vnumquodque tale, & illud magis*: Ex quo deducitur quod si propter præmissas certificamur de conclusione, magis certi sumus de earum veritate, quam de veritate conclusionis.

183 *Nec in hoc satis* percipitur discrimen inter notius, & certius: si enim præmissas esse rationem, vt deveniamus in evidentem conclusionis notitiam, probat illas esse nostro discursivo lumini magis notas; cur esse rationem, vt certincemur de conclusione, non probabit eas esse eidem lumini magis certas? Nisi axioma admittas vt verum, in quantum conducit ad propugnationem tui placiti, in quantum vero obstat, reijcias, nulla data ratione disparitatis, vt falsum. Illud autem esse verum absolutè constat, si debitæ observentur conditiones, non pro libito, (vt aliqui improbant) sed quas ipsum axioma exprimit, assignatæ à D. Thoma hic, & in 2. dist. 12. q. 1. art. 1. ad 2.

184 *Prima conditio est*, quod prædicatum, in quo dicitur esse excessus, conveniat formaliter vtrique comparationis extremo: & hoc indicat manifestè ly *tale*, nam si aliquod comparationis extremum non sit tale, non datur tale, & tale, inter quæ fiat comparatio, vt decernatur excessus. Hinc licèt terra sit calida propter solem, sol non est magis calidus, quia sol non est calidus: & licèt albedo sit, propterquam paries est albus, non tamen est magis alba, quia albedo non est alba; nec licèt conclusiones sciantur propter prima principia, hæc magis sciuntur, quia principia non sciuntur, sed sunt nota lumine naturali: ac denique sanitas nō magis minuitur, dum propter illam minuitur sanguis; quia sanguis non minuitur propter sanitatem minuendam, sed propter augendam sanitatem. Solum ergo dum hoc, & illud

illud sunt talia, & hoc est tale, quia illud est tale, verificatur excessus, quia tunc solum verificatur, quod propter illud tale, hoc sit tale.

185 *Huic conditioni* annectuntur aliæ duæ, quæ fortè in idem recidunt. Earum vna est, quod forma, secundum quam vnum dicitur maius alio, suscipiat magis, & minus: hoc satis exprimit ipsum axioma per ly *magis*, quod supponit formam esse capacem augmenti intensivi, aliter erit de subiecto non supponente comparatio. Hinc licèt filius sit homo propter Patrem, Pater non est magis homo, nec præmissæ, sunt veriores conclusione licèt huius veritas ex illarum veritate deducatur; quia nec ratio hominis suscipit magis, & minus; nec similiter veritas iuxta dicta in disput. summul. q. 5. art. 6. *Tertia*, & vltima conditio est, quod forma, quæ denominare debet vnum extremum magis, quam illud, non sit eadem realiter in vtroque, hoc enim ipso non est locus ad comparationem in forma, quæ excessum debet admittere, ac proindè, nec vt sit in vno minus, & in alio magis: qua ratione, & si filius in Divinis spiret propter Patrem, vel ab illo sapiat, quæ sapit, quia tamen in vtroque est eadem sapientia, & virtus spirativa, Pater non magis spirat, quam filius, aut sapit.

186 *Ex quibus brevis* hæc elicitur pro asserto præcedente ratio. Dum duo extrema ita comparantur in aliqua forma, vt cum vtrumque sit in illa formaliter tale, vnum est tale, quia alterum est tale; si forma sit capax suscipiendi magis, & minus, magis est tale illud extremum propter quod alterum, est tale: sed tam præmissæ, quam conclusio sunt formaliter certæ; aliàs quia præmissæ sunt certæ, conclusio est certa: ergo cum certitudo sit forma in vtroque extremo distincta, & quæ suscipit magis, & minus, præmissæ excedent in certitudine conclusionem. *Explicatur.* Qui non aliundè diligit Petrum, nisi quia diligit Paulum, magis diligit Paulum, quam Petrum: ergo qui non aliunde certificatur de conclusione, nisi quia certificatur de præmissis, magis certificatur de præmissis, quã de conclusione: sed conclusionis vt talis non aliundè sumus certi, nisi quia certi sumus præmissarum: ergo magis certi sumus præmissarum, quam conclusionis, formaliter vt talis.

187 *Ad motiva opposita resp.* ad primum quidem disting. antec. toti huic principio, *signatè sumpto*, conced. antec. *exercitè sumpto*, neg. antec. & disting. conseq. non magis, *vt sunt partes illud componentes signatè*, conced. conseq. *vt sunt partes illud comprobantes exercitè*, neg. conseq. Ex quo vlterius disting. min. subsumptam, & identitas inter se in conclusione, *vt deducta ex identitate cum medio*, concedo min. *aliter*, neg. min. & conseq. illud principium signatè sumptum, & vt quod, vnico iudicio attingitur, ac proindè omnes eius partes prout sic eadem certitudine attinguntur: cæterum vt exercitè exemplificatum in hoc vel illo particulari syllogismo alio actu assentimur identitati extremitatum inter se, alio identitati earum cum medio, & cum illi prout sic assentia-

mur ratione huius, perfectius huic, quam illi assentimur. *Instoque* argumentum: nam in illo principio sic signatè sumpto non assentimur vni parti propter aliam; & tamen in illo vt exemplificato in aliquo syllogismo particulari assentimur conclusioni propter præmissas, saltim tamquam propter causas extrinsecas iuxta AA. quorum est hoc argumentum.

188 *Ad secundum* concessa mai. disting. min. habet easdem causas, *& eadem immediatione influentes*, neg. min. *influentes diversi modè*, conced. min. & neg. conseq. quia principia vt immediate coniuncta lumini naturali intellectus sunt certa, ac proindè ex se, & immediatè sunt certa; & cum ratione ipsorum derivetur ad conclusiones certitudo, perfectius est in ipsis, in quibus ex se, & immediatè repetitur, quam in conclusionibus, in quibus tantum invenitur mediatè, & propter aliud.

189 *Ad tertium* dist. mai. quando æquè impossibile est, *impossibilitate, quæ talis sit ex se, & absolutè*, conced. mai. *quæ talis sit solum ex vi alterius impossibilitatis*, neg. mai. & sub eadem disti. min. neg. conseq. sicut esse omnino impossibile possibilia deficere, quin deficiat Deus (in sententia etiam plurium ex AA. oppositis) non arguit Deum non esse ens magis necessarium, quam sint necessaria possibilia, quia in illis hæc necessitas est derivata à prima necessitate, quæ solum in Deo est à se, & ex se talis; ita esse omnino impossibile deficere conclusionem vt scientificè demonstratam, quin principia demonstrationis deficiant, non convincit æqualem certitudinem, quia secunda certitudo est ex prima derivata.

190 *Ad quartum* resp. quod cum principia sint ex se, & ratione sui certa, & sint id, vi cuius conclusio est certa, nequeunt, & si naturaliter operentur, illum certitudinis excessum, quo præeminent conclusioni, & in quo differunt ab illa, communicare, cum numquam conclusio vt talis possit ex se esse certa, sicut principium.

191 *Ad primam confirm.* concessa mai. disting. min. non est minus certum, *absolutè*, conced. min. *quoad nos*, subdist: *vt alio titulo certum*, conced. min. *vt certum titulo consequentis illati*, neg. min. & conseq. Principia in illa demonstratione assumpta non sunt ex se principia, sed conclusiones, licèt quoad nos assumantur vt principia; ex quo solum sequitur esse quoad nos magis certa, quam Dei existentia, non vt credita per fidem, sed vt deducta ex illis principijs. Nec valet: sunt magis certa quoad nos; ergo sunt magis certa. Arguitur quippè à dicto *secundum quid* ad dictum *simpliciter*, pro quo vide D. Thomam 2. 2. quæst. 4 artic. 8.

192 *Ad secundam confirm.* concessis præmissis, disting. conseq. præmissam naturalem secundum se inspectam, conced. conseq. vt elevatam neg. conseq. sed an, & quomodo elevetur pertinet ad 1. p. q. 1. *Ad 3. confirm.* Neg. sequelam: nam excessus inter eiusmodi conclusiones, & præmissas non est designalibis arithmeticè, & adæqualitatem, sed Geometricè, & secundum proportionem:

nem : sicut ex eo quod inter inferiorem Angelum, & supremum medient plures species invicem se excedentes in perfectione intelligendi, non sequitur, quod in Angelo inferiori sit ferè nulla vis intelligendi ; sed solum sequitur esse inferiorem virtutem, intra sphæram tamen perfectionis, quæ debetur Angelo.

193 Ad id, quo vrgebatur argumentum, resp. ex dictis, quod licèt Philosoph. & D. Thomas solum agant ex professo de excessu evidentiæ, seu notorietatis, principium tamen, cui nituntur, vel vtrumque, vel neutrum probat. Nec replica distinguit inter notum secundum se, & quoad nos ; hac enim distinctione supposita, comperiet, quod eo modo, quo aliquid est notius, eo etiam est certius, & sic quia nivem esse album est notius quoad nos, seu quoad nostrum sensum, ita etiam est quoad nos certius : sed quia absolutè, & secundum se notius est Deum esse vnum, ita etiam secundum se, & absolutè est certius. Nec verum similiter est nullum extare verbum apud D. Thomam in præsenti, quo excessum indicet certitudinis, cum expressè afferat *opportere, scientem firmissimè assentiri principijs* ; nam quid est aliud firmissima adhæsio, nisi certitudo maxima, cum ex ipso D. Thoma in 3. dist. 26. q. 2. artic. 4. certitudo sit firma adhæsio intellectus ad suum obiectum.

(§)

§. II
Exponitur demonstrationis divisio.

194 Licèt secunda diffinitio hucusque exposita solum conveniat demonstrationi perfectissimæ, & quæ dicitur talis *propterquid*, non ideò ea sola est demonstratio : quod caute præmonuit Philosophus, dum præcedentem diffinitionem exponens subiunxit : *Si igitur, & alius sciendi sit modus, posterius explicabimus*, ita cap. 2. & postea cap. 10. varias assignat differentias inter demonstrationem *quia*, & *propterquid*, quas ibi latè exponit D. Thomas à lect. 23. vsque ad 25. exclusivè : ex quo constat demonstrationem dividi in demonstrationem *quia*, & *propterquid*.

195 Demonstratio *propterquid*, quia perfectissima, & omnibus numeris ad rem planè convincendam constans, accuratius à Philosopho, & D. Thoma per præcedentem diffinitionem est explanata. Demonstratio *quia* est, *quæ rem demonstrat esse, non assignando propriam causam, propter quam sit res.* At reclamant aliqui immerito invertì, & contra mentem Philosophi, propriam talis demonstrationis notionem: nam ex Philosopho demonstratio *quia* est, qua scitur *quod est res*, non tamen propterquid est, aut quid est: ergo demonstratio, quæ assignet causam, quare res sit, non erit demonstratio *quia*, *sed propterquid* ; sed vt demonstretur, seu assignetur causa, non requiritur quod causa sit propria, & immediata, sed sufficit quod sit, & si re-

remota, vera causa: ergo immerito additur in diffinitione ly *propriam*, & verius diceretur omnem demonstrationem à *posteriori* esse demonstrationem *quia*, & omnem à *priori* esse *propterquid*.

196 Litigium est de voce, propterquod ab vnanimi antiquorum interpretum sententia recedere non licet: præsertim cum Philosophus stet expresśè pro illa. Nam lect. 15. apud D. Thomam expresśè docet demonstrationem propterquid à se diffinitam debere procedere *ex proprijs*, & *quæ sint convertibilia cum effectu*; ideoque supra præmisimus cum illo propositiones constantes prædicato, quod dicitur *secundum quod ipsum*, idest convertibile cum subiecto, quo prædicato, (quod Aristoteles vocat *vniversale*) asserit debere constare propositiones perfectæ demonstrationis: non ergo sine authoritate sapientum posita est illa particula in notione demonstrationis, vt denotetur omnem demonstrationem non assignantem propriam causam rei esse demonstrationem *quia*, assignantem vero esse demonstrationem *propterquid*.

197 Ex quo infertur 1. omnem demonstrationem propterquid esse *à priori*; quia omnis illa assignando propriam causam rei rem à priori demonstrat; non tamen omnem demonstrationem *à priori* esse *propterquid*, nam assignata causa extranea rei, seu remota, proceditur à priori, & tamen non demonstratur res demonstratione *propterquid*. Similiter omnis demonstratio *à posteriori* est demonstratio *quia*, nam omnis illa procedendo ab effectu, demonstrat rem esse, non vero cur sit; non tamen omnis demonstratio *quia* est *à posteriori*, quia demonstratio per causam remotam, seu extraneam, cum non assignet propriam causam rei, est demonstratio *quia*, quin sit demonstratio *à posteriori*. Nec in hoc exit extra suos limitates demonstratio *quia*, cum non assignata propria causa, quare res sit, semper dubitemus quare sit, & solum simus omnino certi de eo quod sit, ac proindè semper remanet, quod demonstratio *quia* est quæ facit scire *rem esse*, non tamen *propterquid sit*; qui termini sunt idem cum his, qui nobis obijciebantur ex modo loquendi Philosophi.

198 Nec obstat, si dicas sequi ex hoc, quod si quis demonstret hominem esse risibilem, quia est rationalis, non demonstret risibilitatem demonstratione *propterquid*, cum rationale sit causa remota, inter quam, & risibile mediat admirativum. Similiter si quis probet diffinitionem hominis pertinentem ad Philosophiam esse bonam, quia constat genere, & differentia, non demonstrabit demonstratione propterquid diffinitionis bonitatem, cum illud principium sit logicum, ac proindè Philosophicæ diffinitioni extraneum.

199 Non obstat quidem: nam ad primum neg. sequelam, cuius inserta probatio non vrget, & illam dist. causa remota, provt est idem, ac radicalis, cõcedo: provt est idem ac non convertibilis cum effectu, neg. Causa remota ex Philosopho apud D. Thomam hic lect. 17. dicitur illa (provt ad

 præ-

præsens attinet) quæ non convertitur cum effectu, ac proinde se sola nec est proximè causa, nec exigit causam proximam effectus, aut illam radicat: sicut si sic argueres in secunda figura: *Omnes respirans est animal: Nullus lapis est animal: ergo nullus lapis respirat*, quod exemplum est ipsius Philosophi, & in illo arguitur per causam remotam respirationis, quia licet respiratio supponat animal, animal tamen, nec quia tale, respirat, nec exigit quia tale, habere pulmonem, quæ est causa proxima respirandi, cum dentur animalia, (Pisces scilicèt) quæ quia pulmone non constant, non respirant: quod è converso accidit in exemplo argumenti, cum homo præcisse quia rationalis exigat esse admirativum, quod est causa proxima risibilitatis, ac proindè etiam exigit ex se esse risibilem, quod sequitur proximè ex ratione admirativi.

200 Ad 2. resp. Logicæ, & Metaphisicæ principia esse alijs scientijs extrinseca, non tamen extranea, quia omnes scientiæ ab illis dependent; cum altera omnibus ministret instrumenta sciendi, altera omnium principia, & firmet, & explicet. Reliquas vero scientias principales inter se conferendo non potest fieri transitus ex principijs vnius ad principia, vel conclusiones alterius, si demonstrativè procedatur, quia cum nullam inter se dependentiam dicant, non solum procederetur ex extrinsecis, sed ex extraneis. Et ab opposito in scientijs subalternantibus, & subalternatis proceditur demonstrativè *propterquid*, ab earum conclusionibus ad harum principia, quia principia harum sunt conclusiones demonstratæ in scientijs subalternantibus. De quibus omnibus latè Calet. hic cap. 12.

201 Infertur 2. quod quoties affirmatio est causa adæquata affirmationis, sicut rei affirmatio demonstrativè *propterquid* concluditur ex affirmatione suæ causæ adæquatæ, ita eadem demonstratione concluditur negatio illius ex negatione talis causæ. Hinc demonstratione propter quid convincitur equum non esse admirativum, quia non est rationalis: & similiter si ab opposito procederetur, probando illum non esse rationalem, quia non est admirativus, negatio rationalitatis demonstraretur demonstratione quia, nam sic demonstratur positio illius expositione admirativi: vndè dum causa, & effectus inter se adæquentur, demonstratio negativè concludens sequitur leges demonstrationis concludentis affirmativè. Pariter etiam, si dum probatur conclusio deducendo ad impossibile, impossibile, ad quod deducitur, sit causa propria, & adæquata conclusionis quæ deducitur, erit demonstratio propter quid, si vero sit causa remota, effectus, aut signum, erit demonstratio *quia*. Et vno verbo: demonstratio, quæ non assignat causam adæquatam, & propriam rei, quam demonstrat, sive quia procedit à signo, sive ab effectu, sive à causa remota, sive à quocumque alio cum re connexo, quod non sit causa adæquata, & propria rei, erit demonstra-

tio *quia*; si vero eam assignet, erit demonstratio *propter quid*.

202 Vndè infertur 3. talem divisionem esse adæquatam, vnivocam, & generis in species. Primum patet ex eo, quod inter demonstrari rem per aliquid, quod eius propria causa sit, vel per aliquid, quod non sit eius propria causa nullum datur medium ex suppositione, quod res demonstretur: sed sic se habent demonstratio *quia*, & *propterquid*: ergo. *Circa* secundum aliquod litigium est etiam inter nostros: sed cum omnes concedant evidenter quoad *an est* demonstrari rem per demonstrationem *quia*, dissidium quod restat. est de nomine, quid scilicèt significet ly *demonstratio*, vt indè inferatur, an conveniat res significata per vocem demonstrationi *quia* absolutè, & simplicitèr, vel potius conveniat illi tantum secundum quid. Sed quidquid sit de hoc.

203 Probatur assertum. *Tùm* quia demonstratio, quæ facit simpliciter scire, est simpliciter demonstratio & consequenter vnivocè: sed demonstratio *quia* facit simpliciter scire, an sit res: ergo. Nec dicas, quod scire an sit res non est simpliciter scire. Nam aliud est, quod res simpliciter non sciatur, dum solum scitur quoad an est, aliud, quod scientia, qua scitur quoad an est, non sit simpliciter scientia: sicut aliud est, quod dum scis proprietates entis rationis, scitum non sit res simpliciter; aliud, quod scientia, qua illas scis, non sit scientia simpliciter: cum ergo an est rei non sit res simpliciter, qui primum scit, non scit rem simpliciter, scit tamen simpliciter illud *an est*. Nec amplius intendit D. vus Thomas dum hic lect. 18. dicit: *Quod scire ex propriis principijs solum est vere scire*; aliter non vocaret absolutè demonstrationem, qua Deum esse per effectus demonstramus 1. p. q. 2. art. 2.

204 Tùm quia evidens cognitio rei per medium à re distinctum obiectivè, & cum ea simpliciter connexum, nequit non esse verè demonstrativa cognitio. Tùm quia demonstratio, quæ tali vtitur medio, vt intellectum totaliter quietet circa id, quod intendit demonstrare, est simpliciter demonstratio; sed quod intendit demonstrare demonstratio *quia* est an sit res, & circa hoc totaliter quietat intellectum per medium, cui innititur: ergo. Vndè aliud est demonstrationem *propterquid* esse perfectiorem, aliud eam solam esse simpliciter demonstrationem: sicut aliud est, Cœlum esse perfectius corpus, aliud Cœlum tantum esse simpliciter corpus.

Ex quo tandem constat tertia pars corollarij. Nam divisio, in qua membra dividentia conveniunt vnivocè, & differunt inter se differentijs essentialibus intra lineam divisi, est divisio generis in species: sed demonstrare rem, ita vt perfectè sciatur quid sit, differt essentialiter intra lineam demonstrationis à demõstrare illam, ita, vt solum sciatur an sit, quæ sunt differentiæ vtriusque demonstrationis: ergo.

205 Tandem infertur circulum for-

formalem in ultimo dictis demonstrationibus esse semper vitiosum, secus verò circulum materialem. Circulum dicimus formalem (alij vocant vniformem) quando non solum idem est principium, & conclusio, sed quãdo sub eadem ratione vtrumque munus subit; quod tunc contingit, quando idem est notius, & ignotius solum quia ponitur, vt antecedens, vel vt consequens; quia cum veritas non ideò sit notior, quia gerit vicem antecedentis, sed potius gerat vicem antecedentis, quia est notior; & similiter, cum non ideo sit ignotior, quia gerit vicem consequentis, sed è converso; reducere hunc excessum ad materialem denominationem antecedentis, vel consequentis, erit probàre idem per idem, quod non est probare, sed inutilis repetitionis vitium committere. Hinc cum probas veritatem vniversalis, vel etiam falsitatem per singularia, quæ sensibus experimur, licet singularia varient denominationem antecedentis, & consequentis, in re, & obiectivè semper sunt antecedens, cuius experimentali notitiæ nitentes probamus veritatem, vel falsitatem vniversalis nobis minus notæ.

206 Hinc circulum materialem dicimus, qui licet, apparentia vocum expectata, sit circulus, revera circulus non est, vt cum effectus secundum se minus notos probamus à priori per eorum causam magis secundum se notam, & è converso causam quoad nos minus notã probamus à posteriori per effectus quoad nos notiores. Hic circulus vocetenus talis non est vitiosus, sed vtilis, & quo vtitur Philosophus dum ex abundantia vaporum demonstravit pluviam, & rursus ex pluvia demonstravit abundantiam vaporum.

ART. VII.

Quid, & quotuplex sit scientia?

207 CVm proprius demonstrationis effectus sit scientia, restat vt post notitiam demonstrationis, de scientia statim agamus. Eam diffinivit Philosophus in præsenti dicens: *Scire est rem per causam cognoscere, & quod illius est causa, & quod aliter se habere non potest*: qua diffinitione constat comprehendi scientiam solum actualem, cognitionem scilicèt scientificam conclusionis, quæ ex evidenti assensu præmissarum generatur. Scientia verò habitualiter sumpta est: *Habitus certus, & euidens, per demonstrationem adquisitus*, seu, vt à litigio evidentiæ præscindamus, est *habitus certus per demonstrationem adquisitus*. Huius diffinitionis explanationem primò aggredimur, vt ad scientiæ divisionem indè procedamus.

(?)

*** *** ***

§. I.

Exponitur diffinitio scientiæ.

208 Varij in intellectu resident habitus, quorum brevi prælucente notitia, clarius fiet, cum quibus conveniat scientia per rationem habitus, à quibus differt per reliquas diffinitionis particulas. Habitus ergo intellectualis, alius est perfectus, alius imperfectus. Perfectus est, qui infallibiliter determinat intellectum ad veram obiecti cognitionem, proindeque est virtus intellectualis, cui nequit falsum sub esse. Imperfectus est, qui non determinat intellectum infallibiliter ad verum, sed ex vi ipsius expositus relinquitur falsitati.

209 Sub hoc habitu, sivè cognitione imperfecta comprehenduntur *opinio, fides humana, dubitatio, & error*. Opinio ex D. Th. 2. 2. quæst. 3. artic. 4. *Est determinatio intellectus circa vnam partem contradictionis cum formidine alterius*. Sub opinione comprehenduntur, *opinio probabilis*, quæ est determinatio ad vnam partem ob gravia fundamenta. *Suspicio*, quæ est determinatio ad vnam partem ob levia fundamenta. *Solertia*, quæ est promptitudo ad inveniendum media probabilia pro quolibet.

Fides humana, & Divina conveniunt in ratione assensus innitentis alieno testimonio: sed differunt in eo, quod Divina est omnino certa, quia nititur testimonio infallibili; fides verò humana nitens testimonio fallibili est falsitati exposita; sola Divina est certa, vtraque tamen est obscura. *Dubitatio* est cogitatio sine assensu. *Error* tandem est assensus, quo intellectus adhæret falso, existimato vt vero.

210 Habitus perfecti, qui virtutes intellectuales sunt, alij sunt practici, alij speculativi: Hi sunt *qui inclinant ad veri cognitionem propter se ipsam*; illi verò sunt, *qui inclinant ad verum propter operationem*. Practici dividuntur in artem, & prudentiam; *ars* est recta ratio factibilium; *prudentia* est recta ratio agibilium. Speculativarum virtutum; alia dicitur lumen primorum principiorum, & est *habitus*, quo assentimur primis principijs; alia est scientia, de qua in præsenti, quæ vlterius dividitur in *sapientiam*, queper altissimas causas veritates mediatas demonstrat, & *in scientiam strictè sumptam*, quæ scilicèt demonstrat veritates mediatas per causas inferiores.

211 His breviter prælibatis; constat quod ratio scientiæ convenit cum omnibus alijs habitibus tam perfectis, quam imperfectis in ratione habitus, à quibus differt per sequentes particulas. Nec est necessum, quod addatur (vt aliqui faciunt) *intellectualis*, cum in eo quod per demonstrationem adquiratur, satis insinuetur, & ex ipsa materia satis apparet: Iy *certus* distinguit habitum scientiæ ab omnibus habitibus imperfectis, quos numeravimus, cum in omnibus illis non reperiatur certitudo, quæ talis sit absolutè, sed vel sunt determinatio-

tiones ad falsum, vt *error*, vel non sunt infallibiles determinationes ad verum, vt *opinio, fides humana, &c.* Quod si sustineatur evidentiam saltim exactivam esse de ratione scientię, ad esse certitudinis debet adiungi in diffinitione ratio evidentiæ, & per illam distinguetur propriè habitus scientiæ ab habitu fidei Divinæ, qui licet sit omnino certus, est tamen inevidens, & obscurus. Sed quia aliqui etiam ex nostris sustinent, Theologiam esse verè scientiam, quin remaneat in patria, & consequenter, quin evidentiam exigat, præsertim cum Philosophus in diffinitione scientiæ actualis nullam fecerit evidentiæ mentionem, ideo pro nunc ab hoc litigio in diffinitione omnibus communi præscindentes, assignavimus discrimen inter hos habitus pe vltimas diffinitionis particulas. Nam habitus fidei, & si certus, non adquiritur per demonstrationem, qualiter adquiritur habitus scientiæ.

212 Pariter per talem expressionem differt ab habitibus perfectis intellectualibus, qui scientię non obtinent rationem, ab habitu scilicet, primorum principiorum, qui licet in sententia inter nostros probabili sit adquisitus, non tamen per demonstrationem, cum prima principia non sint demonstrabilia: & etiam differt per hoc ab arte; & prudentia; nam prudentia adquiritur per experientiam singularium, ars verò, licet possit adquiri per demonstrationem, vt supra quęst. 1. artic. 5. docuimus asserentes Logicam esse simul scientiam, & artem, formaliter tamen vt ars præscindit à demontione, & solum respicit efficientiam instrumentorum sciendi.

213 Vndè per diffinitionem expositam habitus scientificus comprehendit tam scientias speculativas, quam practicas, nam vt supra citato loco docuimus, scientiæ practicæ verè obtinent rationem scientiæ: comprehendit etiam eam scientiam, quæ sapientia nuncupatur, & eam, quæ est strictè scientia, vt à sapientia distincta; vtraque est enim verè scientia, & si eas velis inter se distinguere, diffinitiones supra positas eis adaptabis.

§. II.

De scientia subalternante, & subalternata.

214 Pluribus modis posset fieri divisio scientię eam discecando in varias scientiarum species, quæ in ordine ad distinctum obiectum intellectunt afficiant; sed quia huiusmodi divisio cuique patet, eam solum exagitamus divisionem, quæ aliquam sibi habet annexam difficultatem, & est ea, qua dividitur in subalternantem, & subalternatam. Subalternatio, si nominis æthimologium spectes, nil aliud est, quam positio, vel nativitas sub altero, in qua acceptione quælibet scientia ab alia dependens illi dicitur subalternari, & in hoc sensu om-

omnes scientiæ subalternantur metaphisicæ, & lumini primorum principiorum: immo omnes scientiæ naturales subalternabuntur Theologiæ, cum ipsæ tamquam ancillæ deserviant ad proprias demonstrandas veritates.

215 Sed in strictiori acceptione hic de subalternatione loquimur, in qua subalternans communiter diffinitur, quæ intra proprios limites habet evidentiam suorum principiorum; vel si strictius subalternationem, vt talem, velis diffinire per ordinem ad subalternatam, est, quæ alteri prębet principia ad suas conclusiones demonstrandas. Subalternata autem est, quæ ab alia accipit principia, ita vt intra proprios limites nequeat habere evidentiam illorum.

216 Vndè tres communiter assignantur conditiones ad subalternationem strictè talem. *Prima*: quod scientia in omnibus suis principijs ab alia dependeat. Vbi nota, quod qui volunt defendere Theologiam strictè subalternari scientiæ Beatorum, ita exponunt hanc conditionem, vt licet vtriusque scientiæ eadem sint principia, & codclusiones (sic enim contingit in prædicto exemplo) tamen quæ dicitur subalternata non potest facere evidentiam illorum, nisi cum subalternante continuetur, ac proindè, non tam est dependentia in principijs, quam in evidentia illorum: hoc tamen est prolibito conditiones assignare, & ea proponere in communi doctrina, quæ postea deserviant ad proprium propugnandum placitum: vndè conditio hæc assignanda est, vt à nobis proponitur, sic enim præscindit ab hac, & illa sententia, in particulari.

217 *Secunda*, conditio est: quod obiectum vtriusque scientiæ non sit idem formaliter, sic enim non erit duplex scientia, sed vna. Ex hoc autem *tertia* conditio nascitur, scilicèt, quod obiectum subalternatæ debet addere aliquam differentiam, quæ sit accidentalis obiecto subalternantis in esse scibilis, & non sit illi provt sic essentialis.

218 Debet addere differentiam, vt obiectum sit formaliter distinctum, non debet differentia addita esse essentialis, quia sic constitueret quandam speciem scibilis sub obiecto scientiæ subalternantis, ac proindè non essent scientię diversę, quia ad scientiam, ad quam pertinet agere de genere, attinet agere de speciebus sub illo contentis, vt amplius constabit in proemio Physicor. debet ergo differentia addita esse accidentalis: huiusmodi est sonoreitas, quam addit musica supra numerum, qui est obiectum Aritmethicæ, & visualitas, quam addit perspectiva supra lineam, quæ est obiectum Geometriæ. *Nec obstet*, quod tale obiectum erit ens per accidens. *Quia* licet ita sit in linea entis, secus verò in esse scibilis, cum provt sic differentia superaddita ingrediatur in recto, & id, cui superadditur, tantum dę connotato.

(?)

§. III.

§. III.

An scientia subalternata sit verè scientia in absentia subalternantis?

219 PLura congerunt AA. quæ disputationem nimis faciunt prolixam, fortè, quia revocant in vtrum, quæ supponenda sunt, & non disputanda. Supponendum igitur est *primo*, scientiam subalternatam esse verè scientiam in eo, qui habet subalternantem. Patet suppositio ex eo, quod qui ex principijs necessarijs evidenter cognitis infert per legitimam consequentiam conclusiones in illis contentas, verè dicitur scire tales conclusiones, sed sic procedit habens scientiam subalternatam continuatam cum subalternante: ergo. *Nec obest*, quod illa evidentia principiorum non sit propria scientiæ subalternatæ: *Nam* hoc modo fortè nulla erit scientia, cum evidentia principiorum per se spectet ad lumen naturale intellectus: sufficit ergo, vt conclusiones evidenter cognoscat ex principijs, licèt non sit propria ipsius evidentia principiorum.

220 Supponendum est 2. principia scientiæ subalternatæ dupliciter posse haberi, seu cognosci ab eo, qui caret subalternante. 1. per experientiam, ita vt nulla de ipsis relinquatur dubitatio. Hæc quippè conclusio Geometriæ, & principium Medicinæ, vel Artis chyrurgicæ: *vulnera circularia difficilius curantur*, cuius veritatis causa est, quod latera circuli (vtpotè qui angulo non constat) difficilius vniuntur; potest quidem à non Geometra evidenter sola experientia disci, cum in quolibet circulo possit sola experientia illud comprobare: in quo sensu præsens non procedit disputatio, immo ex discursu illius constabit, sic cognitis principijs, verè esse scientiam subalternatam. Procedit ergo iuxta secundum modum cognoscendi illa principia, scilicèt audiendo illa à sapientibus, ita vt imprudens esset qui de illis sic acceptis dubitaret.

221 Supponendum 3. Non contendere præsens dubium, vt examinet, an scientia subalternata sic accepta sit obiectivè, & quatenus est ex parte veritatis attactæ, vera scientia; nam cum certitudo obiectiva principiorum non varietur in se per hoc quod sic, vel aliter cognoscatur; notum debet esse sic obiectivè sumptam esse scientiam, cum principia illius in se sint certissima, & superiori scientia demonstrata. Vndè sensus quæsiti est, an subiectivè, & ex parte intelligentis sit verè talis: sicut siquis veritatem evidentem opinativè cognosceret, dubitari non posset, quod illa cognitio obiectivè sumpta, seu ex parte rei attactæ esset evidens; haberet tamen insuperabilem difficultatem, quod ex parte intelligentis esset evidens.

222 Supponendum est 4. præscindendum esse in hac quæstione ab illo litigio, an scilicèt sit de ratione scientiæ, vel actualis evidentia, vel exigentia illius; hoc enim impertinens est.

est ad præsentem quæstionem; cum etiam dato, quod exigentia evidentiæ non sit de ratione scientiæ, adhuc restet titulus certitudinis, quo deficiente, implicat aliquem habitum intellectualem esse scientiam; quia implicat scientia, quæ non sit vera virtus intellectualis, & infallibilis determinatio intellectus ad verum, sicut implicat vera virtus voluntaris, qua quis in malum vti possit; quod si neges, hæremus in principio & suadendus eris ex his, quæ D. Thom. docet 12. q. 57. & 71. & cum eo, præter plurimos Theologos, vnanimis Thomistarum sententia. Ex quibus iam clarè constat sententiam nostram esse negativam, loquendo (vt omnes in præsenti loquuntur) de scientijs purè naturalibus.

223 Quæ sententia hac vnica ratione prob. implicat scientia verè talis ex parte subiecti, qua intellectus non certificetur infallibiliter de conclusione, cuius est sciẽtia; sed de scientia subalternata (vt in præsenti de ea loquimur) non sic certificatur: ergo ex parte subiecti non est verè scientia. Mai. ex vltimo notabili constat, & min. prob. quæcumque certitudo intellectus erga conclusionem oritur in vi discursus ex certitudine, qua assentitur principijs; sed tunc casus certitudo, qua assentitur præmissis, non est infallibilis, cum motivum, cui innitatur, sit testimonium hominum, quod non est omnino infallibile: ergo. *Explicatur*, quæcumque certitudo innixa testimonio hominum, & si plurium, & sapientum, solum excludit dubitationem, quæ sit prudens de opposito; sed certitudo, quæ tantum excludit dubitationem, quæ sit prudens de opposito, remanet intra lineam certitudinis moralis: ergo certitudo, qua tunc casus assentitur principijs, est certitudo purè moralis: sed certitudo conclusionum est derivata à certitudine præmissarum: ergo solum assentitur conclusionibus certò moraliter, ac proinde non assentitur scientificè, cum scientia ex notatis debeat habere certitudinem, quæ non solum excludat dubitationem prudentem, sed quæ omnem dubitationem excludat.

224 Obijcies 1. D.Th. 1. p. quæst. 2. art. 2. dicentem: *Quod sicut musica credit principia tradita sibi ab Aritmethico, ita Doctrina sacra credit principia revelata sibi à Deo.* Sed ex hoc intulit Theologiam esse verè scientiam, etiam ex parte subiecti in absentia scientiæ Beatæ: ergo ex eodem iuxta ipsum infertur Musicam adhuc ex parte subiecti esse verè scientiam in absentia Aritmethicæ. 2. Non minus dependent media à fine, quam conclusiones à primis principijs; sed sine intentione formali vltimi finis stat rectitudo actus erga media, vt patet in virtute naturali existente in peccatore: ergo. 3. Omnes scientiæ dependent à Metaphisica, & Logica, sicut subalternatæ à subalternantibus; & tamen sine Metaphisica, & Logica dantur veræ scientiæ: ergo. 4. Nullus potest existimare existentiam Romæ ita non esse, quia ex testimonio plurimorum, quos omnes mentiri nefas est

est iudicare, scit illius existentiam dari: sed sic cognoscit principia subalternata in absentia subalternantis: ergo.

225 *Confirmatur*: qui evidenter scit se per medium Aritmethicæ demonstrasse conclusionem Aritmethicam, licet medij probativi non recordetur, habet scientiam de eo quod conclusio Aritmethicæ, quæ est principium Musicæ, est vera (implicat enim cognoscere evidenter aliquid esse demonstratum, & evidenter non cognoscere illud esse verum) ergo poterit Musicus non Aritmethicus demonstrare conclusiones Musicæ.

Vrgetur: ad rationem scientiæ non requiritur certitudo actualis, sed sufficit exigentia certitudinis; sed scientia subalternata in absentia subalternantis, licet non sit certa, exigit certitudinem; petit enim cum subalternante coniungi: ergo. Mai. prob. ad rationem scientiæ non requiritur actualis evidentia, sed sufficit evidentiæ exigentia, vt patet in Theologia: ergo ad rationem scientiæ sufficiet exigentia certitudinis, & non erit necessaria certitudo actualis.

226 Ad 1. resp. conced. Author. D. Thomæ, & disting. min. ex hoc intulit D. Thom. tamquam à ratione, neg. min. tamquam ab exemplo simili quoad aliquid, & non quoad omnia conc. min. & neg. conseq. Postquam enim D. Thom. in corpore articuli probaverat scientias subalternatas secundum se esse scientias, *quia procedunt ex principijs notis lumine superioris scientiæ*, & ex hoc intulisset Theologiam secundum se esse scientiam, *quia procedit ex principijs notis lumine superioris scientiæ, quæ est scientia Dei, & Beatorum*, vt explicaret, quomodo Theologia in viatoribus esset sciẽtia, cum in illis non sint nota principia Theologiæ lumine superioris scientiæ: adduxit exemplum musicæ, quæ credit Aritmethicæ, vt exemplo noto pateret, quomodo Theologia innitatur principijs creditis à Deo revelante, supponens tamquam notissimam differentiam inter fidem qua credit Musica Aritmethico, quæ est fides humana, & fidem qua Theologia credit Deo revelanti, quæ est fides Divina, hæc enim cum sit infallibilis, sufficiens est, vt principia revelatione manifestata inferant conclusionem veram, & infallibiliter certam; illa verò cum sit humana fallibilis est, & nequit conducere ad inferendam conclusionem metaphisicè certam, qualis est certitudo scientiæ.

227 Ad 2. resp. argumentum solum probare: quod sicut stat recta electio circa media sine intentione vltimi finis; ita pariter stat assensus certus conclusionis sine certitudine primorum principiorum; attamen sicut non stat recta electio circa media sine recta intentione alicuius finis proximi, & immediati; eodem modo nequit stare certitudo metaphisica conclusionis sine certitudine omnino infallibili saltim principiorum, quæ se habent proximè, & immediatè respectu conclusionis.

Ad

Ad 3. resp. neg. mai. quia licèt sciētiæ dependeāt à Metaphisica tamquam ab explicante sua principia; non tamen in eorum certitudine, & evidentia; sunt enim talia principia lumine naturali nota. A Logica iam diximus in prœmialibus non dependere simpliciter alias scientias in earum acquisitione.

228 Ad 4. resp. verum esse, quod nullus potest prudenter iudicare Romam non esse; ad hoc enim sufficit evidentia moralis innixa plurium testimonio; talis vero certitudo moralis non sufficit ad inferendam conclusionem metaphisicè certam, qualis est certitudo scientiæ.

229 Ad confirm. resp. in illo casu posse dari assensum certum, & infallibilem conclusionis; siquidem in eo eventu datur cognitio certa, & evidens principiorum media recordatione evidenti comparata. Ad id, quo vrgetur argumentum, neg. mai. ad probat. concesso antec. neg. consequent. ratio disparitatis est: quod cum exigentia evidentiæ salvatur aliquod prędicatum formale scientiæ, nimirum certitudo; at vero cum sola exigentia certitudinis non salvatur aliquod prædicatum formale scientiæ, & consequenter nec ipse habitus scientiæ; sicut cum exigentia risibilitatis salvatur ratio hominis, quia salvatur aliquod prædicatum formale illius, scilicet rationale; secus vero cum exigentia rationalitatis.

Hic solet disputari *de incompatibilitate scientiæ cum opinione, & fide:* & etiam *à quo principio desumatur vnitas scientiarum.* Sed primam disputationem ommittimus, quia res est fere Theologica, & de ea agunt omnes Theologi cum D. Thom. 2. 2. quæst. 1. artic. 5. Secundam, quia plurimum affinitatis habet cum ea, in qua de vnitate, & specificatione potentiarum agitur in 2. de Anima, ne opus in molem assurgat; ad citatum locum reservamus, & huic operi finem imponimus Cedatque in laudem Dei, Deiparæ Mariæ, S. Thomæ Aquinatis D. Ecclesiæ, cuius Cognomento, & Patrocinio hoc Insigne Collegium gloriatur, & gaudet.

F I N I S.



IN-

lam
ir a
ıra
iom
rifsh
ia ta
rmik
ver

ncé
ıle d
rnita
tatio
fen
rnci
uest.
ıum
vni-
rum
s in
cum
im-
Dei,
qui-
po-





